# CONFESSIONIS HIERONYMIANAE, EX OMNIBVS GERMANIS B. HIERONYMI OPERIBVS OPTIMA FIDE COLLECTÆ, ET, PER LOCORVM THEOLOGICORVM CAPITA, PERSPICVA METHODO, IN QVATVOR TOMOS DISTRIBVTAE.

*Opera ſtudioq́ue* CORNELII SCHVLTINGI STEINVVICHII, *Sacræ Theologiæ Licentiati, Sanctorum Apoſtolorum apud Colonienſes Canonici.*

## TOMVS QVARTVS.




COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij,
ANNO cIↃ. IↃ. LXXXV.
*Cum gratia & priuilegio Sac. Cæſareæ Maieſtatis.*

# AMPLISSIMIS, PRVDEN-TISSIMIS, INTEGERRIMISQVE

## VIRIS AC DOMINIS CONSVLIBVS, ET SENATO-RIBVS INCLYTAE IMPERIALIS CIVITATIS COLONIAE

*Agrippinæ, Mecœnatibus ac Patronis ſuis perpetua obſeruantia colendis. S. P. D.*

AMPLISSIMI, prudentiſſimi, grauiſſimique viri. Si quis B.
Hieronymum cũ Domini noſtri Ieſu Chriſti prodromo,
S Ioanne Baptiſta comparauerit, is profectò à rei veritate
non longè aberrauerit. Nam non modò admirandæ gra-
tiæ ſimilitudine eidem compar extitit, ſed etiam ad non
inæqualem gloriam in beatorũ ſede fuit prouectus. Vter-
que cœlibis vitæ angelica puritate, abſq; omni macula &
labe impudicitię præditus, in magna vitę aſperitate, carnẽ
ſpiritui ſubiecit, affectus cupiditateſque omnes ſtrenuè re-
preſſit, membra corporis prę Dei timore & amore rigidiſ-
ſimè in eremo domuit, atq; ſubegit. B. Hieron. enim (vt ad
viuum eius pictura exprimit, & in Epiſtola ad Euſtochium ipſemet locupletiſſimus te-
ſtis eſt) depingitur genu incuruus, capillos impexus, multa illuuie ſquallẽs, cana, menta,
pallidus fame, & membra multo ſanguine horrida, è ſacco depromit, maculoſa nebri-
dine cingitur, duro ſaxo toties pectus contudit, diuerberat, lacerat, tergus malè mulcta
tum viſitur, ceruix liuida, genæ flagris fletuq; rigent, latera cilicum ſetis crudeliter obſi
ta, adeoq; ſpinis implexa, continuis lachrymis, & ſollicitis ſingultibus mentem propter
inferni metum noctes atq; dies cruciat, vix cutis arida oſſibus adhæret, vix attritæ coſtæ
nituntur compagine. O viua imago, expreſſumq; ſpeculum feriæ pœnitentiæ. B. Hiero-
nymus, ſchola omnium virtutum, magiſterium vitę, omnis ſanctitatis forma, norma &
regula iuſtitię, virginitatis ſpeculũ, pudicitiæ imago, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ
ſpectaculum, fidei diſciplina, angelis par, lucerna totius mũdi, decus orbis, candoris liliũ,
lex morum, dux omnis ſapientię, Doctorum Eccleſiæ fulgentiſſimũ ſydus: Cur non his
titulis atq; epithetis ſanctiſſimũ virum exornẽ, cum Eccleſia in publico officio ſimili-
bus elogijs eundem illuſtret? Quis clariſsimę veritatis ac lucis radio Heterodoxorũ ſtu-
dia perſpicacius vicit ac ſuperauit? Quis totum officium Eccleſiaſticum quantum ad E-
uangelia, Epiſtolas & Pſalmos attinet, diſtribuit ordinauitq; commodius, rectius, aper-
tius? Quis Pſalterium Dauidicum ex lympidis Hebræorum fontibus tranſtulit fidelius,
verius, exactius? Quis oracula & vaticinia prophetarum abſtruſiſſima, maximeq; recon-
dita perfectius magiſq; perſpicuè expoſuit? Quis philoſophorum omnium dogmata, de
creta, ſectas plenius cognouit? Quis pro ſanctorum Dei gloria ac cultu eorundemq; re-
liquijs contra inſanum Dormitantium decertauit acrius? Quis virginitatem perpetuã
B. Mariæ virginis intemeratæ & immaculatæ aduerſus Heluidij monſtroſas opiniones
defendit vehementius? Quis Pelagianorum vires fortius fregit atq; debilitauit? Quis O-
rigenis & Origeniſtarũ ex Platonica Philoſophia hauſtas falſas opiniones confutauit
ſolidius? Quis Iouinianum & Iouinianiſtas firmioribus rationib. repræſſit atque cõuul-
ſit? Quis aduerſus omnes hęreſes tam inuictus athleta, tantum tamq; pręclarum trium-
phum reportauit, tam pulchra trophæa erexit? Quis in reprehendendis & emendandis
cleri vitijs ſeuerior, acrior, vehementior? Quis patrum, Pauli eremitę, Hilarionis, Mal-
chi & omniũ virorum illuſtrium, qui ante ipſius ætatem floruerant, vitas ſcripſit accu-
ratius? Cuius vnquam vita propter virtutum & doctrinę abundantiam maioribus inui
dię telis fuit propoſita? Quis mores virginum, clericorũ regulas dictauit atque deſcripſit
luculentius? Ecquis deprauatũ corruptumque vniuerſi mundi ſtatum ad præſcriptum
& normam ſacrę ſcripturę correxit ac repreſsit fœlicius? An non ſpiritus medullam li-
terę cortice detecto eliciat, an non exatiat ſtudioſi ſacrarum literarum ſitim, famem ex-
pleat, diuinitus manna & mel præbeat, aquam de ſilice excutiat Hieron. in ſupremo do-
ctorũ vertice & apice conſtitutus? Chriſti miles magnanimus quaſi in agone admirabili
certamine perfidorũ oppugerat ſomnia, inueteratas conceptaſq; falſas de rebus ſacris o-
piniones. Cæli certiſsimus, hęres & poſſeſſor diuinus, Deoq; plenius θεόπνευστος falſa hęre-
ticorũ, dogmata exacto ſubiecta examini aptis clariſsimiſq; ſacrarũ literarũ teſtimonijs
fugat, depellit, proterit. Nullius eſt tantũ flumẽ ingenij, nullius tanta dicendi vis atq; co-
pia, q̃ immenſos Herculeoſq; labores exantlatos atq; ſudores eius in ſacrarũ literarum
intelligẽtia adhibitos, aut oratione cõſequi, aut mẽte concipere poſsit. Quamdiu vixit
angelorum vitã & officium imitatus, angelorũ choris ſępè interfuit, ab angelis in cęlum
eleuatus atque ſublatus ab ijſdem & conſolatione in triſtibus, & fortitudine in aduerſis

Euſeb. Cremonẽſis de morte Hieronymi.

Cælius Calcagninus. i. Hieronymd de ithagine Hieronymi.

Chryſoſtomus ſimile quid affirmat de S. Ioanne Baptiſta.

Euſebis Cremonenſis in diuiduus eiſ Achates de morte Hieronymi.

fulciebatur atq; erigebatur. Quot quot in Eccleſia tractatus ac libros in lucē edidit: tot-
dem fluminibus de medio paradiſo exeuntib. hortum eccleſię irrigauit: Non video quo
pacto eminentiſſimum Eccleſię Doctorē maiori laude afficere, excellentiorique enco-
mio exornare poſſim, quam ſi iiſdē epithetis & titulis per allegoriam & metaphorā ex-
preſſis eundē inſigniam, quib. ipſe omnes Doctores & Patres Eccleſię paſſim in ſuis libris
condecorauit, atq; cohoneſtauit, quā ſi q. ipſe attributa alijs perſonis aſſcripſit, eadē ſuæ
Epiſt.46. ad Ruſticum c. perſonæ æquiſsimè accōmodentur atq; applicentur. Altiſſima turris muruſq; Eccleſiæ
2.& in ca. 2. Eſaiæ. fortiſſimus aduerſus omnē hereticorum impetum ſuſtinendū inſtructiſſimus. Inſignis
Tom 4.li.2. hic architectus & faber domū Dei ita exædificauit, tam firmiter conſtruxit ſupra ſolidā
Com. in ca. 8. Eſaiæ. petram; vt nulla ventorū vi deijci, nullo procellarum impetu concuti vllo modo poſſit,
Tom.4, li.2. Spiritualis hic agricola tam fertilem in agro Dominico diuini verbi fecit ſementem, vt
Com. in cap 3 Eſaiæ. inde immortalitatis fructus vberrimos metere atque colligere cuilibet liceat. Verus hic
Domini bellator omni ſpirituali armatura inſtructus; ita in aciē procedit, ita pugnæ ſe
Hieronym. in c.13. Eſai. offert, vt contra Goliadū alter Dauid victor ſumma cum laude diſcedat. Propugnaculū
Eccleſię adeò forte vt nullis admotis machinis adhibitiſque arietibus expugnari poſſit.
In c.54. Eſai Hęc nubes cęleſtis nunquam deſinit vbertim ſalubrium doctrinarum imbrem cælitus
dimittere. Cuſtos murorū Eccleſię vigilantiſſimus tam diligenter excubias egit, vt nul-
In c.55. Eſai. & 13. Abacu. li aduerſariorū pateat acceſſus. Eccleſię faber ea dogmata procudit ac fabricat, quę nul-
lius conuulſa atq; concuſſa vnquā concident. Mons Eccleſiæ altiſſimus ſpeculatur & o-
In c.62. Eſai. doratur longe ante aduenientem hoſtem, neque eius doctrina in edito conſpicuoq; lo-
In c.10. & 24 Hieremiæ. co poſita vnquam poterit obſcurari. Hic cælo lucidiſſimiſq; aſtris ſimilis, ita lumine do-
ctrinæ coruſcat, vt totū terrarum orbem illuminet atq; colluſtret. Quare quemadmodū
In c.7. & 35. Ezechielis. ſi ſolem è mundo tollas, omnia inferiora denſiſſimis tenebris erunt inuoluta: ita ſi cla-
In c.12. Dan. riſſimum fulgentiſsimumq; ſydus B. Hieron. Eccleſiæ demas, plurima relinquentur nec
dum ſatis explicata, niſi lumen ijs ſanctus hic vir accendiſſet. Robuſtiſsimus hic Samsō,
In 3.c. Amos omnium alienigenarum Philiſtinorum aliorumq; eccleſię hoſtium vim penitus fregit,
In 3.c. Abac. atque cōtudit. Hic peritiſſimus auriga ita Eccleſiæ currum rexit inſidens; vt verū diui-
In 12.c. Zac. In cap.4. ad Ephe. ni verbi ſenſum per totum terrarum orbē vexerit. Hic tribunus ac dux in Chriſti exerci-
tu, quotquot ſub eius vexillis ſtipendia faciunt, in cæleſtis vitæ hæreditatem, tanquā poſ-
ſeſſionem, manu quaſi inducit. Hic expertiſſimus nauclerus tā prudenter nauim Eccle-
ſię verbo Dei gubernauit, vt hoc ductore freta in portum ſalutis appellere atq; inferri tu-
In pſal.21. tiſſimè poſſit. Probatus hic Trapazita adulterina dogmata à veris acutè diſcernere pa-
leas à tritico. i. ſynceram & ſanam doctrinā à corrupta dijudicare rectiſſimè nouit. Ro-
bur & firmamentū Eccleſiæ S. Hieronimus tā ſolida Controuerſæ Theologiæ iecit fun-
In pſal.65. damēta, vt in eo artus & nerui veræ doctrinæ preſſi deliteſcant. Hic gregis Dominici for-
tiſſimus aries ex fontibus Apoſtol. & prophetarum tanquam torrens inundans Eccleſiæ
In pſal.77. canalia repleuit. Quid aliud Prophetę ſunt & Apoſt. quam portę per quas in Eccleſiā in
gredimur: Quis verò ſeras portarū aperire & reſerare melius valet quam Hieronymus?
qui in eruditiſſimis ſuis cōmentarijs, in Prophetas clauē nobis tradidit, quàm qui aſſe-
quuti ſunt, in abditiſſima Prophetarū myſteria ingredi, & in occultiſsima loca penetra-
re poſſunt. Quoties latētes, abditos & obſcuros Prophetarum ſenſus aſſequi nō potuit,
profuſo largo lachrymarū imbre & precibus ardentibus à Deo verū abſtruſi loci intel-
lectum impetrauit: Totus orbis huius clarę doctrinę radio refulget; ipſeq; ęterna Docto
rum corona aureola in cęlo perfruitur, eorundē iam collegio adiūctus. Hic glorioſiſſi-
mus & eximius Eccleſiæ Doctor hoc ſingulare à Deo priuilegiū fuit conſequutus; vt ad-
huc in terra cōſiſtens, gloriam Dei fuerit intuitus. Nā raptus & extra corpus poſitus ſępe
angelicis choris, vt ipſemet in Epiſt. ad Euſtochiū locuples teſtis eſt, interfuit. Hic ſcriba
doctus in regno cælorū ſimilis fuit patrifamilias, qui de theſauro profert noua & vetera:
Matt.13. Hic fidelis & prudens ſeruus, quem conſtituit Dn̄s ſuper familiam ſuā, vt det illis cibum
Matt.ca.24. in tēpore. Hic alter Helias, currus & auriga Iſraël, cuius doctrina quaſi ignis & facula ar-
Eccl.ca.48. debat. Poſuit Deus os eius quaſi gladiū acutum, conſtituitq; eum ſuper gentes omnes &
Eſaiæ 47. Hier 1.ca. populos, vt euellat, deſtruat, ędificet, plātet. Piſcator & venator aſſiduus innumerabiliū
Hier,16.c. animarū, quas Chriſto diligentiſſimè acquiſiuit: Flos omniū Eccleſię Doctorum, morū
decus, flos cultorū eremi (in vaſta. n. Syrię ſolitudine quadrienniū in lectione diuinorū
librorū cęleſtiſq; beatitudinis cōtemplatione conſumpſit, aſſidua ſe abſtinētia, vi lachri
marū & corporis afflictatione diſcruciās) roſa pudicitię. Maxim⁹ extitit diuinę legis ſcri-
ba, cuius calamus velociſſimè à ſpiritu ſancto regebatur. Hic diſertus preco eloquētiſſi-
muſq; Rhetor ſupremi cęleſtis regis, quicquid in ſacra Dei lege tectū eſt, pandit ac aperit,
diuinaq; mandata ad omniū notitiam perfert. Norma exactiſſimaq; regula iuſtitiæ non
modo laſciuorū clericorum; ſed & lubricorū monachorū crimina omnis honeſtatis ſpe
culū lucidiſſimū deteſtabatur acerrimeq; reprehēdebat. Quare Eccleſiaſtici vitę, impurę,
nō ferētes ſua vulnera & hulcera attrectari in ſanctū virū virulentis odijs exarſerūt, ei⁹ vi
tę inſidias ſtruxerūt, nulla nō mendacia viperarum genimina effinxerūt atq; excogita-
runt, nil nō moliti ſūt; vt iuſtū, quia erat cōtrarius operib. eorū è medio tollerēt. Sed inno
cēs ad exemplū Chriſti furori Herodis cedit, ſeq; ad rigidā pęnitentiā agendā cōfert in ſo-
litu-



litudinem. Quod quidem cleri odiū. D. Hieron. cum S. Chryſoſt. commune fuit om- Conſulatur de Chryſoſtomi perſe-
nibuſq; pijs Dei ſacerdotib. & Epiſcopis. Hieron. Ioſię regi pietate ſimilis omnis ſuper- cutionibus quas à clero
ſtitionis & Idololatrię hoſtis acerrimus ad eius exēplar vetere doctrina omnes eccleſię paſſus eſt So-
tribus imbuit, libros ſacros transfert, diuulgat & in publicū profert, interpretatur, diui- zomenus l.8. hiſt. eccle.
ni cultus omnes vias & rationes ſumma induſtria pcurat atq; exornat. Hortus omniū c.9 Nicepho-
virtutum florentiſſimus, liliū virginitatis hoſtiū portas ſtrenuè ſubuertit. Hæc eſt arca rus l.13.c. 14.
teſtamēti in qua diuinę legis expoſitio digito Dei exarata, & repoſita eſt, qua præeunte Socrates.l.6.
vincit Dei populus in prelijs. Hic viuus ... lapis fundamēti ſpiritualis ędificij Eccleſiæ c.14. & ca.4.
quem mūdi fabricator ſtructurę ſanctę cōgruentiſſimè coaptauit. Sūmus fidei agono-
theta atq; zelotes doctor & interpres religionis ita Chriſti aulam condecorauit, idq; ſo- Exod.25.
lus præcipuè effecit ac præſtitit, vt ſicut in die Pētecoſtes Apoſtoli varijs linguis ex dono
S. ſancti loquebantur; ita Duce B. Hieronymo Chriſtiana religio ſacræq; literę quā la-
te patet Chriſtianus orbis, in omni linguarum doctarum genere Deū vnum vnamq; fi-
dem perſonet, fateatur, loquatur, agnoſcat. Nam quicquid vetus & nouum teſtamentū
continet, quicquid arcani patres & prophetæ cecinerunt, quicquid pleriq; Græci patres
prodiderunt, ſolius B. Hieronymi beneficio fideliſſimè tranſlatū accepimus, Hanc cla-
riſſimam lucidiſſimā ſplendidiſſimamq; lampadē niſi Deus in eccleſia ſua accendiſſet,
vt luceret omnib. qui in domo Dei ſunt, abſq; ea ſi eſſet vniuerſus orbis cœcutiens titu-
baret & denſiſſimis tenebris immerſus palpitaret. Quod verò hunc 4. Tomū Confeſs.
Hieronym. Patres conſcripti obſeruandiſſimiq; Mecœnates veſtris Amplitudinib. in-
ſcripſerim multę graues iuſtiſſimęq; cauſę me impulerunt. Primum. n. grati animi offi-
ciū poſtulabat, vt ijs quib. beneficia accepiſſem, beneficiū qualecunq; redderē, teſtarerq;
meam perpetuā erga optimè de mē meritos patronos beneuolā promptiſſimamq; vo-
luntatē. Addidit mihi quoq; calcar germanus frater D. Petrus Steinvveichius V. I. D.
Syndicus V. D. qui gratitudinis nomine poſt Eccleſiaſticos proceres V. Amplit. hāc par
tem planè deberi affirmabat. Accedebat eodem quod D. Hieron. q adhuc in vita ſuper
ſtes hanc veſtrā ciuitatem cū ſtudiorū cauſa peregrinaretur, ipſaſq; Muſas quaſi fugien
tes toto orbe perſequeretur, inuiſit, vt ipſe teſtis eſt. to. 1. epiſt. 41. ad Ruffin. in qua Bono
ſum ſtudiorū peregrinationis ſociū nominat, idē iam poſt fata ad vos mutus quidē ma
giſter, ſed in libris viuens & ſpirans redeat, vt q̄ longè ante ipſius ætatem iam inde à tem
porib. D. Materni diſcipuli Apoſt. Petri fuiſtis profeſſi fidē, atq; quam B. Hieron. ſuo ſæ
culo colere & obſeruare religionē cognouit, in ea iā vos magis magiſq; cōfirmet, ne ab
ea inſidijs hęreticorū, machinationibus ſchiſmaticorū depellamini aut dimoueamini.
Nec ludicrū fuit profecto certamen, ꝙ nuper adeo difficillimo tēpore pro hac Hieron.
Confeſs. adeoq; ipſa fide Catholica veſtræq; Reip. ſalute, tā ſtrenuè tota ſpectante & ad
mirante Germana certaſtis, cū de tenui filo pēdere & negotiū religionis & veſtrę Rei.
ſtatus pleriſq; videretur. Nulla ętas conticeſſet, omniū doctorū libri & voces loquētur,
tota poſteritas admirabitur inuictū animi veſtri robur, ſuſceptā curā & vigilias pro re-
ligione & Rep. prudentiā ſingularem, qua inſidias hoſtiū eluſiſtis religionē & patriam
inuiolatā ſeculo conſeruaſtis. Cōtra inſidias nocturnas diſtributas cathenarū vigilias
Thruchſeſianiſq; hoſtibus callidè oppoſuiſtis, cōtra vim manifeſtam florē ac robur ci
uium eduxiſtis, omnia occultiſſima ſcelerata hoſtiū cōſilia vobis patefacta, oppreſſa, il
luſtrata. facta improba etiā vindicata vidimus, circumſpexiſtis oēs procellas quæ impē
debāt. deſignabant quidē illi ad cœdem vnumquemq; Catholicorum, ſed Deo ęquiſſi-
mo iudice authore, qui clypeus eſt piorum magiſtratuū peſtis iſta in eius caput recidit,
quā in nos oēs iampridē machinabatur. Vos ne quid Reſpu. detrimēti caperet, ſedulò
aduigilaſtis. Caſtra contra veſtrā Rem. erant in ipſius ciuitatis faucib. collocata, atq; in-
teſtinā aliquam quotidie perniciē vobis moliebātur. Verū ſeditioſi ciues occultā ſedi-
tionem meditantes veſtris multis & firmis pręſidijs ita oppreſſi, & diligentia circūcluſi
fuerunt, vt ne quidē ſi maximè voluiſſent, ſe cōtra vos cōmouere potuiſſent, adeo erat
cuſtodijs vigilijſq; munita ciuitas: multo acrius vigilabatis ad ſalutē quam Truchſeſius
ad perniciē veſtrā. Magna Dei immortali, atq; ipſis Diuis huius ſanctę vrbis cuſtodib⁹,
quorū reliquias pene innumeras Colonia cōplectitur, vobis quoq; patres cōſcripti ha-
benda eſt gratia, ꝙ hanc tam tetrā, tam horribilē tamq; infeſtam peſtem Rei. effugim⁹.
Apoſtata ille perfidus tēpla vni Deo ſanctę Trinitati ipſis ſanctis dedicata, tecta vrbis,
vitam Catholicorum ciuium, Germaniam deniq; totam ad exitium & vaſtitatem vo-
cabat. Nā vt olim poſtquā Vvandali, Hunni & Gothi Romā triumphantē caput orbis
deleuiſſent nō difficile ijs erat circa alia minora Imperij membra graſſari eaq; ſolo adæ-
quare: ita Colonia Agrippina totius Germaniæ quaſi Roma per occultum hęreſeos ve
nenum capta & ſubacta, arbitrabantur ſe facili negotio vniuerſa Germania potiri, eo-
que hæreſeωs virus diffundere poſſe, Verum vos Patres conſcripti totius vrbis templis
delubris, tectis omnib. ſubiectos iā prope ignes, circundatoſq; reſtinxiſtis, gladios in Rē
pub. diſtrictos retudiſtis, mucroneſq; eorū à iugulis noſtris reiecciſtis: Si exhauſta fuiſſet
ex vrbe adhærētiū Truchſeſio magna & pernicioſa ſentina, min⁹ laboraſſemus. pericu-

 li fu-

li fuiſſet multo minus. Sed hærebat in viſceribus ipſius Reip: peſtilens virus, periculũ reſidebat, & erat incluſum penitus in venis ciuitatis ſubornante inſidiatores, ſubmittente clamfamoſos libellos ipſo Thruchſeſio. O patriæ parricida Thruchſeſi quæ non nota turpitudinis per te toti familię tuę inuſta eſt? quod nefariorum vitiorum dedecus non hæret infamiæ? Quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus, quod flagitium à toto corpore abfuit? Tibi multorum proborum neces, tibi vexatio direptioq; totius prouinciæ & diœceſeos debetur. Sed Deus Opt. Max: omnes ſancti, quorum reliquias aſſeruamus, quos protectores & tutelares quaſi Deos huius vrbis verè nominare poſſumus, Thruchſeſium omneſque eius ſatellites & Caluinianæ ſectæ conſortes à ſuis aris, cæteriſque templis ac tectis vrbis & mœnibus, à vita fortuniſque omnium ciuiũ coërcuerunt, omneſq; procul dubio Caluinianos hæreticos bonorum inimicos, patrię hoſtes, & pacis publicæ, parricidas matris Eccleſiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate coniunctos æternis ſupplicijs viuos mortuoſq; mactabunt. Senſerunt Thruchſeſiani in hac vrbe eſſe Conſules vigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem prudentemque Senatũ, & arma, eſſe carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum maiores noſtri eſſe voluerunt. Res veſtræ præclarę difficillimo tempore geſtæ memoria æternitatis alentur, doctorum ſermonibus creſcent, literarum monumentis inueteraſcent, & corroborabuntur. Tanta fuit animorum veſtrorũ conſtantia vt penitus nullis medijs ex ijs, quibus Belgæ de ſtatu religionis facilè dimoti ſunt, in diuerſam ſententiam potueritis impelli, & ne armatis quidem viris de Orthodoxa fide vos depelli paſſi eſtis. Conciones Caluiniſticas ad perturbandam veſtram Rempublicam: per Comitem Nouæ Aquilæ temerè & impio conſilio in ſuburbio veſtro inſtitutas, diſsimulante & conniuente Thruchſeſio impediuiſtis, tormentis bellicis diſploſis diſieciſtis, diſperſiſtis: Famoſos libellos in priuatas perſonas aliquoties ſparſos animosè contempſiſtis. Populari ſeditioni, quã contra Magiſtratum commouere ac concitare hæretici varijs artibus, edocti in ſchola principis Auraici ad omnẽ nequitiam moliebãtur, diuerſis expeditis certis & efficacib. remedijs reſtitiſtis, occurriſtis: falſis diuulgatis rumoribus, ipſam veritatẽ per Clancularios otacuſtas exploratã oppoſuiſtis: Legatis principum, qui libertatem religionis inſtanter ex Comitiorũ Decretis vrgebant, prudenter & pulchrè veram interpretationem Decretorum Comitialiũ, contrariaque Decreta obieciſtis, eorumque inutilem conatum protelando eluſiſtis. Literis quoque principum alterius religionis, qui omnib. modis perſuadere nitebantur, vt nullatenus noui Archiepiſcopi Electionẽ intra ciuitatis veſtrę mœnia celebrari, alterũque periurũ Apoſtotam capite minui permitteretis, reſpondiſtis, nec locum vllũ dediſtis. Multo minus ceſſiſtis, eorumq; petitioni locum reliquiſtis, qui ne dies Comitiorũ conuentuſq; prouincialis Colonię haberetur, omni conatu totiſq; virib. impedire conabantur, eo tempore maximè, ſi vnquã aliàs, vos veros Eccleſiæ defenſores, patronos, tutores, circumfremẽtib. nequicquã hęreticis, declaraſtis, eorum atroces minas excelſo infractoque animo contempſiſtis. Omnes Eccleſiaſticos à luporum circumſtrepentiũ rabie atque furore tutati eſtis, ſub velamento alarum veſtrarum protecti, tanquam in tranquillum portum illati conquieuimus. Suſtinuiſtis quaſi fortiſsimi Athlantes multiplices hoſtium plenas inſidiarum impreſſiones. Nulla propemodum excogitari fingiue poteſt cauſa ex Ariſtotele in 5. l. de Rep: & Cõrado Bruno I.C. in libris de Hæreſeõ ſeditionum cauſis atque remedijs, ex qua Reſpu. de recto ſtatu deijci, deturbari, moueríque ſolet, quam vos non ſitis iſto difficillimo tempore experti, quam non remoueritis, quam non ſitis amoliti, quam non tanquam callidi naucleri quaſi imminentem tẽpeſtatem longe ante proſpexeritis, prudentique conſilio præoccupaueritis & in contrarium vela verteritis. O vos ter quaterque beatos Agrippinenſes, quos aliena vicinarum Belgarum pericula cautiores reddiderũt. Vobis debemus ſanè, quod non vniuerſa Germania à Catholica fide & religione vno caſu & ruina defecerit. Vobis acceptum referimus, quod non tota ferè Europa peſtilentiſsimi Caluiniani dogmatis barathro abſorpta penitus, & naſſa Caluinianorum hæreticorum ob conſequentiam longam ſit irretita. Vobis tribuendum quod liberi, quod vxores, quod amici, quod bona publica & priuata ſalua & incolumia manſerint. A vobis veſtraque protectione religio ipſa Catholica, ſacra & humana, vitæ ſalus, Eccleſiaſticorum & religioſorum hominũ vita, tranquillitas, quies, defenſio dependebant. Abſq; vobis ſi fuiſſet nil vidiſſemus niſi cruentum ſpectaculum, Eccleſiaſticorum lanienas, bonorum virorum proſcriptiones, exilia, fortunarum direptiones, Reipub: metamorphoſin incredibilem & inauditam, ſumma imis, ima ſummis conuerſa & commutata, pro ariſtocratia extremam viliſſimam Democratiam, pro monarchia tyrannidem oligarchiam peſsimorum habuiſſemus. Hæc tanta veſtra merita & beneficia quiſquis non agnoſcit, ei ſanè extremę ingratitudinis nota eſt inurenda, quiſquis non prædicat, non laudat, non gratias agit, oſtraciſmo dignus eſt tanquam ingratiſſimus & inuidus Reipub. ciuis: Bellum enim hoc erat ſuſceptum, non vt ſimulabatur & prætexabatur, religionis amore, ſed potius Veneris,



ris, gratia, prædarum agendarum, bonorum opprimendorum, euertendæ veræ religionis cauſa gerebatur, Nihil quærebatur niſi veſtræ ciuitatis interitus, veſtrum iugulũ per ſeditiones populares petebatur, veſtræ Reipub. niſi ad eius ſalutem tam diligenter incubuiſſetis interitus & excidium imminebat. Veſtro conſilio, prudentia, Deique prouidentia id effectum eſt, vt ex tanto quaſi naufragio emerſerimus, tantas tempeſtates & ſcopulos ſimus prætereuecti. Veros νομοφύλακας .i. diuinæ legis cuſtodes, veros Eccleſię Dei nutritios iuxta Eſaiæ prophetiam vos reipſa eſſe demõſtraſtis, Imitati fuiſtis exemplum fidelis & ſancti aulici Abdiæ. Vt enim ille contra furores & perſequutiones impij Achab occultat, alit & abſcondit multos prophetas Domini in ſpelunca: ſic vos ſepimento mœnium veſtrorum, armatoque exercitu, diurnis nocturniſque vigilijs ac præſidijs Eccleſiaſticos atque ciues contra frementes frendenteſque lupos, ſcelus anhelantes, gladios ceruicibus noſtris intentantes circumuallaſtis, ſepſiſtis, atq; defendiſtis. Vos ardentem lychnum Catholicæ Eccleſiæ & veræ religionis in veſtra ciuitate, ne à graui exorta tempeſtate eius lumen extingueretur, munita quaſi lucerna ita veſtra authoritate diligentiſſimè cuſtodiuiſtis & protexiſtis. Vos Cyri Perſarum regis in populo Dei liberando ac propugnando ſequuti eſtis exemplum, quẽ propterea Dominus Deus apud Eſaiam cap. 45. vnctum & ſeruum ſuum iuſtitiæ diuinæ adminiſtrũ appellabat. Veſtram ciuitatem fidelem Eccleſiæ Romanæ filiam eſſe, vt ſecreti veſtri ſigilli continet inſcriptio, atque vt à Romanis primo omnium veſtrarum ciuitas tanquam colonia deducta eſt, indeque traxit primordia gentis: ita memores veſtræ originis Romanam germanam religionem & fidem vos publicè profiteri reipſa oſtendere minimè erubuiſtis. Pro ſingulari veſtra prudentia ſeditioſa Caluiniſtarum ingenia ſatis intelligebatis. Dabunt mihi veniam Cauſarij Caluiniſtæ, neque vllo modo iraſci iuſtè poterunt, ſi non meis verbis, ſed vnius ex eorum ſchola profecti non minimi diſcipuli expreſſo teſtimonio apertiſque tabulis, artes & technas ipſorum aperiã, & quot quantiſque inſidijs occultiſq; machinationibus Reſpub. adoriantur, & ad expugnandũ aggrediantur fideliter expoſuero. Si fortè lædantur, non mihi offendãtur ſane, ex cuius pharetra nõ prodit hęc ſagitta, ſed ſuo diſcipulo, qui ſe Pacificũ, nõ Cauſarium haberi vult, omnem culpam attribuant, qui profecto omnium ſecretorum conſiliorum conſcius arcaniſſima quæque detegit, nihilq; eorum quæ ad cauendas artes atque inſidias eius ſectæ pertinent, omninò prætermittit, vt omnes politici Catholici magiſtratus hac parænesi inſtructi & quaſi Antidoto præmuniti, diligenter proſpicere ſibi poſſint, ne in eorũ caſſes & retia incauti imprudenteſq; incidant. Vtinã nos experientia nõ docuiſſet, quotidieque adhuc edoceret, non falſum, ſed certiſſimum ipſorum prophetã perhibuiſſe ac præbuiſſe veritati teſtimonium, non videremus tantas in Belgio viciniſque circumiacentibus prouincijs magno cum animi dolore calamitates. Epigraphe hæc eſt. Petri Carpentarij I.C. Epiſtola ad Franciſcum Portum Cretenſem, in qua docet perſequutiones Eccleſiarum Galliæ non culpa eorum qui religionem profitebantur, ſed corũ qui factionem & cõſpirationẽ (quæ Cauſa appellabatur) fouebant, accidiſſe. excuſa eſt Anno Domini, 1573. ſub inſigni trium liliorum. Verba autem excerpta noſtro inſtituto accommodata, quæ in commune totius Eccleſię commodum inſerenda putaui ſic ſe habent. Sunt Caluini diſcipuli & in eius ſchola edocti, turbulenti, elati, omnia verti, & inuerti volunt, ſeditionibus aluntur, incerta pro certis captant, denique ſignis, quibus pij à perditis in ſacris literis ſeparantur, ijſdem Pacifici ab illis ſecernuntur. Conuentus aſſiduè habent, in quibus de bello, de ſuſcitando tumultu verba ſunt, publicè religionẽ præ ſe ferunt: in abdito, remotis arbitris nihil aliud quam arma & bellum ſpirant. Honeſtam ſpeciem libertatis prætexunt tegendæ conſpirationis ſuæ gratia, prætextum habent malitię, vt ſcriptura loquitur libertatem, in pectore colluuiem quandam impietatis ex multis religionibus compactam geſtant. Quemadmodum Auguſtino auctore ex factionibus & ſeditionibus Iudæorũ, quas in ſua ſynagoga fabricabant atque cudebãt, natæ ſunt omnes Eccleſiæ perſequutiones, ideoque Iudæorum ſynagogam ſentinam perſequutionum appellat: ſic ſeditioſam iſtam Caluiniſticam cohortem omnium horum motuum fontem & ſcaturiginem merito nominare poſſumus. Petulantia, proteruia, conſpiratio iſtorum hominum peſſimam cauſam perditis rationibus promouere cupit, innocentes cum nocentibus nefarijs tumultibus immiſcent, vt innocentes nocentium pœnas luant iramq; ſuſtineant. Iudęi olim apud Principes paganos ſuis turbulentis ingenijs iram Principum in ſe & in Chriſtianos concitarunt, ita vt ex alterius culpa vtrique expellerentur, vti temporibus Claudij factum teſtantur hiſtoriæ & temporibus Traiani propter ſeditionem Iudæorum Chriſtiani licet planè innoxij ciuitate pulſi ſunt, vt hoſtes Reipub. authoritate Senatus. Cum verò Iudæi, natura ſeditioſi atq; rebelles Chriſtianos ad inobedientiam erga Principes & rebellionem commouere nõ poſſent, eos vti acerrimos hoſtes perſequebantur teſte Iuſtino in colloquio cum Tryphone, quod odium Iudæorum in Chriſtianos vſque adeo etiam exarſit, vt temporib. Hadriani, cum Barochabas Iudaicæ factionis Dux, Chriſtianos, quibus religio erat po-

*Eſai. 49.c.*

*3.Reg.18.*

teſtatibus ſuperioribus obſiſtere, ad ſeditionem contra Romanum militem impellere, & armare non valuiſſet, in ipſos Chriſtianos impetum fecit, miramque crudelitatem in illos exercuit: Sic turbulentiores Caluiniſtæ ſiue Bezani, qui cupiunt cauſam malè inſtitutam à ſe aliorum Pacificorum magis ſanguine defendere, ad arripienda arma & ad ſuam conſpirationem quoſlibet etiam tranquillitati ſtudentes adigere conantur. Cum modeſti Muſis & non Marti ſacrificandum putent, hi quauis via vel voce Catholicos, impetendos hoſtili animo aſſerunt, furori dandas habenas prædicant, buccinam illam Sebæ hominis ſeditioſi, qua ad incendendam ſeditionem & ad auertendos animos popularium à magiſtratibus vtitur, perpetuo in ore habent. Et vt animos quieti populi ad ſeditionem excitent, collocatos in eam rem habent aptos miniſtros in eadem ſchola nequitiæ edoctos, qui bona & tranquilla pacataque ingenia furioſis ſuis concionibus à ſana mente tamquam à ſtatione deturbant, Xenocratem ferunt ſua oratione diſſolutorum auditorum corda ita perſtrinxiſſe, vt illo audito multi ex diſſolutis temperantes euaſerint. Verum & horum turbulentorum concionibus nemo melior, nemo modeſtior redit: ſed ex modeſtis & peccatis multi furore illo perciti ad omne patrandum ſcelus feroces audaceſque efficiuntur. Illorum miniſtri nil non faciunt vt pacem publicam oppugnent, & tumultum excitent, Beza ſummus eorum Pontifex qui in lectione laſciuorum poëtarum tantùm in impietate profecit, vt vt pietatem nulla ratione guſtare poſſit, odit, deteſtatur omnes, qui non ad turbas, rixas, contentiones frigidam ſuffundunt: Quicunque cingulum perditæ Caluinianæ ſectæ ſemel acceperunt, eos continuo ita immutatos videbis, in deterius vt alios homines, quaſi in feras beſtias transformatos crederes, neque vllos in album ſuæ ſectæ admittunt, niſi eos, qui ſibi cor prius extrahi patiuntur, vti Nahas, qui nullis conditionibus Iabenſes recipere voluit, niſi paterentur dextros ſibi oculos exſculpi. Et ſi Caluinianis illis Deus vim illam admirabilem verbi (quæ gladij vim habebat) qua Petrus occidit Ananiam & Saphyram, & Paulus excœcauit Elymam, dediſſet, bone Deus, quantas ſtrages ederent in Germania, totam Germaniam ſi poſſent homines furioſi vno ictu iugularent. Proditiones ſuas & inſidias literis ſcriptis notis & immutatis nominibus & fictis perſcribunt, quo ſceleratas ſuas cogitationes maximè tegant, ſuoſque emiſſarios in Catholicis locis diſpoſitos habent, conuentus ad ſeditiones fouendas & alendas cogunt vt incendia & diſſenſiones diſſeminent, ad colligendū, euocandum militem maximam vim pecuniæ ad neruos belli conquirunt, vndique cenſus habent eorum qui iſtam ſectam profitentur capitum & fortunarum. Habent iſti in Conſiſtorio ſuum Principem cateruis ſtipatum, ſuum Cancellarium, ſuos Conſiliarios, ſuos ſecretarios, præfectos ærarij, ſuos legatos, tribunos ſuos ſtationarios, ſuas legiones. quibus muniant Eccleſias tanquam Colonias, hæcque omnia aluntur ſumptibus populi, quia illis ſatellitibus & ad miniſtris impietatis ſtipendia & ſalaria aſſignantur ex ſanguine & ſudore ſubditorum, qui alias ordinarijs tributis & indictionibus exoluendis impares ſunt, eaque adulterina pecunia & venenoſa ex lachrymis & querelis collecta profunditur, & in vſus malos ab ijs abſumitur. Ex ea enim multi inutiles & vita propter turpitudinem & ſcelus indigniſſimi ſplendidè & magnificè aluntur, atque etiam inde nouos ſibi proſelytos acquirunt, expenduntque eam ad quælibet ſcelera & homicidia perpetranda. Seditioſi iſti Caluiniſtæ ſicarios & latrones diuitijs explent, & ſic ſcelerati quique ad eos confluunt, partim ſpe prædæ & rapinarum, ſi bellum quod ſemper moliuntur, inteſtinum exardeſcat, partim etiam præſentis pecuniç cupiditate quæ omnibus præſto eſt qui audacia facinora & cœdes per inſidias pollicentur. His illecebris illecti multi à Catholicis dilabuntur, & perditis Caluiniſtis ſe adiungunt. Multi etiam boni viri prætextu libertatis in illam ſectam impingunt, falsò exiſtimantes nihil in ea tractari, niſi de plena Eccleſiarum libertate, cuius idæam quandam ſibi Caluiniſtarum miniſtri affingunt, & illam vt rem plauſibilem populo venditant. In quo ſanè Simonidem imitantur, qui quoties mulas laudare vellet, equorum, qui eas procreaſſent, non aſinarum inijciebat mentionem. Sic iſti libertatem Euāgelij præclarum ſcilicet colorem in aperto ſimplici popello proponunt, factionis verò & conſpirationis, quæ libertatem Euangelicam inquinat, corrumpit, euertit, nullam penitus faciunt mentionem, cum maxima Chriſtiana libertas ſit ſeruire legibus. Itaq; multi ſimplices & rudes prima illa facie pulchritudinis & ſpecioſo nomine Libertatis allecti tanquam tendiculis capiuntur, & ineſcantur. Verum vti auſter colligit nubes, ſic ſecta Caluiniana flammas diſſidiorum accendit, tumultus & ſeditiones excitat, ad bellum & ad perniciem Reipub: tanquam Catilinarij euigilant, omnem impoſturam & nequitiam nomine religionis celant & tegunt. Multa falſa mendacia ſpargunt in vulgus contra magiſtratus ad populum armandum & incendendum aduerſus legitimum magiſtratum; multa magiſtratibus falsò affingunt, minima etiam magiſtratuum peccata ſupra modum exaggerant, vt populus ad arma concurrat. Miniſtri eorum faſces arripiunt ad incendendam ſeditionem, & populum ad furorem impellunt,

1.Reg.11.

Vide eiuſdē Petri Carpētarij pium & Chriſtianū de armis cōſilium ad Dominum Lomabum Tetridæ & Serena ci Batonē Anno 1595. editum.

pellunt,



pellunt, & læuiſsima quæque ſanguine & cruore lui oportere pro concione clamitant, vociferantur, potentiſſimos Monarchas inter ſe committunt. Artes ſunt peruetuſtæ omnium ſeditioſorum conuitia & maledicta famoſoſque libellos in reges, Conſules, cōſiliarios euomere & ſpargere, qui dum populares videri volunt, iniuſtitiam, oppreſſionem Regum & gubernatorum incuſant, & ſe miſereri populi ſimulant, vt Magiſtratibus conflent inuidiam. Ita Cæſar, ita Catilina; ita Abſalon, ita omnes ſeditioſi & perditi ſuas factiones per populum ſparſerunt. Clanculum fœdera cum extraneis contra Magiſtratus ineunt, plurimi in illo corpore Caluiniſtarum mali proditionis & ſeditionis congeſti ſunt humores, inſtar ſerpentis diſſecti mēbra etiam inutilia adhuc & manca ad ſeditionem commouere nituntur. Atheiſmum in pectore, Chriſtum in fronte gerunt. Chriſtiani ſub gentilibus Impp. cùm ob multitudinem concitare ſeditionem potuiſſent, non armis, ſed precibus ſcriptiſque apologijs cauſam ſuam agebant, hi verò hos pios & ſanctos patres ſibi imitandos eſſe non putant, ſed tanquam ex naufragio erepti ſemper tabulas nouarum ſeditionum colligunt. Beza incendiarius & furia ſpecie religionis & libertatis Chriſtianæ omnes ſtatus regnorum & Rerumpublicarū exagitare & euertere molitus eſt, optandumque vt Gehenna ciuitas Cain receptaculum omnium ſeditioſorum, factionum & conſpirationum officinam, obſideant pij milites, neque obſidionē ſoluant; niſi proiecto ex muris Capite Sebę principis ſeditioſorū, qui & à Dauide defecerat, & populum à legitimo Rege deduxerat. Qui Seba ſi literas nominis & rem attendas veri Bezæ Pontificis Caluiniſtarum typus fuit, qui meretur vt eundem conſpirationum ſuarum fructum ferat, quem ipſe Seba & dignum factis & moribus ſuis exitum habuit. Hactenus ille. Hæ artes, technæ & verſipellia ingenia Caluiniſtarum vobis P.C. comperta erant, diuturnaque experientia penitus cognita atq; proſpecta, eoque cautius & callidius ex præteritis de prçſentibus futuriſq; capere experimenta & documēta, aſtutiuſque obſiſtere nefarijs conatib. eorum potuiſtis: In qua libertate veſtra ſtrenuè defendenda patrum veſtrorum exempla & veſtigia eſtis ſequuti. In monimentis.n. antiquitatis veſtræ ciuitatis tantas laudes reperio, vt cum ea nulla Imperialis ciuitas iure ſit comparanda. Romani Cæſares, qui Roma coloniam huc deduxerunt, tanto dignitatis loco hanc ampliſſimam ciuitatem habuerunt, vt omnes Colonienſes ciuitate Romana donarint, & Coloniam Iuris Italici eſſe voluerint. Teſtis eſt celeberrimus I.C. Iulius Paulus, qui floruit ætate Cæſaris Alexandri Seueri, libr. 2. de Cenſibus: In Germania, inquit, inferiori Agrippinenſes Italici iuris ſunt. Hoc inſigne priuilegium Iuſtinianus primus Imperator colendiſſimæ memoriæ renouauit, & authoritate Imperiali tanquam ſingularem prærogatiuam huius Colonienſis ciuitatis confirmauit, cum eius Maieſtas anno Imperij ſui quarto à Chriſto nato quingenteſimo triceſimo Coss. Lampridio & Oreſte per Tribonianum & eius collegas Theophilum, Cratinum, Dorotheum & Anatolium & vndecim prætorianæ præfecturæ cauſarum patronos, Pandectas Iuris Ciuilis componi mandauit, & reſponſum Pauli I. C. ex libr. 2. de Cenſibus Imperatorijs Pandectis, l. vlt. tit. de Cenſibus inſeruit, & corpori Iuris ciuilis incluſit. Ibi cum enumerentur omnes ciuitates, quæ Iuris Italici fuerunt, ex Germaniç ciuitatibus ſola profectò Colonia nominatur. Neque ſanè hoc priuilegium Iuris ſcilicet eſſe Italici parui faciendum eſt: Etenim quæcunque ciuitates Iuris Italici fuerunt, hoc gaudebant priuilegio, quod facultates ſuas in cenſum deferre non cogebantur, neque vllum tributum ſoluerent, aliaque priuilegia conſequebantur, quæcunque ciuitates liberæ præ alijs ſemper habuerunt, vt Andreas Alciatus ad L. cenſere de verborum ſignificationibus prodidit. Infinitum prope foret enumerando recenſere quantis hanc antiquiſſimam nobiliſſimamque Rempublicam: priuilegijs potentiſſimi, glorioſiſſimi, inuictiſſimique Imperatores ornarint atque cohoneſtarint, qui Coloniam in Germania reliquis ciuitatibus Imperij nobilius eſſe fundatam affirmarunt, quodque gaudeat omnibus libertatibus priuilegijs Iure ciuili clauſis, Imperialibus ſuis ſigillis communiuerunt. Inter aurea verò encomia nulla laus maior fingi, cogitarique poteſt quam quod Iulius Paulus & Iuſtinianus eam Iuris eſſe Italici, apertiſſimè profiteantur. Nam quicunque Iuris erant Italici, libertate fruebantur, æquoque cum Romanis iure agebant. Vt enim Imperatoris faſtigium libenter agnoſcunt, ſic tributis ſeſe atteri, violentia vrgeri, tyrannide opprimi nullo modo patiuntur, vt affirmat antiquitatum inueſtigator diligentiſſimus Alciatus lib. 2. Diſpunctionum cap. 21. & ad L. 1. ff. de Cenſibus, Vlpianus ſanè patriam ſuam ob ius Italicum titulo de Cenſibus, Phœnicem ſplendidiſſimam Tyriorum Coloniam vocat. Quamobrem cum hæc ita ſe habeant, veriſſimè ex Alciato Budeo, Carolo Sigonio ex probatiſsimis hiſtorijs ipſoq; Romano iure confirmari poteſt, Coloniam Agrippinam partem corporis Romanæ vrbis cenſendam eſſe: Etenim oēs Romani ciues, qui in colonias habitatū deducebantur, veri germaniq; Romani permanſerunt, omnemque ſuum priſtinum ſtatum, dignitatem, ac priuilegia nobilitatemque retinuerunt, non aliter quam ſi Romā nō reliquiſſent. Neque enim ea deductio, quæ in eorum vel Reipub: fauorem fiebat, in eorum odium, contra rationem iuris & æquitatis benigni-

Conſulendus Conradus Brunnus I C de cauſis, effectis remedijs ſeditionum & pœnis ſeditioſorum doctè & prolixè.

nigni-

nignitatem erat detorquenda. Et quoniam coloni Romani ciues permanebant, Romanæ vrbis legibus etiam neceſſitatibuſque aſtringebantur, ipſæque Coloniæ non ſolum vt effigies & ſimulachra quædam vrbis Romæ, ſed etiam tanquam naturales & inſitæ partes vrbis Romæ, propter authoritatem amplitudinemque populi Romani in maximo honore fuerunt. Auctor quinetiam eſt Strabo omnes Italos Romanos appellatos, quodque pari cum Romanis libertate fruerentur, æqualique iure viuerent, quotque ac quicunque prouinciales ius Italicum erant conſequuti, æquo cum Romanis libertatis iure gaudebant. Cum itaque Colonia Agrippina vera & naturalis à Romanis deducta Colonia ſit, & καθ' ἐξοχὴν per quandam excellentiam Colonia Agrippina pro nobiliſſima Colonia vſurpetur, cumque eadem Iuris Italici ſemper fuerit, optimo iure Colonia inſita quaſi pars vrbis Romæ appellari poteſt. Iam verò ſi Cæſarum Romanorum priuilegia vobis gratioſè conceſſa atque indulta ad animum reuocemus, reperiemus tantum veſtram ciuitatem inter reliquas vrbes Germaniæ caput efferre, quantum doctæ Athenæ Græciæ ciuitatibus, aut Roma gentium Domina Italiæ, totiuſque orbis vrbibus præluxit. Cæſares vocant ciuitatem veſtram nobilem præ cæteris ciuitatibus partium Alemanniæ nobilius fundatam, varijs libertatibus, honoribus & priuilegijs ſuper omnes ciuitates partium Alemanniæ multipliciter inſignitam, grata probitatis merita, indefeſſam fidei conſtantiam, varia fideliaque ſeruitia, quibus Colonienſes ciues Maieſtates ſuas & ſacrum Romanum Imperium flagrantibus animis & ſolertibus ſtudijs frequentius honorauerunt, laudibus extollunt, omniaque ipſorum priuilegia & conſuetudines confirmant. In omnibus Imperij Receſſibus Agrippinenſes primam ſeſſionem inter ciuitates obtinuiſſe inueniuntur, eiuſque poſſeſſionis tam longa diuturnaq; eſt præſcriptio, vt eius initij nulla planè extet memoria. Quid ſi ab ipſo fonte originem veſtram primam inueſtigare libeat, quis ignorat Agrippinenſes eſſe Vbios Germanicæ origenis iureque Coloniarum vſos. Quanta verò fortitudo & humanitas Vbiorum extiterit, locupletiſſimi ſunt teſtes Iulius Cęſar, Cornelius Tacitus, atque Suetonius: Et quibuſcunque olim Coloniarum ius erat tributum, ij, vt Alciatus ad titulum de Cenſibus annotauit, in maiori honore propter authoritatē amplitudinemq; populi Romani ſemper fuerunt. Iulius Cæſar fortunatiſſimꝰ initio Imperator cum Vbiorum fortitudinē fidemque exploratam haberet, eos ſolenni fœdere in amicitiam S.P.Q.R. recepit: Auguſti temporibus Vbiorum gens in vlteriorem Rheni ripam transgreſſa eſt, ibidem oppidum condere, atque in eo circumque illud habitare cœpit, illamque Vbiorum gentem M. Agrippa Auguſti gener auus Agrippinæ Germanici filiæ, quam Claudius Cæſar ſibi matrimonio coniunxit, in fidem tutelamque ſuam accepit. Agrippina deinde ipſa quidem non deduxit Coloniam in ciuitatem Vbiorum, ſed cum iſthæc nata eſſet, eo Coloniam deduci à Claudio marito facilè impetrauit. Si fidei Catholicæ profeſſæ antiquitatem ſpectemus, ſtatim Anno 96. poſt Chriſti aſcenſionem à Materno Diui Petri diſcipulo inter primos Germaniæ populos Chriſto fidem dediſtis, eique ſalutari Sacramento baptiſmi fuiſtis initiati. Zachariæ Pontificis ea erga vos clementia paternuſque affectus fuit vt Coloniam tanquam fidelem Catholicæ Eccleſiæ filiam in metropolim erexerit atque euexerit. Antiqui Hiſtoriarum ſcriptores Ptolomæus & Marcellinus Coloniam caput Germaniæ ſecundæ ſeu inferioris occidentaliſque Saxoniæ elegantiſſimè laudatiſſimeque appellant. Prętereo grauiſsima antiquiſsimorum probatiſſimorum Græcorum Latinorumque Scriptorum & Hiſtoricorum teſtimonia de Vbiorum antiquitate, tranſmigratione, fundatione, ſanctitate, antiquitate vrbis Coloniæ Agrippinæ de M. Agrippæ, Agrippinæ & Neronis genealogia. Sanè Cornelius Tacitus lib. 2. Annallium Agrippinenſes laudat ab opulentia & auctu vſque adeò vt hoc nomine gentibus Tranſrhenanis fuerint inuiſi, ex oratione Tencterorum legatorum ad Agrippinenſes apud Tacitum eodem loco colligitur. Colonienſes in corpus nomenque Germaniæ rediiſſe gratulantur eis Tencterorum legati, quod liberi inter liberas ſemper extiterint: Hortantur ijdem vt pugnent pro libertate contra Romanos, ad libertatem aſpirent, abrumpant vectigalia Romanis, vt ſyncerus, integer, ſeruitutis oblitus populus aut ex æquo agat, aut alijs imperitet, In reſponſione ad orationem legatorum Agrippinenſes libertatis facultatem arripiunt auidè & Tencteris cæteriſque Germanis conſanguineis cōiunguntur quidem, ſed vt fœdera cum Romanis inita rumpant, adduci nullatenus poſſunt, ſed mittunt legatos ad duces Romanorum, cumque ijs ſocietatem ineunt, inducique ſe non patiuntur, vt muros diruant, parentes, fratres, liberos à Romanis oriundos interficiant. Nam Agrippina, ait Cornelius Tacitus, patria eſt deductis olim ex Italia, aut prouincijs alienigenis Agrippinenſibus per coniugium ſociatis, quique mox inde prouenêre. Ex quo inſigni Taciti loco maiores veſtros libertatis amantes, Germanici partim, partim Italici ſanguinis, Romanorum ſocios, Romani fœderis & ſocietatis tenaciſſimos ac continentiſſimos; ab ipſiſq; Romanis oriundos fuiſſe certo deprehenditur. Iulius Cæſar lib. 4. Hiſtoriæ belli ciuilis Vbiorum gentem florentem & amplam appellat, & ab humanitate ita commendat, vt cæteris Germanis hoc nomine præferat, nec

minus



minus à ſitu loci quod Rhenum attingant, & à mercaturę frequētia eoſdem offert. Hæc igitur humanitas veſtra libertatis propugnandæ, & Catholicæ religionis veſtrumque erga nos germanos declaratum ſuſceptumque patrocinium defendendæ indefeſſum aſſiduum continuumque ſtudium inprimis me permouit, vt poſtremum hunc Tomum Hieronymianę Confeſſionis veſtris Amplitud. dedicarem, in qua ſana ſaluberrimaque Catholica dogmata ea continentur, contra quæ hoc exulceratiſſimo deploratiſſimoq; ſæculo inferorum portæ; hoc eſt hæreticorum phalanges omni impetu, omnique armaturæ genere hoſtiliter quidem, ſed fruſtra inſurgunt, atque fremunt: in qua etiam ea doctrinæ Catholicæ veræ & incorruptæ capita ſunt comprehenſa, quæ vos Patres conſcripti Ampliſsimique viri difficillimo nuper tempore cum capitis fortunarumque omnium periculo eſtis tutati. Orare non intermittam omnipotentem Deum patrem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt eam vobis mētem voluntatem ac propenſionem in defendenda Catholica religione non eripiat, ſed exemplo moreque maiorum perpetuam conſtantemq; eſſe velit. Obnixè quod id ab Amplitud. V. etiam atque etiam peto, vt Muſas in veſtrum patrocinium ſuſcipere, ſtudiaque mea contra æmulorum quorumlibet inuidiam atque inſidias clypeo veſtræ authoritatis protegere, fauore proſequi, gratioſeque complecti velitis. Ego, ſi quid vnquam in me erit quo præſtare poſſim quicquam, quod ad veſtræ Reipub. ornamentum dignitatemque amplificandā imprimis: tum etiā ad vniuſcuiuſq; veſtrum honorem procurandum, famam propagandā ac celebrandam vllo modo facere ac ſpectare videbitur, efficiam profectò vt nec animum, nec ſtudium nec voluntatem meam promptam poſſitis deſiderare: Potentiſſimꝰ Clementiſſimuſq; Deus Amplitudines Veſtras atque Rempub. Veſtram tranquillam, pacatam ab omni ſeditionum inteſtinorumque motuum genere, & à clam ſerpente, cancri inſtar, hęreſeos veneno liberam ac immunem ſemper cuſtodire & conſeruare dignetur. Coloniæ ex meo Muſæo in Collegio SS. Apoſtolorum, Anno virginei partus totiuſque mundi, per Chriſtum reſtaurati 1585. die 22. Februarij ipſo Cathedræ Petri feſto.

V.[ſtrarum]

*Amplitud.*

*obſequentiſſimus humilimuſq; in Chriſto cliens Cornelius Schultingius Steinvvichius.*

# CARMEN ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΟ'Ν SEV E'ΞΗΓΗΤΙΚΟ'Ν

CLARISSIMI CONSVLTISSIMIQVE VIRI, PETRI SCHVLTINGII STEINVVICHII I. V. D. PROFESSORISQVE ORDINARII, Iuris Canonici apud Agrippinenſes primarij, & Ampliſſimi Senatus Colonienſis Syndici, ad iuniorem fratrem CORNELIVM SCHVLTINGIVM STEINVVICHIVM, Hieronymianæ Confeſſionis Collectorem, Digeſtorem, & Interpretem.

*NOn aliter patres Hieronymus inter auitos*
*Emicat, ac inter ſidera ſolis equi.*
*Hiſtoriam Hebræis, & Græcis fontibus hauſtam*
*Percipies ipſo, & myſtica ſenſa duce.*
*Illius vbertas, & diuitis aurea linguæ,*
*Inſtar inexhauſti copia fontis erat.*
*Hæreticos preßit, fera dum diſcordia ſerpſit,*
*Et ſummi lacerum carpſit ouile Dei.*
*Teſtis es, afflictis ſi dei quàm rebus adeßet,*
*Non habilis numero Iouiniane meo.*
*Ille tibi exemplum Proſper venerabile morum,*
*Præceptor mundi dicitur ille tibi.*
*Moribus vt ſanctis docuit, ſic arte fideq;:*
*His tribus officium conſtitit omne ſenis:*
*His Italos, Gallos, Hiſpanos, atq; Britannos,*
*Teutonas, his docuit ſolis vtrumque latus.*
*Hinc iuueneſq;, ſeneſque, patreſq;, ſacræque puellæ,*
*Hinc monachi, monachæ, pontificeſq; ſacri:*
*Hinc, inquam, hinc omnes populi reſponſa petebant:*
*Hæc domus oraclum totius orbis erat.*
*Cenſor erat Cleri, morumq; ſeuerus, & idem*
*Fortis in hæreticas ore ſtiloq; manus.*
*Hic ſimul inuidiæ ſtimulos, odiumque ferebat,*
*Cordaque ſacrifici paſtor iniqua gregis:*
*Publica famoſas idem per compita chartas,*
*Hæreticæ ſenſit turpe cohortis opus:*
*Attamen Entellus velut inſuperabilis alter,*
*Bos laſſus poſuit fortius ille pedem.*
*Dignus erat certè, te frater vt auſpice poſſet*
*Iſte vir in toto clarior orbe legi.*
*Perge ita; ſic veterū germane volumina patrum*
*Illuſtra ſcholijs, ordine luce noua.*
*Vtq; tibi veniat, laudum ſeges amplior olim,*
*Poſt cineres etiam non peritura tuos:*
*Qua modò Pannonius pater, hac Tertullius arte,*
*Hac pius in lucem fac Cyprianus eat.*
*Interea cœptos Breuiari abſolue labores,*
*Pulcher & Officij ſplendeat ordo ſacri.*
*Cura erit vna mihi ſpartam quam nactus vt ornem;*
*At tua ſcripta ferant, relligionis, opem.*
*Gnauiter hic æquam partem curemus vterque,*
*Et referet meritis optimus æqua Deus.*

# CONFESSIONIS HIERONYMIANÆ TOMVS QVARTVS,

IN VNDECIM CAPITA DISTRIBVTVS, IN QVIBVS DE EMENDATORIO IGNI, SANCTORVM VENERATIONE, IEIVNIO, CIBORVM DELECTV, QVADRAGESIMA, caſtitate virginū, cælibatu Eccleſiaſticorū Monachatus antiquitate, Imaginib. diuerſis ritibus Eccleſiaſticis, Antichriſto, nouiſsimiſq; temporibus peragatur.

## *Caput I. De emendatorio Igni.*

### *Articulus I. Animas poſteaquam è corpore migrarint, per particulare iudicium ad varia loca deſtinari.*

ET ecce apparuerūt illis Moyſes & Elias cū eo loquētes.] Scribis & Phariſæis tentantib. ſe, & de cælo ſigna poſcentib. dare noluit: ſed prauā poſtulationē confutauit reſponſione prudenti. Hic verò vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo, Elia inde aſcendente, quo cōſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente: ꝙ & Achaz per Eſaiā pręcipitur, vt petat ſibi ſignū de excelſo, aut de inferno. Nā quod dictū eſt. Apparuerunt illis Moyſes & Elias cū eo loquentes, & in alio refertur Euangelio nunciaſſe ei, quæ Hieroſolymis paſſurus eſſet, Lex oſtenditur, & Prophetæ, qui paſsionem Domini & reſurrectionē crebris vocib. nuntiarunt. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 17. Matthæi.*

*Elias deſcendit de cælo, quò conſcenderat.* *Eſaiæ 7.* *Moyſes ab Inferis reſurgit.* *Lucæ 9.*

*Obiectiones de duobus tantum extremis locis*

QVANDO *anima vinculis laxata corporeis volandi quo velit, ſiue quo ire compellitur propter tenuitatem ſubſtantiæ habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur (de quibus ſcriptum eſt, Conuertantur peccatores in infernum omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum: & : in inferno quis confitebitur tibi. & : Deſcendit in infernum gloria tua) aut certè ad cæleſtia ſubleuabitur. Tom. 5. Com. in c. 9. Amos.*

QVOD *ſequitur, & ſi ceciderit lignū ad auſtrū, aut ad aquilonē, in locum, vbi ceciderit lignū, ibi erit: Illud de Habacuc, ſumamus exemplū: in quo ſcribitur: Deus de Theman veniet: quod alij interpretes ediderunt. Deus ab auſtro veniet. Et quantū ego exiſtimo ſemper in bonam partem accipitur auſter. Vnde & in Cantico Canticorū dicitur. Exurge Aquilo, hoc eſt, recede & abi, & veni auſter. Lignum igitur, quod in hac vita corruerit, & cōciſione mortalitatis fuerit inciſum, aut peccauit ante, dum ſtaret, & in boreæ parte poſtea ponetur: aut ſi dignos auſtro fructus attulerit, in plaga iacebit auſtrali. Nec eſt aliquod lignum, quod aut ad aquilonem non ſit, aut ad auſtrum: Hoc idem ſignificat & illud quod ſcriptum eſt in Eſaia: Dicam Aquiloni adhuc & Africo, noli prohibere. Tom. 5. Com. in cap. 11. Eccleſ.*

SCHOLIA.

HIS *locis & potißimum poſtremo abutuntur Catholicæ religionis aduerſarij ad euertendum purgatorium. Verùm hæc pronunciata, eò ſpectāt, vnumq; hoc probant, quod nulli Catholicorum inficiantur, nempè non tres aut plures cum Pelagiano perpetuas mortaliū ſedes conſtituēdas eſſe, ſed duas tantummodò, ſiue eas proprijs nominibus appellas cælum & infernum; ſiue metaphoricis auſtrum & aquilonem, dexteram & ſiniſtram, Babylonem, & ciuitatem ſanctam Hieruſalē; ſiue alijs quibuſcunq;: plurib. enim vtraq; in ſcripturis et patrū monumētis deſignatur. Sed interim id nō impedit, quò minus plures tēporarias manſiones conſtituere poſſumus. Nā alioquin veteris teſtamēti patres, qui vtiq; & fideles erāt, & filij regni erant, et iuſti & amici erant, & auſtrū verſus ceciderāt, adhuc apud inferos cōmorarentur: quod & dictu abſurdū eſt, et à fide abhorret prorſus: Emēdatorius aūt ignis non eſt continuū ac perpetuū domiciliū, ſed breuè & tranſitoriū: vel quidā, quaſi aſper anfractus, per quē ad regnū tandem peruenitur. Non. n. qui iſthic adhuc hærēt, vltimū terminū attigerunt, ſed detinentur in medio prout mediū quoq; ſtatū inter merè viatores, & abſolutè cōprehenſores obtinet. Etenim cū comprehenſoribus cōmunem habēt impetratæ gratiæ firmitatē, abſolutāq; longioris meriti impotentiā: cū viatorib. aūt pœnas poſſe perpeti; nec non cū viatorū, tum cōprehenſorum quoq; ſuffragijs poſſe iuuari, & per cōſequens diuinæ viſionis iucūditate non dū perfrui. Sed cū nō tres, vel plures, ſed dūas ſolū perennes hominū ſedes aſsignādas eſſe affirmamus, puerorū non regeneratorū limbū ſemper excipimus, quanquā hic nihil ſtatuo, nec definio, ſed quid probabile ſit indico. Quod aūt attingit* Cap. 11. *præſentē locū Eccleſ. dum Salomon ibi lignū perpetuo manſurū aſſerit, vbi ciciderat, nihil aliud ſignificat, quàm vnum quēq; mortaliū poſt hanc vitā ſtatū nanciſci planè incōmutabilē. Quicūq;. n. in charitate, quæ omniū interpretū ſententia per auſtrū deſignatur, hinc deceſſerūt, illi nunquā inde excidēt. Rurſum quicūq; capitali peccato obnoxij vitam finierūt, ij nunquā via ſaltē ordinaria, inde eximitur. Ac quotquot in emēdatorio igne purgantur ad vnū oēs Auſtrū verſus ceciderūt: quēadmodū illi quoq;, qui ante Chriſtū natū in Patrū limbo claudebātur. Vnde vt hi in illo loco non ſemper permāſerunt, ſed dūtaxat ad certū tēpus, donec nimirū debitū, quod nō ſolum ſingula humanæ naturæ indiuidua, ſed ipſam quoq; naturā quodāmodo obſtrictā tenebit, per Chriſti ſanguine tolleretur: ſic iuſti poſt Chriſtū paſſum in emēdatorio igni nō hærent ſemper, ſed eouſq; tantū, donec dignas peccatis pœnas exoluerint, adhærēteſq; peccati maculas eluerint. Petrus Cretæ archiepiſcopus li. 4. Senten. diſtinct. 21. ait in priori teſtimonio, Hieron. nō loqui de ſolutione animæ, quæ fit per naturā adueniēte morte corporali, ſed de ſolutione volūtaria et ſpirituali animæ à corpore per ſpeculationē & contēplatione; in qua anima ita ſeparatur à corpore, vt corpus nō ſeparetur ab anima, atq; hunc ſenſum apertè oſtēdūt ſequētia verba Hier. cū inquit: aut certè ad cæleſtia ſubleuabitur, vbi ſūt ſpiritualia nequitiæ in cæleſtib.*

### *Articulus II. Animas poſt hanc vitam, neque in periculo peccandi verſari, neque amplius mereri.*

MELIOR eſt canis viuens leone mortuo.] Quia ſupra dixerat, cor filiorū hominū impleri malitia & ꝓcacitate, & poſt hęc omnia morte finiri: nūc eadē cōplet, & repetit, donec viuūt homines, eos poſſe fieri iuſtos, poſt mortē, nullā boni operis dari occaſionē. Peccator. n. viuēs poteſt melior eſſe iuſto mortuo, ſi voluerit in eiꝰ trāſire virtutes: vel certè eo, ꝙ ſe in malitia, potētia, procacitate iactabat, & mortuꝰ fuerit: melior poteſt quis pauper eſſe & viliſsimꝰ. Quare? quia viuētes metu mortis poſsūt bona opera perpetrare: mortui verò nihil valēt ad id iudicare, ꝙ ſemel ſecū tulere de vita: & *Pſalm. 5.* obliuione obuoluta ſunt omnia, iuxta illud ꝙ in Pſal. ſcriptū eſt: Obliuioni datꝰ ſum tanquā mortuꝰ à corde. Sed & dilectio eorū, & odiū, & ęmulatio, & omne, ꝙ in ſęculo habere potuerūt, mortis finitur aduētu: nec iuſtè quippè poſsūt agere, nec

*Mortui nec iuſtè poſſunt agere, nec peccare.*

peccare,nec virtutes adijcere,nec vitia. *Tom.5.Cõ. in caput 9. Eccleſiaſtis.*

*Apud inferos non eſt locus pœnitentiæ. Ioan 9.*

OMNIA quæ inuenit manus tua, vt facias, in virtute tua fac, &c.] Fac quodcunq; nunc potes & labora. quia cũ ad infernum deſcenderis, locus non erit pœnitentiæ, Huic quid ſimile à Saluatore præcipitur: Operamini dũ dies eſt: veniet nox, quando nemo poterit operari. *Ibidem fol.24.*

*Pſalm.6.*

DVM autem irent emere, venit ſponſus.] Dant quidem quaſi prudentes conſiliũ, quod non debeant ſine oleo lampadarum ſponſo occurrere: verũ quia iã emendi tẽpus exceſſerat,& aduenĩẽte iudicij die, locus non erat pœnitentiæ, Pſalmiſta dicente: In inferno aũt quis confitebitur tibi? non noua opera patrare, ſed pręteritorũ coguntur rationem exoluere. *To.6.lib.4.Com.in c.25.Matth.*

ET quæ paratæ erant, intrauerunt cũ eo ad nuptias,& clauſa eſt ianua.] Poſt iudicij diẽ, bonorũ operũ,& iuſtitię occaſio nõ relinquitur. *Ibid.mox.*

*Tempus ſementis eſt hac vita.*

ERGO dum tempus habemus, operemur bonũ ad omnes,&c.] Tempus ſementis (vt diximus) tẽpus eſt præſens, & vita quã currimus. In hac licet nobis, quod volumus ſeminare. Cũ iſta vita trãſierit, operandi tempus aufertur. Vnde & Saluator ait: Operamini, dũ dies eſt: veniet nox, quando iã nullus poterit operari. *Ioan.9.* Ortus eſt nobis Dei, ſermo, ſol verus, & congregatæ ſunt beſtiæ, recedentes in cubicula ſua: procedamus vt homines ad opus noſtrum,& vſq; ad veſperam laboremus, ſicut myſticè cantatur in Pſalmo. Poſuiſti tenebras, *Pſalm.103.* & facta eſt nox: In ipſa pertranſibunt beſtiæ ſyluæ, catuli leonũ rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi: Ortus eſt ſol & cõgregata ſunt & in cubilib. ſuis dormierunt. Egredietur homo ad opus ſuũ, & ad operationem ſuam, vſq; ad veſperam. *Tom.6.lib.3.Com.in cap.6.ad Galat.*

PRO hac impietate orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.] Tempus opportunũ ad exorandum pro peccatis, hæc vita eſt, in qua ideò ſancti orant, quia nemo eſt à peccatis immunis. *Tom.7.Com.in Pſalmum 31.*

*Pſal.6.*

*In inferno non eſt pœnitentia contra Origeniſtas.*

QVONIAM in ſæculum miſericordia eius,] Videte quid dicit in ſæculum. In inferno autem quis confitebitur Domino? Nemo eſt enim, qui poſsit in inferno agere pœnitentiam. Dum eſtis in hoc ſæculo: hortor vos agere pœnitentiã. Confitemini ergo Domino: quoniam in iſto tantum ſæculo miſericors eſt. Hic miſereri poteſt pœnitẽti: quia ibi iudex eſt, non eſt miſericors. Hic miſericors eſt, ibi iudex eſt. Hic porrigit manum cadẽti: ibi ſedet iudex. Hoc autem totum dixi ad eos, qui dicunt, quoniam in inferno eſt pœnitentia. *Tom.7. Com.in Pſal.105.*

## *Articulus III. Animas in Domino morientiũ, ſaluas fore certum eſſe.*

*Blæſilla angelorum cõſortio fruitur.*

TESTOR mi Paula, Ieſum, quẽ Blæſilla nunc ſequitur: teſtor ſanctos angelos, quorum cõſortio fruitur; eadem me dolorum perpeti tormẽta, quæ pateris: patrem eſſe ſpiritu, nutritium charitate, & interdũ dicere: Pereat dies illa, in qua natus ſum. Et, Hei mihi mater, vt quid genuiſti *Hiere.15.12.* me virum, qui dicerer diſcrimen omni terræ. Et illud iuſtus es Domine, veruntamen iudicia loquar ad te. Quid eſt, quod viæ peccatorum proſperantur? *Pſalm.72.* Et, Mei quoque penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorũ vidẽs. Et dixi: Quomodo cognouit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores,& abundantes in ſæculo, obtinuerũt diuitias. *To.1.Epiſt.25.ad Paulam cap.1.*

CLAMAT nunc illa lugenti, ſi vnquam me amaſti mater; ſi tua vbera ſuxi, ſi tua inſtituta ſum monitis; ne inuideas gloriæ meæ, nec hoc agas, vt à nobis in perpetuum ſeparemur. Putas eſſe me ſolam? Habeo pro te Mariam matrem Domini, multas hic video, quas ante neſciebam, ô quanto melior eſt iſte comitatus, habeo Annam, quondam in Euangelio prophetantem; & quo magis gaudeas, tantorum annorũ labores, ego in tribus menſibus conſecuta ſum. Vnam palmam caſtitatis accepimus. Miſereris mei, quia mundũ reliqui? At ego veſtri fortẽ doleo, quos adhuc ſæculi carcer includit, quos quotidie in acie præliantes, nũc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum, pertrahunt ad ruinam. Si vis, vt mater mea ſis, cura placere Chriſto, non agnoſco matrem meo Domino diſplicentem. Loquitur illa & alia multa, quæ taceo,& pro te Dominũ rogat, mihiq;, vt de eius mente ſecurus ſum, veniã impetrat peccatorum: quod monui, quod hortatus ſum, quod inuidiam propinquorum, vt ſalua eſſet, excepi. *Ibidem cap.6.*

*Fœlicitas Blæſillæ quã fruitur in cœlo.*

*Lucæ 2.*

EGREDERE, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto,& mortẽ times? *To.1.in vita Hilarionis.*

## *Articulus IIII. Purgatorium ignem, vel temporarias pœnas multis poſt mortẽ ſupereſſe.*

*Per ignem purgantur ſancti et ſanctificantur.*

PROPTER hoc,&c.] Pro eo, quod nos vertimus; mittet Dominus in pinguibus eius tenuitatem: Lxx. tranſtulerunt, ἀποστελεῖ κύριος εἰς τὴν σὴν τιμὴν ἀτιμίαν, id eſt, mittet Dominus in honorem tuum ignominiã. Et pro eo, quod nos diximus: Et ſanctus eius in flamma: illi verterunt καὶ ἁγιάσει αὐτὸν ἐν πυρί, id eſt, & ſanctificabit eum in igne per quod quidem intelligi volunt, pœnas atq; tormenta ad hoc adhibere peccatoribus vt diuino igne purgentur. *To.4.lib.4.Cõ.in c.10.Eſaiæ.*

ET egredientur,& videbũt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me.] Si quis habeat in conſcientia ſua zizania, quæ inimicus, homo dormiente patreſamilias ſuper ſeminauit: hæc ignis exuret: hæc vorabit incendium. Et omnium ſanctorum oculis eorum ſupplicia monſtrabuntur: qui pro auro & argento, & lapide pretioſo ædificauerunt ſuper fundamentũ Domini, fœnũ, ligna, ſtipulã, ignis pabulũ ſempiterni. Porrò, qui volunt ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tẽpora, tamen terminũ habere tormenta, his vtuntur teſtimonijs. Cũ intrauerit plenitudo gentiũ, tunc omnis Iſrahel ſaluus fiet. Et iterũ: Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnib. miſereatur. Et in alio loco ſanctus loquitur: iram Dñi ſuſtinebo, quia peccaui ei: donec iuſtificet cauſam meam & auferat iudiciũ meũ, & educat me in lucem. Et rurſum: Benedicã te Dñe, quoniam iratus es mihi. Auertiſti faciẽ tuam à me, & miſertus es mei. Dñs quoq; loquitur ad peccatorẽ: Cũ ira furoris mei tranſierit, rurſum ſanabo. Et hoc eſt, quod in alio loco dicitur: Quã grandis multitudo bonitatis tuæ Dñe, quã abſcondiſti timentib. te. Quæ omnia replicant, aſſeuerare cupientes, poſt cruciatus atq; tormẽta, futura refrigeria, quę nũc abſcõdẽda ſunt ab his, quib. timor vtilis eſt: vt dũ ſupplicia formidant: peccare deſiſtant. Quod nos Dei ſoli⁹ debemus ſcietię derelinquere: cui⁹ nõ ſolũ miſericordię, ſed & tormẽta in põdere ſunt,& quem, quomodo, aut quãdiu debeat iudicare. Solumq; dicamus, ꝙ humanæ conuenit fragilitati: Dñe ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et ſicut diaboli & omniũ negatorũ atq; impiorum, qui dixerunt in corde ſuo: Nõ eſt Deus: credimus ęterna tormẽta: Sic peccatorũ atq; impiorũ,& tamẽ Chriſtianorũ, quorum opera in igne ꝓbanda ſunt atq; purganda, moderatã arbitramur & mitiam clementiæ ſanctitatem iudicis *Tom.4.lib.18.Com.in cap.66.Eſaiæ.*

*Ignis exuret zizania.*

*1.Cor.3.*

*Argumenta Origeniſtarũ qui volunt æterna ſupplicia finiri.*

*Rom.11. Galat.3.*

*Rom.11. Mich.7.*

*Sup.12.*

*Pſal.30.*

*Tormentorũ diuturnitas Dei iudicio relinquitur. Pſal.6.& 37.*

*Pſal.12.*

*Chriſtianorũ opera igne probanda. In purgatorij pœnis moderata & myſtica clemẽtiæ ſententia iudicis. 1.Cor.3.*

SI laueris te nitro,&c.] Qui leui peccatorũ ſorde maculatus eſt, leuiorib. purgatur monitis. Porro peccata grauia, quę ad mortem trahunt, nec nitro nec herba borit, dilui poſſunt: ſed grauiorib. tormentis indigent. Vniuſcuiuſq; enim opus quale ſit ignis probabit, & in igne reuelabitur. *Tom.4. lib.1.in cap.2. Hieremiæ.*

*Omnes ſancti per ignẽ ſaluabuntur*

QVI tangit mõtes & fumigãt.] Sancti fumigãt: quoniã oẽs per ignẽ ſaluabũtur. *To.7.Cõ.in Pſal.103.*

## *Articulus V. Ex illis verbis Matth.5. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dũ es cum eo in via, ne fortè te tradat aduerſarius iudici, & Iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſsimũ quadrantem, collegere Hieronymum peccata quædam poſt mortem remitti poſſe.*

*Matth.8.*

SERVA fœdus, quod pepegiſti:& eſto conſentiens, pactumq; cuſtodiens cũ aduerſario tuo, dum es in via huius ſæculi: ne fortè tradat te iudici,& te de ſuo aliquid vſurpaſſe conuincat: tradarisq; miniſtro, qui ipſe eſt,& inimicus & vindex, & mittaris in carcerem & in tenebras exteriores, quæ quantò à Chriſto vero lumine ſeparantur, tantò nos maiori horrore circundant: & nõ inde exeas, niſi ſoluas nouiſsimum quadrantem, id eſt, minimũ quoq; delictum: quia & pro otioſo verbo reddituri ſumus rationẽ in die iudicij. Hæc dicta ſunt non infauſto contra te vaticinio, ſed pauidi cautiq; monitoris officio, ea quoq; in te, quæ tuta ſunt, formidantis. Si ſpiritus, inquit, poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Quaſi in procinctu, & in acie ſtamus ſemper ad pugnã. Vult nos loco mouere hoſtis,& de gradu decedere: ſed ſoli danda veſtigia ſunt,& dicendum: Statuit ſupra petram pedes meos,& petra refugium leporibus. *To.1.Epiſt.8.ad Demetr.c.5.*

*Matth.22. Matth.12. Ex carcere liberantur animæ ſolutis leuioribus delictis.*

*Eccleſ.30.*

*Pſal.39.*

ESTO conſentiens aduerſario tuo citò, &c.] Quidam coactius diſſerunt, in baptiſmate ſingulos pactũ inire cum diabolo: & dicere: Renuncio tibi diabole & põpæ tuæ, & retijs tuis, & mundo tuo, qui in maligno poſitus eſt. Si ergo ſeruauerimus pactũ, beneuoli & conſentiẽtes ſumus aduerſario noſtro, & nequaquã in carcere recludendi. Sin verò quidquã tranſgreſsi fuerimus eorũ, quæ diabolo ſpoſpõderamus, trademur iudici ac miniſtro,& mittamur in carcerem, & nõ exibimus ex eo, donec reddamus nouiſsimũ quadrantẽ. Quadrãs genus eſt nũmi, qui habet duo minuta. Vnde & in alio Euangelio, mulier illa pauper & vidua dicitur miſiſſe quadrantem in carbonã: & in alio duo minuta. Non ꝙ diſsonent Euãgelia, ſed quod vnus quadrans duos minutos nummos habeat. Hoc eſt ergo quod dicit: Non egredietis de carcere, donec etiam minima peccata perſoluas. *Tom.6. lib.1.Com.in cap.5.Matthæi.Can.6.*

*1.Ioan.6.*

*Minima peccata in carcere exoluẽda. Matth.12. Luc.21.*

## *Articulus VI. Quomodo intelligẽdum illud Apoſt.1.Cor.3. Vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit.*

SECVNDVM gratiã Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentũ poſui: alius aũt ſuperædificat, fundamẽtum.n. aliud nemo poteſt ponere, prærerquã id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis aũt ſuperædificat ſuper fundamentũ hoc, aurum, argentũ, lapides pretioſos, ligna fœnũ, ſtipulã, vniuſcuiuſq; opus apparebit. Dies enim Dñi illud manifeſtabit: quoniã in igne reuelabitur,& ſingulorũ opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, ꝙ ſuperædificauit, mercedẽ accipiet. Si cuius opus arſerit; detrimentum patietur ipſe aũt ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem. Si is, cuius opus arſit, & perijt,& damnum ſuſtinuit laboris ſui, perdet quidem laboris prœmiũ, ſed ipſe ſaluabitur, nõ tamen abſq; probatione ignis: ergo is, cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, ſine ignis probatione ſaluabitur, & inter ſaluationẽ & ſaluationem erit vtiq; diuerſitas aliqua. *Tom.1.lib.2.contra Iouinianum, cap.3.*

*Abſque ignis probatione quidam non ſaluandi.*

*Duplex modus ſaluationis.*

*Apocaly 6.*

ET volauit ad me vnus de Seraphim, &c.] Quod altare, ſub quo animæ martyrum ſunt, videatur in cælo; & Ioan. in Apocalypſi loquitur: & calculus iſte, qui à ſolis Lxx. ἄνθραξ .i. carbũculus eſt interpretatus, poteſt non carbonem ſignificare, vel prunã, vt pleriq; exiſtimant, ſed ἄνθρακα .i. carbunculũ lapidem: qui ob coloris flammei ſimilitudinem igneus appellatur. Ex quo intelligim⁹ altare Dei plenum eſſe carbunculis, hoc eſt, ignitis calculis,& prunis, peccata purgãtib. Vnde ſcriptum de Deo legimus: Carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Et de ipſo Dño dicitur, quod ignis cõſumens ſit. Et Saluator in Euãgelio: Ignẽ veni mittere ſuper terrã, vt baptizaret in ſpiritu S.& igni. Vniuſcuiuſque.n. opus quale ſit ignis probabit. Et qui ſaluandus eſt, ſic ſaluabitur, quaſi per ignem trãſierit. *Tom.4.lib.3.Com.in cap.6.Eſaiæ.*

*Peccata purgantur ignitis calculis.*

*Pſalm.17. Deut.4. Lucæ 12.*

*1.Cor.3.*

*Cur Deus ignem conſumens. Deut.4.*

HAEC dicit Dominus Deus exercituum,&c.] Sic Deus ignis conſumens dicitur, vt conſumat in nobis, ſi ſuper fundamentum Chriſti ædificauerimus, ligna, fœnũ, ſtipulã. *To.4.li.1.Co.in c.5.Hier.*

*1.Cor 3.*

*Oſeæ 7.*

CVSTODITE animas veſtras,&c.] Si non audieritis pręcepta mea,& feceritis, quæ nõ faciẽda mandaui: Succendã ignem in portis eius.i. Hieruſalem illum, de quo dicitur: omnes adulterantes, quaſi clibanus corda eorum: qui deuorant domos ſiue vicos, Hieruſalem, quos Lxx. Aquila,& Symmachus, βάρεις .i. turritas domos interpretati ſunt, appellanturq; Hebraicè armenoth, Et nunquã hoc extinguetur, dicente Apoſtolo vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Et iterũ: Si cui⁹ op⁹ arſerit detrimentũ patietur: ipſe aũt, ſaluus erit, ſic tamẽ quaſi per ignem. *To.4.lib.3.Cõ.in cap.17.Hieremiæ.*

*1.Cor.3.*

SI dicente me ad impium, &c.] Quodq; ſequitur: Tu autẽ animam tuã liberaſti: illud Apoſtoli cum ſonat: Si cuius opus arſerit, dãnum patietur, ipſe autẽ ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem: vt probetur vtrum ſpeculator extern⁹, cauſa ſit mortis eius, qui perijt, an reus. Opus enim magiſtri, ſalus diſcipuli eſt. *To.4.lib.1.Com.in c.3.Ezech.*

*1.Cor.3.*

*1.Cor.3.*

FILII hominis, terra, &c.] Nõ in principibus tantum ſęculi, ſed & in principibus Eccleſiarum: qui ſuas tantum animas, ſi iuſti fuerint, liberauit. Filios autẽ ac filias, quos in Eccleſia genuerit, ſi fuerint negligẽtes, ſaluare nõ poterunt: & tamẽ Apoſtolus loquitur. Si cui⁹ opus arſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamẽ per ignẽ. *To.4.li.4.Co.in c.14.Ezech.*

*Lucæ 12. 1.Cor.3.*

ET factum eſt verbum Dñi ad me, dicens,&c.] diſsipabuntur Aegyptiæ ciuitates,& terra deſerta erit,& nulla congregatio manebit, habẽs aliquid firmitatis, vt rerũ fine cognoſcant ꝙ ipſe ſit Dñs, quando miſerit ignem in Aegypto, quem Dominus ardere deſiderat, vt fœnum, ligna, ſtipulam,

*Falſorũ dogmatum propagatores ſunt igne cremandi.*

quæ ſupra fundamentum Chriſti ædificata ſunt, concrementur: & omnes auxiliatores peruerſorũ dogmatũ conterantur. Ex quo intelligendũ, falſi nominis ſcientiã, & eos de quib. ſcriptũ eſt: diſsipa gẽtes, q̃ bella volunt: ſocios & auxiliatores Aegypti nuncupari. *To.4.lib.9.Com.in c 30.Ezechielis.*

*Pſal. 67.* *1.Cor. 3.* *Opera ſanctorum per ignem puriora redduntur.*

ET menſus eſt domus longitudinẽ centũ cubitorum: &c.]Sicut ſanctorũ opera, de quib. ſcribit Apoſtolus: Vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit, non pereũt, ſed per ignẽ puriora monſtrantur: ita & altaris ligna, quę de lignis paradiſi ſunt, non cremantur igne vicino, ſed puriora redduntur. *To.4.lib.12.Com.in cap.41.Ezechielis.*

*Hebræ.4.* *Pſalm. 94.* *Ibid.37.* *Num.15.* *1.Cor.3.* *Exod.35.* *Apocalyp.3.*

ET ſabbatha mea ſanctificabũt, &c.]Porrò ſabbathum, q̃ ſanctificatũ eſt, illud intelligamus, quod & Apoſt. docet, relictũ eſſe populo Dei, de quo dicitur: Si intrabũt in requiẽ meã: quod Hebraicè ſabbathũ nominatur. Sanctificat aũt ſabbathum Dei, qui non portat onus peccati in ſabbatho: nec dicit: Sicut onus grauè grauatę ſunt ſuper me. Qui talis eſt, nõ colligit ligna in ſabbato: nec ſuperędificat fundamẽto Ieſu Chriſti, ligna, fœnũ, ſtipulã: nec accendit ignẽ; q̃ inutilẽ conſumat materiam: & die ſabbathi in vno permanet loco, nec foras egreditur, ſed quaſi columna in templo Dei poſitus permanet, ſuper quo Ioan. in Apocal. Qui vicerit, faciã eum calumnã in tẽplo Dei mei, & foras nõ egredietur amplius. *Tom.4.lib.13.Com. in 44.Ezechielis.*

*Iuſti ſaluantur, quaſi per ignem.* *1.Cor 3.* *Ezech.1.* *Deut.4.* *Pſal.96.*

ASPICIEBAM, donec throni poſiti ſũt, &c.]Thronus eius flãmę ignis: vt peccatores tormẽtorũ magnitudinẽ parti miſceant, & iuſto ſaluantur, ſic tamen, quaſi per ignẽ. Rotæ eius ignis accenſus, ſiuè currus eius. Et in Ezech. quadrigę ſedens inducitur Deus, omnia Dei flãma ſunt. De quo & alibi dicitur: Deus ignis cõſumẽs eſt; vt lignũ, fœnum, ſtipulã, arſura in die iudicij nouerimus. Et in Pſalmis legimus: Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu omnes inimicos eius *Tom.4.lib. 1.Com.in cap.7.Danielis.*

*1.Cor.3.* *Deut.4.* *Qui non fuerint igni cõbuſtius, paradyſo aſsimulabitur.*

CANITE tuba Sion, vlulate in mõte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terrę, &c.]Ante faciem huius populi fortis & multus eſt, erit ignis vorãs, ſiue cõſumens; vt omne in nobis fœnũ, ligna, ſtipulãq; conſumat. Vnde & de Deo dicitur: Deus ignis cõſumens, & poſt eũ vrens flãma, vt nihil aſq; ſupplicijs derelinquat. Quemcunq; hic ignis nõ attigerit, nec inuenerit in eo cõbuſtionis materiã, horto dei & paradyſo aſsimulabitur voluptatis: qui Hebraicè dicitur gan eden: Si quẽ aũt excuſſerit, quaſi ſolitudinẽ in cinerem rediget ac fauillas, nec eſt, qui furorem eius poſsit euadere, cuius crudelis aſpectus frementiũ equorũ habebit ſimilitudinẽ, & ſic diſcurrent ad cruciãdos, quos in poteſtatẽ acceperint, quaſi equites huc illucq; volitãtes; terribilis erit ſonitus eorum, quaſi quadrigarũ per prona currentiũ, & ſuper capita montium exilient: excelſos quoſq; & in Eccleſiæ culmine conſtitutos cruciare cupientes: Et quia ante faciem eorũ ignis eſt vorax, atq; cõſumens, ſic cũcta vaſtabunt, quomodo ſtipulã flamma cõſumit, ita venient ad puniendũ, ita expediti erũt & parati, vt populus fortis ad præliũ. Tantus erit timor omniũ & tanta cõſcientia peccatorũ, vt nullus luceat, nec ſplendorem habeat gaudij: ſed inſtar aduſtæ ollæ facies eius vertatur in tenebras. *Tom.5.Com.in cap.2.Ioelis.*

*Fœnum & ſtipula incendio cremantur.*

ECCE ego ſtridebo ſubter vos, &c.]Voluere ſe ſubter eos, ſicut plauſtrũ comminatur Deus fœno vel ſtipula prægrauatũ: vt quia frumentum non habent, q̃ in horrea condatur, fœnũ eorum & ſtipula incendio concremetur. Hoc eſt, fœnum, de quo propheta dicit: Fiant ſicut fœnũ ædificiorũ, q̃ priuſquã euellatur exaruit. Et omnis caro fęnũ. Stipula aũt illa eſt, ſuper cuiꝰ incẽdio flebiliter ꝓpheta cõplorat, dicẽs: Heu mihi q̃a factꝰ ſum ſicut q̃ colligit ſtipulã in meſſe, & ſicut racemos in vindemia; cũ nõ ſit botrus ad mãducandũ ꝓrimitiua. Heu mihi anima, quia perijt reuerens de terra, & qui rectũ faciat, in hominib. non eſt: oẽs in ſanguine iudicãtur, & reliqua. Hoc eſt fęnũ & ſtipula: de qua & Apoſt. loquitur: ligna, fœnũ, ſtipula: vniuſcuiuſq; opus manifeſtũ fiet: quoniã in die Domini in igne reuelabitur. *To.5.lib.1.Cõ.in cap.2.Amos.*

*Pſal.128.* *Eſaiæ 14.* *Mich.7.* *1.Cor.3.*

*Peſsima ædificia diuinus ignis exurit.* *Gen.19.* *1.Cor.3.* *Torris de incendio raptus, qui per ignem ſaluatur.*

SVBVERTI vos, &c.]Extrema medicina eſt, & decem tribuũ & hæreticorum & omniũ peccatorum: vt poſtquã mortem miſerit in via Aegypti, & percuſſerit iuuenes eorũ gladio, equoſq; conſumpſerit, & aſcendere fecerit putredinẽ caſtrorũ in nares eorum, & nec ſic quidẽ ad eum reuerſi fuerint; ſubuertat eos, ſicut ſubuertit Deus Sodomã & Gomorrã: & & cùm ſubuerſi fuerint, ob ſimilitudinem criminũ Sodomæ & Gomorræ, peſsima quę in eis ædificia, diuinus ignis exuſſerit, ipſi liberentur, quaſi torris raptus de incendio. Et quomodo Loth Sodoma pereunte ſeruatus eſt, amittens ſubſtantiã & partem corporis ſui quã intelligimus vxorẽ: ſic oẽs iſti Sodomorum diuitias amittentes euadant nudi: Iuxta illud, q̃ in Apoſtolo legimus: Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedẽ accipiet, ſi cuius aũt opus arſerit, detrimentum patietur: ſi aũt ſaluus erit, ſic tamẽ, quaſi per ignẽ. Qui ergo ſaluatur per ignẽ, quaſi torris de incẽdio rapitur. *T.5.li.2.Co.in c.4.Amos.*

*Pſal.77.* *Propter peccatorum ſedes quidam indigent flãmis purgantibus.*

HAEC oſtendit mihi Dñs Deus, &c.]Quia ſemel iuxta Oſeæ prophetã & Pſalmiſtam, dicentẽ: Filij Ephraim intendẽtes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli: decẽ tribus ad hæreticorum perſonã retulimus, quæ appellabantur Iſrahel, & duas, quib. Iudas præerat, ad Eccleſiã & Eccleſiæ peccatores: qui cõfitentur quidẽ rectã fidẽ, ſed propter vitiorum ſordes purgantib. ſe, indigent flãmis: iccircò nunc Dñs ad ignem iudicium vocare ſe mõſtrat, vt vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probet: & impleatur illud, q̃ ſcriptum eſt: ambulate in lumine ignis veſtri, & in flãma, quã ſuccendiſti. Vnde & ad Babylonẽ dicitur: Habes carbones ignis, ſedebis ſuper eos, hi erũt tibi in adiutoriũ. Et in Pſal. Lingua doloſa & plena mẽdacijs, igne carbonum dicitur eſſe purgãda: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguã doloſam? Sagittę potẽtis acutæ, cũ carbonib. deſolatorijs. de his altaris carbonib. deſolator carbo duorũ teſtamentorũ forcipe prẽditur, & Eſaię, labia purgat immunda, vt poſsit verbum Dñi prophetare. Vocatus aũt ignis ad iudiciũ, deuorat primũ abyſſum. i. omnia genera peccatorũ: ligna, fœnũ, ſtipulã, & poſtea cõedit ſimul partẽ, hoc eſt, ad ſanctos illius peruenit, qui in peculiũ Dñi, & in eius parte reputãtur: tẽpus enim eſt, vt incipiat iudiciũ à domo Dñi. Et in Ezech. præcipitur his, qui pœnas illaturi ſunt: à ſanctis meis incipite. Et in Apoſto. legimus. Si cuius opus arſerit, detrimentũ patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignẽ. Cumq; oẽs fuerimꝰ in peccato, & iacuerimus ad ſententiæ veritatẽ, miſerebitur Dñs noſtri; & quia paruuli ſumus, reſurrectiõis nos tẽpore ſuſcitabit: ſiue ſuſcitabit per virtutes qui in vitijs iacebamus:

*1.Cor.3.* *Eſaiæ.50.* *Ibidem.47.* *Sec.70.* *Pſal.119.* *Eſaiæ.6.* *Ignis iudicij deuorat omnia genera peccatorum.* *1.Pet.4.* *Ezech.9.* *1.Cor.3.*



*Pſalm 102.*

cebamus: hoc Domino promittente, atque dicente: Sed & iſtud non erit. Pulchrè autem dixit ſed &: quia iam ſupra dixerat: hoc non erit. Non enim in finem iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecũdum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quantũ diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. *Tom.5.lib.3.Com.in cap.7.Amos.*

*Paleæ ſecernendæ à tritico, & æs vitiorum ab argento & auro.* *Lucæ 3.* *Hierem.3.*

MANVS Zorobabel fundauerũt domum iſtã, &c.]Vt quomodo ſtannum mixta & adulterata inter ſe per ignem metalla diſſociat: ita Dominus verus probatur & χωνευτὴς ab auro & argento bonorum operum, æs vitiorum plumbumq; ſecernat, vt purum aurum & argẽtum remaneat. Alijs verbis ἀποχωρίτων iſte & ſeparator in Euangelio ſcribitur. Cuius ventilabrum in manu ſua, & ipſe purgabit aream ſuam, & ſeparabit paleas à tritico; qui clamat per Hieremiã: Quid paleis ad frumentum? dicit Dñs. *To.5.lib.1.Co.in c.4.Zacha.*

*Actor.2.* *Lucæ 12.* *In præſenti & in futuro ſæculo igni baptizamur.* *1.Cor.3.*

IPSE vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne, &c.]Siue quia ignis eſt ſpiritus S. vt Acta Apoſtolorum docent: quo deſcendente, ſedit quaſi ignis ſuper ſingulos credentium, & impletus eſt ſermo Domini, dicentis: Ignem veni mittere ſuper terram, & quam volo vt ardeat. Siue quia in præſenti, ſpiritu baptizamur, & in futuro igne: Apoſtolo quoq; huic ſenſui congruente: Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit. *Tom.6.Com.in cap.3. Matth.Can.3.*

*1.Cor.3.* *Ignis duplex proprietas accommodata peccatoribus & iuſtis*

ET tota nocte in illuminatione ignis.]Qui ſuper fundamentum Chriſti, ædificauerunt, lignũ, fœnum ſtipulam, Dominus illis ignis, conſumẽs eſt. Ignis duplicem habet naturam, & lucet & vrit. Si peccatores ſumus, incendit; ſi iuſti, lucet nobis. *Tom.7.Com.in Pſalmum 77.*

### *Articulus VII. Igne purgatorio venialia tantum peccata, & reliquias læthalium purgari.*

*Excoquẽdæ ſordes peccatorum.*

POPVLI populi in valle cõciſionis, &c.]Rurſum vbi nos diximꝰ, in valle cõciſionis, ſequẽtes trãslationes Aquilæ & Symmachi & quintę editionis: Lxx. & Theodotio τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως. i. cauſę & iudicij, tranſtulerũt: pro quo in Hebraico ſcriptũ eſt, harans, quod Hebræi non ſolũ conciſionẽ, ſed & aurũ interpretari putãt: quo ſcilicet in valle iudicij, quam ſuſpicantur gehennã, excoctis ſordibus peccatorum, parum aurum remaneat. *Tom.5.Com.in cap.3.Ioelis.*

*Inter multa opera peccatorum quidam iuſta facientes non carebũt ſua mercede. Deus iuſtus non obliuiſcitur bonorũ operum.*

SEMINASTIS multũ, & intuliſtis parũ, &c.]Sed & iuxta intelligentiã ſpiritualẽ, hi qui de Babylone reuerſi ſunt, & nec dũ ædificauerũt templum Dei, ſed ædificationem eius quotidie differentes dixerunt: Nondũ venit tempus domus Dñi ædificãdę: nec captiui ſunt, nec adhuc plena libertate donati: verũ, quaſi in meditullio quodã poſiti, ſeminauerunt multũ, & intulerũt parũ: cõederunt, & nõ ſunt ſatiati: biberũt, & non ſunt inebriati: operuerunt ſe, & nõ ſunt calefacti, congregauerũt mercedes, & quaſi in pertuſum marſupiũ mitterẽt, perdiderunt. Si quãdo videris inter multa opera peccatorũ facere quempiã nonnulla quæ iuſta ſunt. Nõ eſt tã iniuſtus Deus, vt ꝓpter multa mala, paucorũ obliuiſcatur bonorũ: ſed faciet eũ illa tantũ metere, quę in bonã terram ſeminauerit, & in ſua horrea cõgregare. Qui aũt penitùs ἀπόστατης eſt, iſte omninò nõ comedet, ſed fame peribit. Porrò, qui ſeminat multa, & infert pauca, cõedet parũ, & non in ſatietatem: iuxta illud, quod in maledictis Leuitici Dñs comminatur: Et cõedetis, & non ſaturabimini. Qui verò ſanctus eſt, vſq; ad ſatietatẽ cõedet, & explebitur in illo, quod ſcriptũ eſt: Iuſtus comedens replet animã ſuam. Similiter, qui penitùs non bibit, ſiti peribit: ſicut & in Iudith (ſi quis tamẽ vult librũ recipere mulieris) Et paruuli ſiti perierũt. Qui aũt parũ bibit, bibit quidẽ, ſed non vſq; ad ebrietatem. *Tom.5.Com.in c.1.Aggæi.*

*Leuit. 26* *Prouer.13.* *Iudith.12.*

*Infra 4.* *Pſal.49.* *Deut.4.* *1.Cor.3.* *Diuerſa pœna grauium & leuium peccatorum.* *Eſa.4.*

ECCE venit, dicit Dñs exercituũ, &c.]Quis poterit cogitare diẽ aduẽtus eius? Si cogitare præ potentia maieſtatis eius nemo poteſt, ferre quis poterit? Et quis ſtabit ad videndũ eum; hoc eſt, quis poterit eũ lippientib. & cæcutientibus oculis in ſua claritate cõſpicere: qui eſt ſol iuſtitiæ, & in cuius pennis eſt ſanitas? Ipſe veniet, quaſi ignis cõflans, & quaſi herba fullonum: Ignis enim in conſpectu eius ardebit, & in circuitu tẽpeſtas valida. Tunc vocabit cælũ deſuper & terrã, & dijudicet populũ ſuum: flumina ignis trahent ante eum peccatores quoſq; voluentia. Ignis aũt dicitur Dñs, & ignis conſumens: vt ligna noſtra, fœnũ, ſtipulãq; cõburat. Et non ſolũ ignis, ſed & herba fullonum, quæ Hebraicè borith mechabbeſim appellatur, & 70. πόαν πλυνόντων. i. herbã fullonum vertunt. Ipſe his, qui peccant grauiter, ignis conflãs eſt atq; conſumens: qui aũt leuia peccata committunt, herba fullonũ, vt lotis munditiã reſtituat, ſecundũ illud quod ſcriptũ eſt in Eſaia: Lauabit Dñs ſordes filiorum & filiarũ Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorũ, ſpiritu iudicij & ſpiritu combuſtionis. Qui ſordes habent, ſpiritu iudicij indigẽt, vt lauẽtur: qui ſanguine pleni ſunt, ſpiritu cõbuſtionis, vt ſanguis, qui in eis extrinſecus litus eſt, auferatur. Et ſedebit conflans, & emundans, ſicut argentũ, vt ſecundũ Ezech. quidquid in auro noſtro & argento i. ſenſu & eloquio, ære, ſtanno, ferro, plũboq; cõmixtum eſt, in camino Dñi percoquatur, vt purũ aurum remaneat & argentũ. Vnde & Dñs in Euangelio loquitur: Ignẽ veni mittere ſuper terrã, & quã volo vt ardeat? Et purgabit Leui: Tẽpus eſt enim vt iudicium incipiat à domo Dei. Et alibi ſcribitur: A ſanctis meis incipite. *Tom.5. Com.in cap.3.Malach.*

*Ezech.22.* *Luc.12.* *1.Petr.4.* *Ezech.9.*

*Pſal.103.*

IGNIS ante ipſum præcedet.]Ignẽ iſtum, qui ſanctus eſt, nõ timeat, qui peccator eſt, timeat: Ignis iſte ſanctos purgat: peccatores cõſumit. Ignis ante ipſum præcedet. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos, ignẽ ardentẽ. Ego puto iſtos eſſe ignes, hoc eſt, angelos eius. Iſti ergo angeli, hoc eſt, ignis eius, pręcedẽt ante eũ. Iſte ignis, quos cõſumit? Quicũq; eſt lignũ, fœnũ, ſtipula. Qui aũt aurum, argentum eſt, & lapides pretioſi, mittitur quidẽ in ignẽ, ſed mundior inuenitur, *Tom.7.Cõ. in Pſalm.96.*

### *Articulus VIII. Orare & offerre oblationem pro defunctis morẽ eſſe Catholicæ Eccleſiæ.*

*Cant.2.* *Pſal.26.*

ADERANT Hieroſolymarũ & aliarũ vrbium epiſcopi, & ſacerdotũ inferioris gradus, ac Leuitarũ innumerabilis multitudo, omne monaſteriũ, virginũ & monachorũ chori repleuerant. Statimque, vt audiuit ſpõſum vocantẽ: Surge veni proxima mea ſpecioſa mea, columba mea: Quoniam ecce hyẽs tranſijt, & receſsit, pluuia abijt ſibi: Læta reſpondit: Flores viſi ſunt in terra, tẽpus ſectionis aduenit. Et credo videre bona Dñi in terra viuentiũ. Ex hinc nõ vlulatus, nõ planctus vt inter ſæculi homines fieri ſolet, ſed Pſalmorũ legimꝰ diuerſis eximia cõcrepabãt. Trãslataq; epiſcoporũ manib. & crucem feretro ſubijcientibus, cùm alij

pontifices lampadas cereoſq; preferrēt, alij choros pſallentium ducerent, in media Eccleſia ſpeluncæ Saluatoris eſt poſita. Tota ad funus eius Paleſtinarū vrbium turba conuenit, quem monachorum latentiū in eremo cellula ſua tenuit? quam virginum cubiculorum ſecreta texerunt? Sacrilegum putabāt, qui non tali fœminæ vltimū reddidiſſet officium. Viduæ & pauperes, in exemplū Dorcadîs, veſtes ab ea præbitas oſtendebant, omnis inopum multitudo matrē, & nutriciam ſe perdidiſſe clamabat. quodq; mirum ſit, nihil pallor, mutauerat faciem, ſed ita dignitas quędam, & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, ſed dormientem: Hebræo, Græco, Latino, Syroque ſermone Pſalmi in ordine perſonabant, non ſolum triduo, donec ſubter Eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini conderetur, ſed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, ſuum funus, & proprias credentibus lachrymas. Venerabilis virgo filia eius Euſtochium, quaſi ablactata ſuper matrem ſuam, abſtrahi à parente non poterat, deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & ſe cum matre velle ſepeliri. *To. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium, cap. 13.*

*Actor. 9.*

*Pſal. 130.*

### *Articulus IX. Animæ quomodo ſciant, quæ apud nos gerantur.*

*Vide titulo ſecundo huius libri ſequenti, articulo ſecundo, quod preces noſtræ à ſanctis in Chriſto quieſcentibus intelligantur.*

## *Caput II. lib. 4. De Sanctis & eorum prærogatiua.*

### *Articulus I. Animas ſanctorum etiam nunc, ante extremi iudicij diem regnare cum Chriſto.*

*Nepotiani anima cum Chriſto regnat.*

SCIMVS Nepotianum noſtrū eſſe cum Chriſto, & ſanctorum mixtū choris, quod hic nobiſcū eminus rimabatur in terris, & æſtimatione quærebat, ibi videntem cominus dicere: Sicut audiuimus ſic & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. *Tom. 1. epiſt. 3. ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani cap. 5.*

*Pſal. 47.*

EGREDERE, quæſo, pauliſper de carcere, & præſentis laboris ante oculos tibi pinge mercedē, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini, choris occurret comitata virgineis? cùm poſt rubrum mare, ſubuerſo cū ſuo exercitū Pharaone, tympanū tenens præcinet reſponſuris: Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt; equum & aſcenſorem proiecit in mare. Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc & ipſe ſpōſus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: quia ecce hyems tranſiuit, pluuia abijt ſibi. Tunc angeli mirabūtur, & dicēt: Quæ eſt iſta proſpiciens ſicut diluculū, ſpecioſa vt luna, electa vt ſol. Videbunt te filiæ, & laudabūt reginæ, & concubinæ prædicabunt. Hinc & alius caſtitatis chorus occurrit Sara cū nuptis veniet, filia Phanuelis Anna cū viduis. Erunt in diuerſis gregib. carnis & ſpiritus matres tuæ. Lætabitur illa, quod genuit, exultabit iſta, quod docuit. Tunc verè ſuper aſinam Dñs aſcendet, & cæleſtem ingredietur Hieruſalē. Tūc paruuli, de quibus in Eſaia Saluator effatur. Ecce ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus, palmas victoriæ ſubleuantes, conſono ore cantabūt: O ſanna in excelſis: Benedictus, qui venit in nomine Domini, o ſanna in excelſis. Tunc centum quadraginta quatuor millia, in conſpectu throni & ſeniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum nouum. Et nemo poterit dicere canticum iſtud, niſi numerus definitus. Hi ſunt, qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt: virgines enim permanſerunt. Hi ſunt, qui ſequuntur agnū, quocunque vadit. Quotieſcunque te ſæculi vana delectauerit ambitio; quoties in mundo aliquid videris glorioſum; ad paradyſum mente tranſgredere: incipe eſſe, quod futura es, & audies à ſponſo tuo: Pone me ſicut vmbraculum in corde tuo, ſicut ſignaculum in brachio tuo, & pariter corpore & mente munita clamabis, & dices: Aquę multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. *To. 1. epiſt. 22. ad Euſtochium, cap. 18.*

*Eſa. 64.*

*Proſopopæia fœlicis animæ aſcendētis ad cœlū.*

*Exod. 15.*

*Cantico. 2.*

*Matth. 21.*

*Eſaiæ 2.*

*Apocal. 14.*

*Fructus meditationis de paradyſo cœleſti.*

LEA vniuerſorum gaudijs proſequenda, quę calcato diabolo coronam iam ſecuritatis accepit. Hæc quam vnius cubiculi ſecreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis, cuius vita putabatur amentia, Chriſtum ſequitur, & dicit: Quæcūque audiuimus: ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri. *Tom. 1. Epiſtol. 24. ad Marcellam de exitu Leæ.*

*Lea coronā ſecuritatis accepit.*

BLAESILLA Ieſum nunc ſequitur, & ſanctorum angelorum conſortio fruitur. *Tom. 1. Epiſtol. 25. ad Paulam ſuper obitu Blæſillæ.*

QVAS exiſtimas Blæſillam pati cruces, quæ ferre tormenta, quod tibi Chriſtum videat ſubiratum? Clamat nunc illa lugenti, ſi vnquam me amaſti mater; ſi tua vbera ſuxi: ſi tuis inſtituta ſum monitis; ne inuideas gloriæ meæ; nec hoc agas, vt à nobis in perpetuum ſeparemur. Putas eſſe me ſolam? Habeo pro te Mariam, matrem Domini, multas hic video, quas ante neſciebam, ô quantò melior eſt iſte comitatus. Habeo Annam quondam in Euangelio prophetantem: & quo magis gaudeas, tantorum annorum labores, ego in tribus menſibus conſequuta ſum. Vnam palmam caſtitatis accepimus. Illa pro te Dominum rogat, mihique, vt de mēte eius ſecurus ſim, veniam impetrat peccatorum. Hæc, quæ cū Chriſto viuit in cęlis, in hominum quoque ore victura eſt. *Tom. 1. epiſt. 25. ad Paulam ſuper obitu Blæſillæ filiæ cap. 6.*

*Blæſilla fœlicitas.*

PAVLA optabat nos deſerere, vt & plenius Dōmino iungeretur. Cū ſentiret adeſſe mortē quaſi ad ſuos pergeret, alienoſq; deſereret, illos verſiculos ſuſurrabat: Dñe dilexi decorem domus tuę, & locū habitationis glorę tuæ. Et: Quā dilecta tabernacula tua Dñe virtutū: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Et: elegi abiecta eſſe in domo Dei mei, magis, quā habitare in tabernaculis peccatorū. cumq; à me interrogaretur, cur taceret, cur nollet reſpōdere, an doleret aliquid: gręcò ſermone reſpōdit, nihil ſe habere moleſtię, ſed omnia quieta & tranquilla perſpicere. Statimque vt audiuit ſponſum vocantem: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: Quoniā ecce hyems trāſijt, & receſsit, pluuia abijt ſibi: Læta reſpondit. Flores viſi ſunt in terra, tēpus ſectionis aduenit. Et: Credo videre bona Dñi in terra viuentium. *To. 1. epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 13.*

*Pſalm. 25.*

*Pſal. 83.*

*Animæ ſanctorum mortuæ ſtatim cum Chriſto.*

*Cantico. 2.*

PAVLA nunc diuitijs fruitur, & ijs bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Noſtram vicem dolemus, & inuidere potius glorię eius videbimur, ſi voluerimus diutius flere regnantem. Secura eſto Euſtochium, magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata eſt. Illa corona de roſis & violis plectitur, iſta de lilijs. Vnde & in Cantico ſcribitur Canticorum: Fratruelis meus candidus, & rubicundus, & in pace, & in bello eadem præmia vincentibus tribuens. Mater tua, inquam, audiuit cum Abraham: Exi de terra tua, & de cognitione tua, & veni in terram, quam oſtendam tibi. Et per Hieremiam Dominum præcipientem: fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras. Hæc autem exijt de terra ſua; & vſque ad diem mortis ſuæ non eſt reuerſa in Chaldæam; nec ollas Aegypti & virulentias carnium deſiderauit; ſed choris comitata virgineis, ciuis eſt ſaluatoris effecta; de paruula Bethlehem, cœleſtia regna conſcendens dicit ad veram Noëmi: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Vale ô Paula, & cultoris tui vltimā ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant: præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis. In fronte ſpeluncæ Aſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulchrum Hoſpitium Paulæ eſt cœleſtia regna tenentis. *Tom. 1. Epiſtola 27. ad Euſtochium in Epitaphio Paulæ matris, cap. 14.*

*Eſaiæ 64.*

*Securitas Paulæ in æterna vita.*



*Cant 5.*

*Geneſ. 12.*

*Hier. 50. 48.*

*Inuocat Paulam.*

LVCINIVS ad meliora tranſijt dicente Moyſe: Tranſiens videbo viſionem hanc magnam. Aduerſus mortis duritiam, & crudeliſsimam neceſsitatem, hoc ſolatio erigimur, quod breui viſuri ſumus eos, quos dolemus abſentes, credamus eum poſt digeſtum ſoporem vigilare cum ſanctis, & cum angelis dicere: Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. In cœlo, vbi non eſt peccatum, gloria eſt, & perpetua laus, & indefeſſa præconia. Vnde obſecro te, vt Lucinium tuum deſideres quidem vt fratrem; ſed gaudeas regnare cum Chriſto, quia raptus eſt, ne malitia mutaret mentem eius. Placita enim erat Deo anima illius, & in breui ſpacio tempora multa compleuit. Ille ſecurus & victor te aſpicit de excelſo, & fauet laboranti, & iuxta ſe locum præparat. *Tom. 1. Epiſt. 29. ad Theodoram in Epitaphio Lucinij Bætici. cap. vnico.*

*Exod. 3.*

*Sanctorum animæ regnant cum Chriſto.*

*Sap. 4.*

CVM eſſet terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium ſic loquutus eſt. Olim te frater in iſtis regionibus habitare ſciebam: olim te mihi conſeruum promiſerat Deus. Sed quia dormitionis meæ tempus aduenit; & quod ſemper cupiebam diſſolui & eſſe cum Chriſto, peracto curſu ſupereſt mihi corona iuſtitiæ: Vidit Antonium Paulum inter angelorum cateruas, inter prophetarum & Apoſtorum choros, niueo candore fulgentem in ſublime conſcendere. *Tom. 1. in vita Pauli eremitæ.*

*Philip. 1.*

*2. Tim. 4.*

*Pauli eremitæ beatitudo.*

MORTVVM ſuſpicaris Samuelem, & idcircò blaſphemas. Lege Euangelium: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorum ſed viuorum. Si ergo viuunt, honeſta iuxta te carcere non clauduntur. Ais enim vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubter aram Dei, animas Apoſtolorum & martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint, adeſſe, præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera honeſtaque cuſtodia in fortunatorum inſulis, & in campis Elyſijs recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula inijcies, vt vſque ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? de quibus ſcriptum eſt: ſequuntur agnum quocunque vadit. Si agnus vbique; ergò & hi qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Et cum diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præſentes ſint; martyres, poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? *Tom. 2. aduerſus Vigilantium, cap. 2.*

*Matth. 22.*

*Animæ ſanctorum non tenentur in cuſtodia ad diem iudicij contra Pſychonomachos*

*Apocal. 14.*

*Hæreſis Vigilantij.*

OMNIA quæ inuenit manus tua vt facias, in virtute tua fac: quia non eſt opus, & cogitatio, & ſcientia, & ſapientia in inferno, quò tu vadis illuc.] Nota vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuiſſe: & ante aduentum Chriſti, quamuis ſanctos, omnes inferni lege detentos. Porrò quod ſancti poſt reſurrectionem Domini nequaquam teneantur in inferno, teſtatur Apoſtolus dicens: Melius eſt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Qui autem cum Chriſto eſt, vtique non tenetur in inferno. *Tom. 5. Com. in cap. 9. Eccleſiaſtis.*

*Poſt reſurrectionem Domini ſancti ſunt ſtatim cum Chriſto. Philip. 1.*

PAVCI admodum dies ſunt, ex quo Epiſtolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas tranſcenderam: multis retrorſum in medio prætermiſsis, & ecce ſubito literæ mihi, de vrbe allatæ ſunt: nunciantes & Albinam venerabilem auum præſentiæ Domini redditam, & ſanctā Marcellam matris contubernio deſtitutam, magis nunc veſtram ô Paula & Euſtochium flagitare ſolatium. *Tomo. 6. Proœmio Comment. in Epiſtolam ad Galatas.*

*Albina præſentiæ Domini reddita.*

### *Articulus II. Preces noſtræ à ſanctis in Chriſto quieſcentibus intelligi.*

HILARION loquebatur, non poſſum videre ſubuerſas Eccleſias, calcata Chriſti altaria, filiorum meorum ſanguinem, ideoque in ſolitudinem contendo. Vniuerſi autem, qui aderant, intelligebant, reuelatum ei eſſe quiddam ſecreti, quod nollet confiteri. Hilarion confeſſus eſt fratribus inſtare diem dormitioni beati Antonij, & peruigilem noctem in ipſo, quo defunctus fuerat loco à ſe ei debere celebrari. Garſenſes de Hilarione affirmabant. Nonne vera ſunt, quæ de eo audiuimus? Magus eſt & futura cognoſcit. A Iudæis Propheta Chriſtianorum appellatus. *Tom. 1. in vita Hilarionis eremitæ.*

*Hilarioni ſecreta reuelata & futura cognoſcit.*

NARCISSO Hieroſolymitano Epiſcopo & multis clericis eius reuelatum eſt, altera die mane intraturum Epiſcopum, qui adiutor ſacerdotalis cathedræ eſſe deberet. Itaque, re ita completa, vt prædicta fuerat, cunctis in Palæſtina Epiſcopis in vnum congregatis, admittente quoque ipſo vel maximè Narciſſo Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Alexander cum eo gubernaculum ſuſcepit. *To. 1. de viris illuſtri. in Alexandro Epiſcopo Cappadociæ.*

*Reuelatio facta clericis.*

DE ſanctis ſcriptū eſt, ſequuntur agnum quocunq; vadit. Si agnus vbique; ergo & hi qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Et cum diabolus, & dæmones toto orbe vagentur, & celeritate nimia vbique præſentes ſint; martyres, poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? *Vide plura Tomo. 2. aduerſus Vigilantium, cap. 2.*

*Apocal. 14. Sancti vbiq; præſentes.*

CVR Iſaac, vir iuſtus, & Deo carus, non illi cui voluit, ſed cui noluit, deceptus errore benedixit? Differo pauliſper typum & ea, quæ à maioribus noſtris ſuper hoc loco ſunt interpretata, prætereo: non quod opinioni eorum non acquieſcam: ſed quod tu hoc tantum quæras, quare vir iuſtus aliquid ignorauerit, & contra ſuam fecerit voluntatem. Ad quod diſtincta reſponſio eſt:

*Sancti viri & Deo cari ea tantum ſciunt, quæ à Domino reuelata ſunt.*

nullum hominem, excepto eo, qui ob noſtram ſalutem noſtram carnem dignatus eſt induere, plenam habuiſſe ſcientiam & certiſsimam veritatem. Denique Paulus ex parte cognoſcit, & ex parte prophetat: & nunc per ſpeculum videt in ænigmate, & ſecundum quod oportet orare, neſcire nos dicit: Quia cum venerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt, deſtruetur. Samuel Propheta connumeratus Moyſi in ſacerdotio Dei, ad vngendum regem miſſus, cum maximum filiorum Ieſſe vidiſſet Heliab, ait: Ecce coram Domino Chriſtus eius. Et dixit Dominus ad Samuel: noli reſpicere faciem eius, neque ſtaturam illius: quoniam reprobaui eum: quia non quo modo videt Deus, videt homo. Homo enim videt in facie, Deus autem inſpicit cor; & per ſingulos filios ſeptem ignorans, vſque ad Dauid neſciſſe deſcribitur. Helizæus quoque, qui duplici glorificatus eſt ſpiritu, cuius oſſa vitam exanimato cadaueri reddiderunt, cum Sunamitis ad eum veniſſet in montem; & ad pedes eius flebiliter corruiſſet, Giezi prohibente ne faceret, ait: Dimitte eam quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus abſcondit à me, & non nunciauit mihi. Plura ſunt; quam vt exemplis debeamus docere, ſanctos viros & Deo caros ea tantummodo ſciſſe, quæ eis à Domino reuelata ſunt; ignoraſſe vero, quæ eis reuelata non fuerint; & ad ſingulas viſiones Zachariam atque Danielem interrogare angelum, & ſuppliciter deprecari, vt exponat ſibi, quæ ſint illa, quæ viderant. *Tom. 3. epiſt. 125. ad Damaſum quæſtio. 3.*

*[Margin: i. Cor. 13. Rom. 8. 1. Cor. 13. Pſal. 98. Reg. 16. 4. Reg. 2. 4. Reg. 4. Zach. 4. Daniel. 7.]*

*Futura & abſentia cognoſcunt ſancti.*

PRAEVENIT legatos Eſaias, eodem enim ſpiritu, quo futura noſcebat, etiam abſentem regem audierat, & dicit, quid reſpondere deberent Domino ſuo, humiliati in iſta fiducia conſcientiæ. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap. 37. Eſaiæ.*

*Propheta abſens ſpiritu præſens corpore.*

MIRVM in modum ſedentibus his qui ad ſe venerant viſitandum, viſiones myſticas Propheta cernebat, & abſens erat ab his, qui coram ſe ſederant, abſens ſpiritu, præſens corpore. *Tomo. 4. lib. 3. Com. in cap. 11. Ezechielis.*

*Daniel arcana ex reuelatione Dei cognoſcit. Epheſ. 3.*

SOMNIVM regis Daniel ſuo diſcit ſomnio: imò & ſomnium & interpretationem eius, Dei reuelatione cognoſcit: quod dæmones ignorabant, ſapientià ſæculi ſcire non poterat. Vnde & Apoſtoli myſterium, quod cunctis generationibus fuerat ignoratum, Domino reuelante cognoſcunt. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 2. Danielis.*

*Rom. 11. 1. Cor. 2.*

CVI Deus reuelauit profunda & poteſt dicere. O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: iſte habitante in ſe ſpiritu ſcrutatur etiam profunda Dei, & in profundo animæ ſuæ fodit altiſsimos puteos, & omnem terram egerit, quæ profundas aquas operire conſueuit: ſeruatque mandatum Dei, dicens: Bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fonte. Quodque ſequitur: Nouit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt: Tenebræ ſignificat ignorantiam, & lux ſcientiam atque doctrinam. Itaque Deum vt perverſa non cælant, ita recta ambiunt atque circundant. Siue ita interpretandum eſt, quod tenebroſa myſtica quæque & profunda ſignificent: iuxta illud quod legimus in Prouerbijs: Intelligit quoque parabolam tenebroſum ſermonem: hoc ipſum ſignificat quod in Pſalmis legimus: Tenebroſa aqua in nubibus aëris. Qui enim ad excelſa conſcendit, & terrena deſerens, inſtar auium tenuiſsimum aërem, & ætherea quæque deſiderat: iſte nubes efficitur, ad quam veritas Dei peruenit, & quæ ſuper ſanctos pluere conſueuit: repletuſque multitudine ſcientiæ, habet multas aquas in corde ſuo tenebroſas & inuolutas caligine, quam ſolus Moyſes ingreditur, & loquitur Deo facie ad faciem: de quo ſcriptum eſt: Poſuit tenebras latibulum ſuum. *Ibidem, in cap. 2. Daniel.*

*[Margin: Prouerb. 5. Inhabitans ſpiritus in ſanctis ſcrutatur profunda Dei. Pſal. 17. Pſal. 35. Exod. 24. Pſal. 17.]*

*Quæ Deus reuelet ſanctis.*

NON faciat Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ſeruis ſuis Prophetis, non quo omnia Deus reuelet prophetis, quæ in cœlo faciat, vel ante fecerit, ſed quæ facturus in terris ſit. Reuelauit Nohe ſeruo ſuo, quod eſſet inducturus diluuium. Reuelauit Abraham & Lot ſeruis ſuis, quod arſurus eſſet Sodomam & Gomorram, Adamam & Seboim. Reuelauit Ioſeph interpretationem ſomnij ſeptem annorum famis in Aegypto, & Ionæ Prophetæ ſubuerſionem Niniuæ, vt qui audirent ventura ſupplicia, aut agerent pœnitentiam, & tormenta vitarent, aut contemnentes iuſtius punirentur. *To. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Amos.*

*[Margin: Geneſ. 6. Geneſ. 18. Geneſ. 41. Ionæ 1.]*

*Sancti ſunt angeli.*

QVIDAM putant Ioannem baptiſtam & Malachiam, qui interpretatur angelus Domini, & Aggæum, quem nunc habemus in manibus, fuiſſe angelos, & ob diſpenſationem & iuſsionem Dei aſſumpſiſſe humana corpora, & inter homines conuerſatos. Nec mirum hoc de angelis credi, cum pro ſalute noſtra etiam filius Dei humanum corpus aſſumpſerit, & ob hanc cauſam etiam de Apocryphis præbent teſtimonium, vbi dicitur: Quod Iacob, qui poſtea vocatus eſt Iſrahel, angelus fuerit, & propterea ſupplantauerit fratrem in ventre matris ſuæ. Ioannem quoque ad vocem Mariæ matres Domini, exultaſſe in vtero Helizabeth: Et omnium rationabilium vnam eſſe naturam, & ob hanc cauſam homines, qui placuerunt Deo æquales angelis fieri. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Aggæi.*

*[Margin: Geneſ. 25. & 32. Lucæ. 1.]*

SCHOLIA.

HIERONYMVS *Lib. 18. in cap. 65. Eſaiæ in iſta verba: Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, videtur docere ſanctos in cœlo non habituros memoriam præcedentium malorum, ſiue criminum. Ait enim: in cœlo nouo & in terra noua, omnis conuerſationis priſtinæ memoria deletur, ne hoc ipſum pars malorum ſit, prioris anguſtiæ recordari. Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus libr. 4. ſententia: diſtinct. 43 præſentem locum paulo aliter induxit, quam in Codice Hieronymiano legitur, & dixit ita à nobis eſſe intelligendum, vt non excludamus à beatis memoriam præteritorum malorum ſed memoriæ læſionem, ac moleſtiam. Non enim delictorum memoria ſanctorum fœlicitatem aliqua ex parte diminuet, ſed ad gratias Deo peragendas promptiores & alacriores efficiet. In hac interpretatione videtur eſſe imitatus beatū Gregorium, qui pulcherrimè hoc explicauit in fine libr. 4. explanationum in Iob. ita inquiens: Quærendum eſt quomodo electorum mens perfecta eſſe beatitudine poterit ſi hāc inter gaudia, ſui reatus tangit memoria. ſed ſciendū eſt, quod ſicut ſæpè nunc triſtium læti reminiſcimur; ita tunc tranſactæ nequitiæ ſine læſione noſtræ beatitudinis recordabimur. Plerumq; enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos ſine dolore reducimus; & quò ægros nos recolimus, eò nos incolumes plus amamus, erit ergo in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, ſed quæ nos arctius lætitiæ aſtringat: vt dum doloris ſui animus ſine dolore reminiſcitur, & debitorem ſe medico verius intelligat, & eò magis acceptam ſalutem diligat, quò moleſtiæ meminit, quam euaſit.*



*Articulus III. Angelos preces noſtras offerre Deo, hominibuſq; varijs in rebus adeſſe & opitulari.*

ANGELI Euſtochij anima in cœlum eleuata mirabuntur & dicent: Quæ eſt iſta proſpiciens quaſi diluculum, ſpecioſa vt luna, electa vt ſol? *Tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium, cap. 18.*

*Pſal. 54.*

*Angeli cuſtodes & comites ſanctorū.*

INTER doloris aculeos, quos mira patientia Paula ſuſtinebat, quaſi apertos ſibi cœlos aſpiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ: & volabo & requieſcam? Teſtor Ieſum & ſanctos eius, ipſumque proprium angelum, qui fuit cuſtos & comes admirabilis fœminę, me nihil in gratiam, nihil more blandientiū loqui, &c. *Tom. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium c. 1.*

*Angeli præſides prouinciarum.*

ANGELVS gentis Babyloniæ præſes cum cæteris angelis loquitur: Curauimus Babylonem, & non eſt curata. *Tom. 4. libr. 13. Commentariorum. in cap. 47. Eſaiæ.*

*Eſaiæ 65.*

ADHVC me loquente, ecce vir Gabriel cito volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini.] Grandis orationis effectus eſt, impletaq; promiſsio Domini, qui ait: Adhuc te loquente dicam, ecce adſum. Videtur autem Gabriel non non angelus vel archangelus ſed vir: vt nequaquam ſexum, ſed nomen virtutis oſtenderet. *To. 4. lib. 1. Com in cap. 9. Danielis.*

*Angelus orationem Danielis ad Deum pertulit.*

VT rogare cœpiſti ô Daniel, ait angelus, ſtatim impetraſti miſericordiam Dei, & egreſſa eſt ſententia, & ego idcircò miſſus ſum, vt exponerem tibi quæ ignoras, quia vir deſideriorum es, ſiue ambabilis, & Dei amore dignus (vt Salomon appellatus eſt idida) ſiue vir deſideriorum, quod pro deſiderio tuo Dei ſecreta audire merearis, & eſſe conſcius futurorum. *Tomo. 4. lib. 1. Com. in cap. 9. Danielis, vide plura.*

*Deo obtulit angelus orationem Danielis.*

RESISTENTE Perſarum angelo precibus tuis & meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam, venit in adiutorium mihi angelus Michael, qui præeſt populo Iſrael. Principes autem primos archangelos intelligimus. *Tomo 4. libr. 1. Com. in cap. 10. Danielis, vide ibidem infrà plura.*

*Angeli orant pro infantib. Pſal. 33.*

ANGELI ſunt tutores paruulorum, qui quotidie vident faciem patris, & interpellant pro eis, de quib. dictum eſt: Immittet angelus Domini in circuitu timētium eum, & eruet eos. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Galatas.*

*Angelus pro populo deprecatur.*

ANGELI regnis & nationibus præſident, & peculiaris angelus interpellat pro Iſrael & deprecatur pro populo. Zachariæ 1. *Tom. 5. lib. 1. in cap. 1. Zachariæ.*

*Articulus IV. Sanctos vna cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre.*

*Narciſſus defunctus Epiſcopalem locum orationibus ſuis regit.*

ALEXANDER in fine cuiuſdam Epiſtolæ, quam ſcribit ad Antinoitas ſuper pace Eccleſiæ, ait: Salutat vos Narciſſus, qui ante me hic Hieroſolymis tenuit Epiſcopalem locum, & nunc mecum eundem orationibus regit, & vos mecum precatur, vt vnum idemque ſapiatis. *Tom. 1. in Catalogo Virorum Illuſtrium in Alexandro.*

*Orationes et interceſsiones ſanctorū non valent in extremo iudicio. Ezech. 14.*

VNVSQVISQVE onus ſuum portabit.] Obſcurè licet docemur per hanc ſententiolam, nouum dogma quod latitat, dum in præſenti ſeculo ſumus, ſiue orationibus ſiue conſilijs inuicem poſſe nos coadiuuari. Cum autem ante Chriſti tribunal venerimus, non Iob, non Daniel, nec Nohe rogare poſſe pro quoquam, ſed vnumquemq; portare onus ſuum. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 6. ad Galatas.*

*Pauli petit interceſsionē.*

EGO & Marcellam & vos, & ſi qui fortè lecturi ſunt, in commune precor: vt ſciatis me non cogitatum diu limatumque proferre ſermonem, ſed ad reuelanda myſteria ſcripturarum vti verbis pene de triuio, & interdum per ſingulos dies vſque ad numerum mille verſuum peruenire: vt cœpta in Apoſtolum explanatio, ipſius Pauli, cuius Epiſtolas conamur exponere, orationibus compleatur, *Tom. 6. Proœmio in lib. 2. Com. Epiſtolæ ad Epheſios.*

*Interceſsionē ſanctorum petit Paulus.*

HVMILITAS Apoſtoli admiranda, petentis Epheſios, vt pro ſe faciant obſecrationes. Ait quippe: In omni inſtantia & prece pro omnibus ſanctis, & pro me: Vt ſeorſum ſanctorum, & ſeorſum ſui facerent mentionem. *Tom. 6. lib. 3. in cap. 6. ad Epheſios.*

*Apocal. 8.*

INCENSVM orationes ſunt ſanctorum. Hoc autem cognoſcimus de Apocalypſi, quando viginti quatuor ſeniores tenebant thuribula, & dicebant: Hæ ſunt orationes ſanctorum. *Tomo. 7. Com. in Pſalmum 140. in illa verba. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Vide infra articulo 13. plura huc pertinentia.*

SCHOLIA.

HIERONYMVS *libr. 3. in Epiſtolam ad Galatas cap. 6. in iſta verba, vnuſquiſque onus ſuum portabit, ſcribens talem ſubiungit explanationem: Obſcurè licet docemur per hanc ſententiolam nouum dogma quod latitat; dum in præſenti ſæculo ſumus, ſiue orationibus, ſiue conſilijs inuicem poſſe nos coadiuuari, cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Iob, non Daniel, nec Nohe rogare poſſe pro quoquam: ſed vnumquemque portare onus ſuum. Videtur multum ineſſe ſcrupuli huic expoſitioni prima fronte, nam ſi verum eſt ſanctos poſt hanc vitam non poſſe pro nobis orare: cur hoc aſſertum noui, ac latitātis, ſiue ſuſpecti dogmatis appellatione notat? & ſi nouum ac ſuſpectum eſt dogma, cur Paulum ſuſpecti dogmatis facit authorem ac doctorem? Probabile videtur plerìſque Hieronymum hæc verba per antiphraſin & ironicè protuliſſe aduerſus nouum dogma Vigilantij, qui in latibulis ſuis docebat ſanctos, qui ex hac vita migrarunt, neminem ſuis orationibus poſſe adiuuare. Etenim & verba huius loci alludunt ad verba Vigilantij, quæ Hieronymus in Declamatione contra Vigilantium ex libro eiuſdem refert, inquiens: Dicis in libello tuo, quod dum viuimus mutuo pro nobis orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cum martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiuerint. Vel certè loquitur non de quouis tempore, ſed duntaxat de tempore extremi iudicij, vbi nec aduocatis, nec interceſsionibus ſanctorum ante non comparatis, nec appellationibus, nec dilationibus, nec vllis ſubornatis teſtibus (qui alioqui in hoc mundo iudicum oculos perſtringere ſolent) vllus erit locus relictus.*

*Articulus V. Sanctos honorandos, imitandos, & ſuo modo adorandos eſſe, nec ob id Chriſtianos idololatras appellandos.*

*Paula Epiphanij pedibus prouoluitur.*

PAVLA videns cellulas Flauiæ Domitillæ, in quibus illa longum martyrium duxerat, ſumptis fidei alis, Hieroſolymam & ſancta loca videre cupiebat, in Cypro ſancti & venerabilis Epiphanij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta eſt, non in refectionē corporis, ſed in opus Dei, vt re comprobatum eſt. Nam omnia illius regionis luſtrans monaſteria, prout potuit, refrigeria ſumptuum fratribus dereliquit, quos amor

ſancti

ſancti viri de toto illuc orbe conduxerat. In Gabaon recordata tribus Beniamin trecentos viros propter Paulum Apoſtolum reſeruatos. *Tom. 1. Epiſtola 27. ad Euſtochium in Epitaphio Paulæ, cap. 3.*

*Trecenti viri propter Paulum Apoſtolum reſeruati.*

OCCVRRENTE ſibi ſancto & venerabili Epiſcopo Iſidoro confeſſore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos ſacerdotalis & leuiticus ſublimabat gradus, lætabatur quidem ad gloriam Domini, ſed indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arſenios, Serapionas, & reliqua columnarum Chriſti nomina? Cuius non intrauit cellulam? quorum pedibus non aduoluta eſt? Per ſingulos ſanctos Chriſtum ſe videre credebat; & quidquid in illos contulerat, in Dominum ſe contuliſſe lætabatur. Mirus ardor, & vix in femina credibilis fortitudo. Oblita ſexus fragilitatis corporeæ inter tot millia monachorum cum ſuis puellis habitare cupiebat: & forſitan, cunctis eam ſuſcipientibus impetraſſet, ni maius ſanctorum locorum retraxiſſet deſiderium. *To. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium, cap. 7.*

*Paulæ veneratio erga ſanctos viros.*

EGO in Lucinio magis laudabo feruorem & ſtudium ſcripturarum, quo ille deſiderio opuſcula noſtra flagitauit; & miſsis ſex notarijs, quia in hac prouincia latini ſermonis ſcriptorumque penuria eſt, deſcribi ſibi fecit, quæcunque ab adoleſcentia vſque in præſens tempus dictauimus? non nos honorauit, qui paruuli & minimi omnium Chriſtianorum ſumus, & ob conſcientiam peccatorum Bethlemitici ruris ſaxa incolimus; ſed Chriſtum, qui honoratur in ſeruis ſuis, & Apoſtolus repromittit, dicens: Qui vos recipiunt, me recipiunt: & qui me recipiunt, recipiunt eum, qui me miſit. *Tomo. 1. Epiſtola 29. ad Theodoram.*

*Chriſtus honoratur in ſanctis.*

*Matth. 10.*

PRECAMVR (Fauni & ſatyri) ô Antoni vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro ſalute mundi veniſſe cognouimus, & in vniuerſam terram exijt ſonus eius. *Tomo 1. in vita Pauli Eremitæ.*

*Antonium inuocant fauni & Satyri.*

DVO Leones ad Antonium perrexerunt, manus eius pedeſque lingentes. At ille animaduertit benedictionem Chriſti effuſus, quod muta animalia Deum quoque eſſe ſentirent, ait: Domine, ſine cuius nutu, nec folium arboris defluit, nec vnus paſſerum ad terram cadit, da illis, ſicut tu ſcis. Et manus annuens eis, vt abirent, imperauit. *Tom. 1. in vita Pauli Eremitæ.*

*Leones petunt benedictionem ab Antonio.*

MVLIER quædam Eleutheropolitana cernens ſe deſpectu haberi à viro ob ſterilitatem, prima irrumpere auſa eſt ad beatum Hilarionem, & nihil tale ſuſpicanti, repente genibus eius aduoluta. Ignoſce, inquit, audaciæ, ignoſce neceſsitati meæ, quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aſpicere, ſed miſeram. Hic ſexus genuit ſaluatorem, non habent ſani opus medico, ſed qui malè habent. Tandem ſubſtitit, & poſt tantum temporis viſa muliere, interrogauit cauſam aduentus eius, ac fletuum: & poſtquã didicit, leuatis ad cœlum oculis, fidere iuſsit, euntemque lachrymis proſequutus, exacto anno vidit cum filio. Hoc ſignorum eius principium maius aliud ſignum nobilitauit. Ariſtęneta Helpidij vxor valdè nobilis inter ſuos proſtrauit ſe humi, crebro clamitans: Hilarion, ſerue Chriſti, redde mihi liberos tres defunctos, excitauit eos Hilarion, & ſancti manus deoſculati ſunt. *Tom. 1, in Hilarione de viris illuſtribus.*

*Mulier Hilarionis genib. aduoluta. Marci 2.*

*Vxor nobilis viri humi ſe proſternit ante Hilarionẽ.*

MARSITAS fortiſsimus iuuenis obſeſſus à dæmone, & adiuratus ab Hilarione cœpit ſedentis pedes lambere, & dæmon tortus, qui iuuenem poſſederat, ſeptima die egreſſus eſt. *Ibidem.*

ORIONVS à legione dæmonum per Hilarionem liberatus cum vxore & liberis venit ad monaſterium, plurima, quaſi gratiam redditurus, dona afferens. Cui ſanctus, non legiſti, inquit, quid Giezi, quid Simon paſsi ſint; quorum alter accepit pretium, alter obtulit; vt ille venderet gratiam ſpiritus ſancti, hic mercaretur? *Ibidem.*

*Simonia vetita.*

*4. Reg. 5. Actor. 8.*

BELLVA obſeſſa quaſi demortua cum ad Hilarionem perueniſſet, ſtatim corruit; ſubmiſſumque caput terræ coæquauit, mirantibus cunctis, qui aderant, poſt tantam ferociam, tantam ſubitò manſuetudinem. Per totam Palæſtinam omnes certatim monachi ad eum currebant. Audito, quod ſanctus Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos à dęmone frequenter curauerat) Saraceni gregatim ei cum vxoribus & liberis obuiam proceſſere, ſubmittentes colla, & voce Syra Barach, id eſt, benedic inclamantes, quos ille blandè humiliterque ſuſcipiens, obſecrabat, vt Deum magis quã lapides colerent, &c. *Ibidem Tom. 1. in vita Hilarionis.*

*Saraceni benedictionem petunt ab Hilarione.*

VARIA multitudo hominum concurrebat ad Hilarionem vt ab eo benedictum panem vel oleum acciperent, quo vniuerſi agricolæ atque paſtores tangentes vulnera certam ſalutem reſumebant. Rogatus beatus Hilarion pluuias populo è cœlo impetrauit. Hadrianus diſcipulus Hilarionis, qui ad eius iniuriam & contumeliam multa fecerat, & magiſtrum contempſerat morbo regio computruit. S. Hilarion quo magis honorem fugiebat, & ſolitudinem quærebat: eò minus latere potuit ob ſigna & miracula ac diuinas virtutes. *Paßim & ſparſim Tomo 1. in vita Hilarionis.*

*Pœna contẽptus in ſanctis.*

Heſychius diſcipulus eius vir ſanctus ad magiſtri genua prouoluitur, plantaſque eius lachrymis rigat. *Vide plura ſparſim in vita S. Hilarionis de honore multiplici ab omnibus ordinibus illi impenſo.*

TRADIT Ioſephus Iacobum Iuſtum fratrem Domini tantæ ſanctitatis fuiſſe, & celebritatis in populo, vt propter eius necem creditum ſit ſubuerſam eſſe Hieroſolymam. *Tom. 1. libro de ſcriptoribus Eccleſiaſtis in Iacobo.*

*Ob necem Iacobi Hieroſolyma euerſa.*

SENECA magiſter Neronis in Epiſtolis ſuis ad Paulum optare ſe dicit, eius eſſe loci apud ſuos, cuius ſit Paulus apud Chriſtianos. *Tom. 1. in Catalogo viro. illuſtri. in Seneca.*

*Maximo loco fuit Paulus apud Chriſtianos.*

IOSEPHVS Antiquitatum Iudaicarum ſcriptor ob ingenij gloriam ſtatuam Romæ meruit. *Tom. 1. de viris illuſtri. in Ioſepho.*

*Ioſepho ſtatua Romæ erecta.*

BESTIAE quorundam martyrum corpora non auſæ fuerunt attingere, cum ijs obijcerentur *Tom. 1. de viris illuſtri. in Ignatio.*

PHILEAS Epiſcopus de laude & honore martyrum elegantiſsimum librum compoſuit. *Tom. 1. de viris illuſtri. in Philea.*

GREGORIVS Nazianzenus ſcripſit laudes Machabæorum: laudes Cypriani: laudes Athanaſij: Maximi Philoſophi. *Tom. 1. de viris illuſtribus in Gregorio Nazianzeno.*

TRIVMPHVS Dei eſt paſsio martyrum pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit, tanta perſeuerantia ſtare martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari: odor notitiæ Dei diſſeminatur in gentes, & ſubit tacita cogitatio, quod niſi

*Sanctorum victoria triumphus Dei eſt.*



niſi verum eſſet Euangelium, nunquam ſanguine defenderetur. Neque enim delicata & diuitijs ſtudens ac ſecura confeſsio eſt, ſed in carceribus, in plagis, in perſequutionibus, in fame, in nuditate, in ſiti. Hic triumphus Dei eſt Apoſtolorũq; victoria. *Tom. 3. Epiſtola 150. ad Hebidiam quæſt. 11.*

FORTITVDO gentium triumphus eſt martyrum, & nos in eorum gloria ſuperbi ſumus, non ea ſuperbia, quæ in vitio eſt, cui Dei reſiſtit, vt humilibus det gratiam, ſed ea quæ pro potentia & gloria accipitur. *Tomo. 4. libr. 17. Comment. in cap. 61. Eſaiæ.*

IN noua lege erat corona decoris in manu Domini, & quaſi diadema regni in manu Dei ſui, quando eam coronauerit turba credentium: & diadema imperij, ꝙ martyres gemmarum ſuarum varietate diſtinxerint, fuerit in manu Dei, vt filium ſuum eorum coronet victorijs. Vnde & Apoſtolus loquebatur ad ſanctos. Gaudium & corona mea, *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 62. Eſaiæ.*

*Martyrum victorijs coronatur Dei filius.*

*Philip. 5.*

CVM ciuitates, hoc eſt, Eccleſiæ credentium fuerint inhabitatæ redeuntibus turbis, tunc nequaquam ſolum homines, qui pollebant ſcientia ſcripturarum, ſed & iumenta ſimplices quique credentium, multiplicabuntur atq; ſuccreſcent, & habitabuntur Eccleſiæ à principio, hoc eſt, priuſquam eſſet perſequutio: boniſque florebunt maioribus, quam habuerunt ab initio, martyrum victorijs coronatæ. *Tom. 4. libr. 11. Com. in cap. 36. Ezechielis.*

*Eccleſiæ martyrum victorijs coronantur.*

DVO hœdi poſt paſsionem Domini immolati & oblati ad altare Domini ſunt Iacobus & Stephanus, qui primitiæ fuere martyrum, quos Chriſti poſtea confeſsio coronauit. *Tom 4. lib. 13. Com. in cap. 43. Ezechielis.*

*Chriſti confeßio coronauit martyres*

TVNC rex Nabuchodonozor cecidit in faciem ſuam.] Hunc calumniatur Porphyrius, quod nunquam ſuperbiſsimus rex captiuum adorauerit: quaſi non & Lycaones ob ſignorum magnitudinem Paulo & Barnabæ voluerint hoſtias immolare. Error ergo gentilium, qui omne quod ſupra ſe eſt, Deos putant, ſcripturæ non debet imputari, quæ ſimpliciter refert quæ geſta ſunt. Sed & hoc poſſumus dicere, quod cauſas adorandi & immolandarum hoſtiarum, & incenſi atque ſacrificij ipſe rex expoſuerit dicens ad Danielem. Verè Deus veſter Deorum eſt; & Dominus regum; & reuelans myſteria, &c.] Ergo non tam Danielem, quam in Daniele adorat Deum, qui myſteria reuelauit. Quod & Alexandrum Magnum regem Macedonum in Pontifice Ioiada feciſſe legimus. Ideo autem rex vidit ſomnium, & interpretationis myſteria per puerum ſunt reuelata, vt Daniel creſceret, & in loco captiuitatis princeps omnium fieret Chaldæorum, & Dei omnipotentia noſceretur. Quod quidem & in Ioſeph apud Pharaonem, & Aegyptum factum legimus: Et in Mardochæo apud Aſſuerum: vt in vtraque gente haberent captiui, & peregrinantes Iudæi ſolatia, videntes hominem gentis ſuæ, Aegyptiorum eſſe principem, vel Chaldæorum: *To. 4. lib. 11. Com. in cap. 2. Danielis.*

*Acto. 14.*

*Ioſephus lib. 11. Antiquita. cap. 8.*

*In ſanctis Deus colitur*

*Geneſ. 41. Heſther 8.*

IN mente tua regi ne maledixeris.] Etiam nunc iubemur, nè poſt regem de ſanctis quoq; facilè detrahamus, & eos, quos viderimus ſapiẽtia, ſcientia, virtutibuſque ditatos, linguæ mordacitate rodamus: quia angeli, qui terram circumeunt, & ſunt adminiſtratorij ſpiritus, & in Zacharia loquuntur: Circumiuimus terram, & ecce omnis terra habitatur & ſilet: ad inſtar auium, noſtra verba & cogitationes ad cœlum perferunt, & quod clam cogitamus, Dei ſcientiam non latere. *Tom. 5. Com. in cap. 10. Eccleſiaſtis.*

*Sanctis non detrahendũ.*

VERBVM quod in principio erat apud Deum patrem, & Deus erat verbum, factum eſt ad Oſee filium Beeri, vt Prophetam quoq; Deum faceret, Saluatore dicente: Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura: Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum: vos dicitis, blaſphemas quia dixi filius Dei ſum. Vt quomodo Deus Deos facit, & ſtat in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat: & cum ipſe ſit verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ad Apoſtolos loquitur: Vos eſtis lux mundi: Sic & ipſe Saluator prophetam ſuum faciat ſaluatorem: Oſee enim in lingua noſtra Saluatorem ſonat; quod nomen habuit etiam Ioſue filius Nun, antequam ei à Deo vocabulum mutatur. *Tom. 4. Com. in cap. 1. Oſeæ.*

*Ioan. 1.*

*Ioan. 10.*

*Deus nomina ſua cum ſanctis communicat.*

*Pſal. 81.*

*Ioan. 1.*

*Matth. 5.*

TROPOLOGICE egredietur Dominus de loco ſuo quem vel filium, vel omnes ſanctos intelligere poſſumus. Ipſe enim filius ait: Ego in patre & pater in me. Et de ſanctis: Habitabo & inambulabo in eis, & ero eorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 1. Michæ.*

*Ioan. 14.*

NOS animas noſtras in equos & currus Domini præparemus: qui aſcendit in Paulo, aſcendit in Petro, & in huiuſcemodi curribus equitans, totum luſtrauit orbem. Semper Deus ſedet in ſanctis ſuis ſemper armatus eſt. Et acutas ſagittas in linguis eorum præparans equitat, & huc illucque diſcurrit in orbis ſalutem. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 3. Habacuc.*

*Deus ſedet in ſanctis ſuis.*

QVOS alios poſſumus intelligere filios Eccleſiæ nominatos, niſi Apoſtolos? Vide mihi Petrum Paulum, Matthæum; & Ioannem; & conſidera hoc quod ad Abraham repromiſſum eſt: Magnificabo nomen tuum, in illis opere perpetratum. Quotidie nominantur in Eccleſia, quotidie magnificatur nomen eorum: non quod ipſis proſit à nobis in Eccleſia nominari: ſed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ ſcripſerant, lectitantes, conſequamur ſalutem. In tempore, inquit, illo quando expreſſa & repulſa ſuſcepta fuerit, & filij eius poſiti in gloriam (Gloriatur quippe Dominus in athletis ſuis, cum eos viderit coronari: ſicut gloriatus eſt aduerſus diabolum de Iob. Vnde & Apoſtolus in profectu diſcipulorum ſuorum exultans; ait: Etiam per veſtram gloriam confundentur qui aduerſarij veſtri fuerant, & tulerant contra vos opprobrium, & tunc videbunt eos, quos miſeros eſſe putabant, fœlices, & quos pauperes exiſtimabant atque deiectos, potentes fieri atque glorioſos. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Sophoniæ.*

*Geneſ. 12.*

*Filij Eccleſiæ Apoſtoli in Eccleſia magnificantur.*

*Iob. 2.*

IMPONVNTVR coronę vel corona Ieſu filio Ioſedech ſacerdoti magno: quia nobis proficientibus, & reuerſis ad meliora, per ſingulas virtutes noſtras, Dominus coronatur: imo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in ſingulis coronam accipit, iuxta illud, quod Paulus loquitur. De cętero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam mihi reddet Dominus iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum Domini ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Vnde à corona iuſtitiæ, & pater Domini ſaluatoris nomen accepit. Ioſedech enim interpretatur corona

*Per virtutes ſanctorum Deus coronatur.*

*2. Tim. 4.*

rona iuſtitiæ, eo quod reddat vnicuique, ſecundum opera ſua. De hac corona & Iacobus in Epiſtola ſua loquitur: Beatus vir qui ſuſtinet tentationem: quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. *Tom.5.lib. 2. Com.in cap.6.Zachariæ.*

*Iacob.1.*

Nos ſimpliciter intelligimus, quod omnis ſanctus, qui iam cum Deo eſt, maior ſit illo, qui adhuc conſiſtit in prælio. Aliud eſt enim coronam victoriæ poſsidere: aliud adhuc in acie pugnare. *Tomo 6. libr. 2. Comment. in cap. 11. Matthæi, Canone 19.*

*Sancti coronam victoriæ poſsident.*

In præſenti ſæculo fulget lux ſanctorum coram hominibus: per conſummationem autem mundi, ipſi iuſti fulgebunt, ſicut ſol in regno patris ſui. *Tomo.6.lib. 2. Com.in cap.13.Matthæi.*

Aqvilae appellantur ſancti, quibus innouata eſt iuuentus vt aquilæ: & qui iuxta Eſaiam plumeſcunt, & aſſumunt alas, vt ad Chriſti veniant paſsionem. *To.6.lib.4.Com.in cap.24.Matth.*

*Pſal.102. Sancti cur aquilæ.*

Qvaeritvr, vtrum totius vrbis Eccleſiæ Dei acceperint Euangelium, an hominis? Quotus enim quiſque noſtrum per reuelationem Ieſu Chriſti didicit: & non homine prædicante cognouit? Ad quod reſpondebimus: Eos, qui poſſint dicere, An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur, Chriſtus. Et viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus: non tam ipſos docere, quam in ipſis Deum, qui ad ſanctos loquatur: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, & ſtatim de peccatoribus: Vos autem vt homines moriemini, & tanquam vnus de principibus cadetis. Cum igitur Paulus loquitur & Petrus, qui non moriuntur vt homines, neque vt vnus de principibus corruunt: Deos eos eſſe manifeſtum eſt. Qui autem dij ſunt, tradunt Dei Euangelium, & non hominis, *Tom.6.lib.1. Com. in cap. 1. ad Galatas.*

*2.Cor.13.*
*2.Cor.2.*
*Pſal.81. Sancti dij ſunt.*

Qvaecvnqve toti humano generi ſapientia Dei quaſi in filio præſtitit: hæc eadem vnicuique ſanctorum, ſemper ſuo ordine & diſpenſatione largita eſt. *Tom.6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Galatas, vide & ſupra in cap.3. ad Galatas pag.134. fac.1.*

Nvnc hoc quæritur, quomodo eandem fidem in Chriſto Ieſu quis habere poſsit, & in ſanctos eius: ἀπὸ κοινοῦ enim reſonat charitatem, quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos eius. Ad expoſitionem huius loci de Exodo ſumamus exemplum: Credidit populus Deo, & Moyſi ſeruo eius: Vna atque eadem credulitas in Moyſen refertur & in Deum: vt populus, qui credebat in Dominum æquè crediſſe dicatur in ſeruum. Hoc autem non ſolum in Moyſe, ſed in omnibus ſanctis eius eſt: vt quicunq; credidit Deo, aliter eius fidem recipere non queat, niſi credat & in ſanctos eius. Non eſt enim in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in miniſtros eius odio & infidelitate tenuatur. Quod autẽ dico, tale eſt: Credidit quiſpiam in conditorem Deum, non poteſt credere, niſi prius de ſanctis eius crediderit vera eſſe quæ ſcripta ſunt: Adam à Deo plaſmatum: Euam ex coſta illius & latere fabricatam. Enoch translatum: Nohe naufrago orbe ſolum ſeruatũ: Quod primus Abraham de terra ſua & cognatione iuſſus exire, circumciſionem, quam in ſignum futuræ prolis acceperat, poſteris dereliquit: Quod Iſaac oblatus, victima ſit, & pro illo aries immolatus, coronatuſque ſentibus, paſsionem Domini deformarit: Quod Moyſes & Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint: Quod ad vocem Ieſu filij Naue preceſque ſteterit ſol in Gabaon & luna in valle Ailon. Longum eſt diuerſa Iudicum geſta percurrere, & totam Samſon fabulam, ad veri ſolis (hoc quippe nomen eius ſonat) trahere ſacramentum. Ad Regum libros veniam, quando in tempore meſsis obſecrante Samuele, pluuiæ de cœlo, & flumina repente manarunt, & Dauid vnctus in regem eſt, & Nathan & Gad prophetauerunt myſteria, cum Elias igneo raptus eſt curru, & Elizæus ſpiritu duplici, mortuus mortuum ſuſcitauit. Hæc & cætera, quæ de ſanctis ſcripta ſunt, niſi quis vniuerſa crediderit, in Deum ſanctorum credere non valebit: nec adduci ad fidem veteris teſtamenti: niſi quæcunque de Patriarchis & Prophetis & inſignibus alijs viris narrat hiſtoria, vera comprobarit: vt ex fide legis, ad fidem veniat Euangelij: & iuſtitia Dei in eo reueletur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Præcipitur & in alio loco: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus Deus veſter. Eadem ſanctitas debetur ſeruis & Domino, & ſanctificans quippe & ſanctificati ex vno omnes. Non putemus leuem Philemonis prædicationem, ſi eandem fidem habeat in ſanctos, quam & in Deum. *Tom.6.Com. in cap.1.ad Philemonem.*

*Exod.19.*
*Nõ eſt in Deũ perfecta dilectio & fides quæ in miniſtros eius odio & infidelitate tenuatur.*
*Ex fide legis ad fidem Euangelij venitur.*
*Rom.1.*
*Abacuc.2.*
*Eadem ſanctitas debetur ſeruis & Domino.*
*Leuit.19.*

Qvicqvid boni in ſanctis laudatur, inde bonum eſt, quia de fonte Chriſti ducitur. *Tom.6. lib.1. Com.in cap.1. ad Philemonem.*

*Omnes virtes ſanctorũ de fonte Chriſti ducuntur.*

Vnvsqvisqve ſanctus thronus & ſedes Dei eſt, vt ipſe ait: Cœlum mihi ſedes eſt: & alibi. Anima iuſti, ſedes eſt ſapientiæ: Dicit vnus thronus ex ipſis, id eſt, Paulus: An experimentum, eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?

*Eſaiæ.66.*
*Sap.7.*
*Sanctus Dei ſedes & thronus.*
*2.Cor.13.*

Non diuites, non potentes glorificandi, ſed tantum hi, qui timent Dominum. Et qui timent Dominum timore ſancto, Dominus eos magnificat, aliter ad ſenſum moralem. Timentes autem Dominum magnificat. Scit enim in his habitare Deum, ſicut ait Dominus: Qui vos diligit, me diligit *Tom.7.Com.in Pſal.14.*

*Deus in ſanctis habitat.*
*Ioan.14.*

Cvm apparuerit gloria tua.] Filius tuus, qui eſt ſalus & vita, & ſanctorũ omnium gloria. Cum apparuerit gloria tua ſanctis & electis tuis, qui per me crediderunt: quia meum eſt quod illis eſt præſtitum. Nam ego in illis ſum & ipſi in me tecum. *Tom.7.Com.in Pſal.16.*

*Quicquid ſanctis eſt præſtitum Dei eſt.*

Cedri Libani ſancti propter altitudinem meritorum ipſorum, & ſacros odores boni operis. *Tom.7. Com.in pſal.36.*

*Cur cedri Libani ſancti.*

Dii ſancti ſunt fortes terræ vehementer eleuati: ſicut ait idem Propheta: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Eleuati ſunt per fidem & prædicationem. *Tom.7.Com.in Pſal.46.*

*Sancti dij ſunt.*

Salvs tua, Deus, ſuſcepit me.] Poſſumus hoc verſiculo vti, ſi quando in laudes martyrum peroramus. *Tom.7.Com.in Pſal.68.*

Flvmina, quæ biberunt de fonte Ieſu. Me, inquit, dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Flumina ipſa de fonte Chriſti currunt. Ille fons eſt, nos flumina ſumus: ſi tamen meremur eſſe flumina. Chriſtus fons eſt, ſancti flumina ſunt. Qui autem inferiores ſunt, riuuli ſunt. Alij vero torrentes ſunt. Qui ſunt torrentes? Qui ad horam habent aquas, & tentatione veniente ſiccantur. Non eſt vnum flumen, plura ſunt flumina. Quot ſancti ſunt, tot & flumina ſunt. Sed iſta flumina non habent inter ſe diſſenſionem. Quoniam ſunt flumina Chriſti, propterea habent inter ſe con-

*Hiere 2.*
*Chriſtus fons & ſancti flumina.*
*Quot ſancti tot & flumina.*



concordiam. Flumina plaudent manu ſimul. Plaudent, quia opera ſanctorũ laus Dei eſt. Chriſtus non voce laudatur, ſed opere. Flumina plaudent manu ſimul. Propterea dicit & ipſe in Euangelio. Qui ſitit, veniat, & bibat, & fluent, inquit, flumina de ventre eius. *Tom. 7. Commentariorum in Pſalmum 97.*

*Ioan. 4.*

Devs noſter, præ omnibus dijs] Super omnes Sanctos, Angeloſque, qui dij digni ſunt vocari. *Tom.7.Comm in Pſal.134.*

Cervvs accipitur in ſancto: quia altus eſt, & cornua grandia habet, & interficit ſerpentes. Propterea dicit alibi: Qui perfecit pedes meos tanquã ceruorum. Talis enim dicitur eſſe virtutis, vt ſpiritu narium ſuarum protrahere ſerpentes de cauernis & ſic comedere valeat. *Tom.7. Commentar. in Pſalmum 140.*

*Cur ſancti cerui.*
*Pſal 17.*

### *Articulus VI. Sanctos ſuppliciter inuocare, & ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere, etiam ſingulis Chriſtianis bonum eſſe atque vtile.*

Vale ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua te Chriſto ſociãt: præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis. *Tomo primo, Epiſtola 27. ad Euſtochium, capite 14.*

*Paulæ inuocatio.*

Qvod petis literis tuis, vt ego pro te orem: id rectè facerem, ſi ego ipſe à peccatis liber eſſem, vt pro alijs liceret orare, & ideo te admoneo, vt orationes aſſiduas animi tui pro me emittas ad Dominum. *Tomo primo, Epiſtola 40. quæ eſt Hieronymi ad Auguſtinum.*

*Hieronymus petit Auguſtini interceſsionem.*

Precamvr (Fauni & Satyri) vt pro nobis cõmunem Deum depreceris, quem pro ſalute mundi veniſſe cognouimus. *Tomo primo, in vita Pauli Eremitæ.*

Non mihi videtur in calce libri tacenda Conſtantiæ illius ſanctiſſimæ mulieris, deuotio; quæ, perlato ad ſe nuncio, quod corpuſculum Hilarionis Paleſtinæ eſſet, ſtatim exanimata eſt, veram in ſeruum Dei dilectionem, etiam morte comprobans: erat enim ſolita peruigiles in ſepulchro eius noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari. *Tom.1. in vita Hilarionis Eremitæ, circa finem.*

*Peruigiles noctes in ſanctorum ſepulchris ducebantur.*

Vos queſo vtriuſq; ſexus virgines, & continentes, mariti quoq; & digami, vt conatus meos orationibus adiuuetis. Cunctorum in commune Iouinianus hoſtis eſt. Quorum ego orationibus indigeo, & quos adiutores mei operis precor, eos poſſum Manichæi errore damnare. *Tom.2. in Apologia ad Pammachium, cap.1.*

*Implorat ſãctorum virginũ preces B. Hieron.*

Memor noſtri exaudiaris à Domino in omni ſancto deſiderio tuo, Domine chariſſime, & deſideratiſſime, & honorande in Chriſto frater. *Tomo ſecundo, Epiſtola nonageſima Auguſtini ad Hieronymum.*

*Auguſtinus interceſsionẽ petit Hieronymi & viciſsim Hieronymus Auguſtini.*

Memento mei ſancte & venerabilis Papa, vide, quantum te diligam, vt ne prouocatus quidem voluerim reſpondere, nec credam tuum eſſe, quod in altero forte reprehenderem. *Tom.2. Epiſt.91. Hieron ad Auguſtinum.*

Et quare moriemini domus Iſrahel] Melius eſt, vt ſupra diximus, exhortationem hãc, in qua ſcriptum eſt: Conuertimini, & agite pœnitentiã, ſuper perſona accipere Iudæorum, quos non vult mori: & quibus nunc loquitur: quare moriemini domus Iſrahel, qui habetis patres Abraham, Iſaac & Iacob, de quibus ſcriptum eſt: Deus viuorum eſt, & non mortuorum. Cur veſtro vitio moriemini, qui patrum merito, & mea debetis viuere miſericordia. *Tom.4.lib.6. Commentariorum in cap. 18. Ezechielis.*

*Marc. 12.*
*Patrum defunctorum merita viuis proſunt.*

Inter tanta vitia, & ſcelerum multitudinem, quæſiui de eis virum, qui iræ meæ poſſet reſiſtere: & inſtar Moyſi, Aaron, & Samuelis, igni meo, & incendio ſe opponeret: & non potui reperire. Vnde loquebatur ad Moyſen: Dimitte me, & delebo populum iſtum. Et quia reſiſtentem mihi, retinentemque me, non potui reperire: propterea totam ſuper eos effudi indignationem meam: & conſumpſi illos non abſque menſura atque iudicio, ſed vt redderem vias eorum in capita illorum: vel propria peccata, quæ fecerant, authoribus tribuens, vel certè in capita populi Ducis, Principis, ac Prophetarum, quorum nullus fuit, qui iraſcenti Domino auderet reſiſtere: & quorum cauſſa terra ſqualida atque deſerta, imbrem Domini ſuſcipere non meruit. *Tomo quarto, libro ſeptimo Commentariorum in caput viceſimum ſecundum Ezechielis.*

*Num 16.*
*1 Reg. 12. & 15.*
*Sancti iræ Dei reſiſtũt.*

Prolixam explanationem & obſcuram Ezechielis, ô filia Euſtochium, tuis orationibus omniumque Sanctorum ad calcem credimus peruenturam. *Tomo quarto, in Proœmio libr. 9. Comment. in Ezechielem.*

*Orationes ſãctorum petit B. Hieron.*

Qvidam autem illic ſtantes] Non omnes, ſed quidam, quos arbitror milites fuiſſe Romanos, non intelligentes ſermonis Hebraici proprietatem: ſed ex eo quod dixit: Eli Eli, putantes Eliam ab eo inuocatum. Sin autem Iudæos, qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, & hoc more ſibi ſolito faciunt, vt Dominum imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium deprecetur. *Tomo ſexto, libr.4. Commentariorum in cap.27. Matthæi Canone 64.*

*Iudæi credebant inuocationem ſanctorum.*

Si pro Sanctis quibuſque & melioribus Paulus ſemper orabat, & pro Philemone ſemper oraſſe Paulum credibile eſt: quo ſcilicet fides & charitas, quam habebat in Chriſto, & in omnes Sanctos eius, per communicationem fidei, & operationem agnitionis in omni bono, Chriſti miſericordia ſeruaretur. *Tomo ſexto, in caput primum ad Philemonem.*

*Paulus orabat pro ſanctis.*

Delectationes in dextera tua vſque in finem. In illa delectabili potentia tua, qua tecum Sancti ſunt regnaturi, quæ nullo fine concluditur. Vnde Sanctos deprecamur, vt ab ipſis nequaquam deiuncti, ſi non meremur veſtiri gloria, non excludamur à venia. *Tomo 7. Commentar. in Pſalmum 15.*

*Sancti deprecandi.*

### *Articulus VII. Sanctos aliter adorari, & inuocari, & honorari, quàm Deum, cui ſoli latria ſacrificiumque debetur.*

Nos non dico martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſæculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſeruiamus creaturæ potius quàm creatori. Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redũdet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. *Tomo ſecundo, Epiſtola 53. ad Riparium.*

*Diſtinctio inter adorationem & honorẽ Dei, ac Sanctorũ.*

Bbbb Qvis

*Act. 14.*

QVIS, ò inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? nonne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Iuppiter & Mercurius putarentur, & eis vellent, hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus, Ioue, atque Mercurio: ſed quod ſub gentilitatis errore, honos eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus; qui Cornelium ſe adorare cupientem, manu ſubleuauit, & dixit, ſurge: nam & ego homo ſum.

*Act. 10.*

*Honor impẽditur reliquijs ſanctorum.*

Et audes dicere, Illud, neſcio quid? quod in modico vaſculo transferendo colis? Quid eſt illud, neſcio quid? ſcire deſidero, expone manifeſtius, vt tota libertate blaſphemes. Puluiſculum, inquit, neſcio quod, in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum. Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in ſterquilinium; vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, ſe illorum ſentire præſentiam confitentur, & cætera. *Tomo ſecundo, aduerſus Vigilantium capite ſecundo.*

*Quod ad caput refertur interpretatur in membris.*

*Gloria Domini gloria famulorum.*

NE quis me vim facere Scripturæ putet, & ſic amare Chriſtum, vt Hiſtoriæ auferam veritatem; interpretabor in membris, quod referatur ad caput: intelligam de ſeruis, quod impleatur in Domino: quanquam gloria Domini, gloria famulorum ſit, & vbicunque oportunitas loci tulerit, ſic de vero lumine diſputabo, vt deriuetur ad eos, quibus Chriſtus donauit, vt lumen ſint. *Tomo tertio, Epiſtola centeſima viceſima octaua, ad Fabiolam.*

*Matth. 5. & 16.*

QVOMODO lumen Dominus lucem appellat Apoſtolos ſuos, & dicit: Vos eſtis lux mundi, & ipſa petra, Petro donauit, vt petra ſit: Paſtor quoque bonus illis Paſtorum largitus eſt nomina, & quodcunque dicitur de eo ſeruis tribuit, vt dicantur: ſic ipſe Saluator Apoſtolos mundi voluit eſſe ſaluatores: qui aſcendentes ſpeculam montis Eccleſiæ, vt deponentes ſuperbiam Iudaicam, vniuerſorumque montium, qui aduerſum ſcientiam Dei erigebantur, regnum Domino parauerunt. *Tomo quinto, Commentariorum in caput 1. Abdiæ.*

*Nomina Chriſti & Sanctorum communia.*

NEC magiſter, nec pater vocandus eſt alius: niſi Deus Pater, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Pater, quia ex ipſo ſunt omnia. Magiſter: quia per ipſum omnia, vel quoniam per diſpenſationem carnis eius omnes reconciliati ſumus Deo. Quæritur cur aduerſum hoc præceptum, Doctorem gentium Apoſtolus ſe eſſe dixerit: aut quomodo vulgato ſermone maximè in Palæſtina & Ægypti monaſterijs ſe inuicem Patres vocent. Quod ſic ſoluitur: Aliud eſt eſſe natura patrem vel magiſtrum: aliud indulgentia. Nos ſi hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus; non authorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter quoque dicitur, ex conſortio veri magiſtri. Et ne infinita ſimilia replicem: quomodo vnus per naturam Deus, & vnus filius, non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filij: ita & vnus pater, & magiſter non præiudicat alijs; vt abuſiuè appellentur patres & magiſtri. *Tom. 6. lib. 4. Comm. in cap. 23. Matthæi.*

*2. Cor. 5. Coloſſ. 1.*

*Alij propriè magiſtri & patres alij καταχρηστικῶς.*

QVOMODO Deus eſſentiæ ſuæ nomen atque ſubſtantiæ, etiam cæteris impartit elementis, vt ipſa quoque eſſe dicantur, non quò ſecundum naturam ſint (fuit enim tempus, quo vniuerſa non fuerunt, & rurſum ſi voluerit, in nihilum redigentur) ſed vt eſſe dicantur, habent Dei bonitate donatum, ſic & paternitatis nomen ex ſeipſo largitus eſt omnibus. Quod vt manifeſtius fiat, Scripturarum teſtimonijs proferamus. Loquitur in Exodo Dominus. Ego ſum, qui ſum. Et: Hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Numquid ſolus Deus erat, & cætera non erant? Vtique Angeli, cœlum, terra vel maria; & ipſe Moyſes, cui Dominus loquebatur, & Iſrael, & Ægyptij, ad quos, & contra quos Princeps & aduerſarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune ſubſtantiæ ſibi proprium vendicat Deus? illa vt diximus cauſſa, quia cætera vt ſint, Dei ſumpſere beneficio. Deus verò, qui ſemper eſt, nec aliundè habet principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuæque cauſſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi, aliundè habere quod ſubſtitit. Nam & in igni aliud eſt eſſe calidum, aliud calefactum. Ignis abſque calore intelligi non poteſt. Cætera quæ ex igni caleſiunt, calorem illius mutuantur, & paulatim ſi ignis abſceſſerit, calore tenuato, redeunt in naturam ſuam, & nequaquam calida nuncupantur. Iuxta hunc ſenſum & in Euangelio dicitur ad eum, qui Saluatorem non quaſi Dei filium, ſed quaſi magiſtrum bonum putabat: Quid me appellas bonum, nemo eſt bonus, niſi ſolus Deus. Et certè terram bonam legimus, & hominem, & paſtorem bonum, ſed nemo iuxta naturam bonus, niſi ſolus Deus. Cætera vt dicantur bonitate illius conſequuntur. Sicut ergo ſolus bonus bonos facit: & ſolus immortalis immortalitatem tribuit: & ſolus verus veritatis nomen impartit: ita ſolus pater, quia creator eſt omnium, & vniuerſorum cauſſa ſubſtantiæ, præſtat cæteris vt patres eſſe dicantur. *Tomo ſexto, libr. 1. Commentariorum in cap. 3. ad Epheſios.*

*Exod. 3.*

*Alij natura boni, alij participatiuè.*

*Luc. 18.*

### *Articulus VIII. Idololatras & Hæreticos iam olim Chriſtianis obieciſſe, quod Martyres tanquam deos colerent, atque eorundem Martyrum reliquias proculcaſſe atque contempſiſſe, quas Chriſtiani in ſummo honore habuerunt.*

*Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi & Abdiæ cineres adorati.*

ERGO ne erit illa dies, quando nobis liceat Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare? ingredi ſpeluncas, in quibus perſequutionis & famis tempore, Prophetarũ agmina ſunt nutrita. *Tomo primo, Epiſtola decima ſeptima in Epitaphio Marcellæ viduæ capite 8.*

*Vigilantius contemnit reliquias Sanctorum.*

AIS, Vigilantium, qui κατ' ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine; nam Dormitantius rectius diceretur; os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſſimum contra ſanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos, quia eas ſuſcipimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infœlicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens, non intelligat ſe eſſe Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vaſa, quæ in eadem domo fuerint, pollui ſuſpicantur, ſequentes occidentem litteram, & non viuificantem ſpiritum. Nos autem, non dico Martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſæculo, & in futuro, colimus & adoramus; ne ſeruiamus creaturæ potius, quàm creatori. Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt, Martyres adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Ergo Petri & Pauli immundæ ſunt reliquiæ? ergo Moyſi corpuſculum immundum erit, quod iuxta Hebraicam veritatem ab ipſo ſepultum eſt Domino? & quotieſcunque Apoſtolorum, Prophetarum, & omnium Martyrum baſilicas ingredimur, toties idolorum templa veneramur: accenſique ante tumulos eorum cerei, idololatriæ inſignia ſunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in authoris caput, & inſanum caput, vel ſanet aliquando, vel deleat, ne tantis ſacrilegijs ſimplicium animæ ſubuertantur. Ergo & Domini corpus in ſepulchro poſitum, immundum fuit? & Angeli, qui candidis veſtibus vtebantur, mortuo cadaueri atque polluto præbebant excubias, vt poſt multa ſæcula Dormitantius ſomniaret, immo eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Iuliano perſequutore, Sanctorum baſilicas aut deſtrueret, aut in templa conuerteret? Miror ſanctum Epiſcopum, in cuius Parochia Presbyter eſſe dicitur, acquieſcere furori eius, & non virga Apoſtolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat: nec meminerit illius dicti. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odientes te, Domine, odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Si non honorandæ ſunt reliquiæ Martyrum quomodo legimus: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius? Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Heliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit, & dedit vitam corpus, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſrahelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Ioſeph & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt? Ioſeph quoque, qui in typo præceſſit Domini Saluatoris noſtri, ſceleratus fuit? qui tanta ambitione oſſa Iacob in Hebron portauit, vt immundum patrem auo & atauo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet? Iterum dicam. Ergo Martyrum reliquiæ immundæ ſunt? Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, & immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in gaudium verteretur? *Tom. 2. Epiſtola 53. ad Riparium.*

*Diſcrimẽ diuerſi cultus.*

*Reliquiæ ſũt minimè immundæ.*

*Matt. 10.*

*Deut. 34.*

*Hæretici excommunicandi.*

*1 Cor. 5.*

*Pſal. 49.*

*Pſal. 100.*

*Pſal. 138.*

*Pſal. 115.*

*Exod. 13.*

*Ioſue 24.*

*Gen. 50.*

*Act. 8.*

HAEC ſunt verba blaſphemiæ Vigilantij. Quid neceſſe eſt te tanto honore honorare non ſolùm, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis? Et rurſum in eodem Libro: Quid puluerem linteamine circundatum, adorando oſcularis? & in conſequentibus: Propè ritum gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicunque puluiſculum neſcio quod, in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum, oſculantes adorare. Magnum honorem præbent huiuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos: quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore Maieſtatis ſuæ illuſtrat. Quis enim, ò inſanum caput aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? nonne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Iuppiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? Sacrilegus dicendus eſt Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum; cuius Samuel & Leuita, & Propheta fuit. *Tomo 2. aduerſus Vigilantium cap. 2.*

*Vigilantij blaſphemiæ contra Sãctorũ corpora.*

*Apoc. 21.*

*Magno diſcrimine Sancti & Deus honorantur.*

QVI pro honore Martyrum cereos accendunt, idololatras vocas eiuſmodi homines? Non diffiteor omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe. non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc colere Deum non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & idcircò deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum eſt. Quod ſi reliquiæ Sanctorum venerandæ non ſunt, malè facit Romanus Epiſcopus, & non ſolùm vnius vrbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum, in quibus puluis viliſſimus, & fauilla, neſcio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat; & quaſi ſepulchra Phariſaica foris dealbata ſunt, cùm intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleant, atque ſordeant. Et poſt hæc de barathro pectoris tui cœnoſam ſpurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, ſemperque præſentes ſunt; ne fortè, ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſunt? O portentum in vltimas terras deportandum. Rides de reliquijs Martyrum; & cum authore huius hæreſeos Eunomio, Eccleſijs CHRISTI calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, vt ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quàm Euangelia: & in ipſo credunt eſſe lumen veri-

*Catholicos non eſſe idololatras in colendis Sanctis & eorũ reliquijs.*

*Eunomius ante Vigilantium huius hæreſeos author.*

*Act. 14.*

QVIS, ò inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? nonne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Iuppiter & Mercurius putarentur, & eis vellent, hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus, Ioue, atque Mercurio: ſed quod ſub gentilitatis errore, honos eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus; qui Cornelium ſe adorare cupientem, manu ſubleuauit, & dixit, ſurge: nam & ego homo ſum.

*Act. 10.*

*Honor impẽditur reliquijs ſanctorum.*

Et audes dicere, Illud, neſcio quid? quod in modico vaſculo transferendo colis? Quid eſt illud, neſcio quid? ſcire deſidero, expone manifeſtius, vt tota libertate blaſphemes. Puluiſculum, inquit, neſcio quod, in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum. Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in ſterquilinium; vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, ſe illorum ſentire præſentiam confitentur, & cætera. *Tomo ſecundo, aduerſus Vigilantium capite ſecundo.*

*Quod ad caput refertur interpretatur in membris.*

*Gloria Domini gloria famulorum.*

NE quis me vim facere Scripturæ putet, & ſic amare Chriſtum, vt Hiſtoriæ auferam veritatem; interpretabor in membris, quod referatur ad caput: intelligam de ſeruis, quod impleatur in Domino: quanquam gloria Domini, gloria famulorum ſit, & vbicunque oportunitas loci tulerit, ſic de vero lumine diſputabo, vt deriuetur ad eos, quibus Chriſtus donauit, vt lumen ſint. *Tomo tertio, Epiſtola centeſima viceſima octaua, ad Fabiolam.*

*Matth. 5. & 16.*

QVOMODO lumen Dominus lucem appellat Apoſtolos ſuos, & dicit: Vos eſtis lux mundi, & ipſa petra, Petro donauit, vt petra ſit: Paſtor quoque bonus illis Paſtorum largitus eſt nomina, & quodcunque dicitur de eo ſeruis tribuit, vt dicantur: ſic ipſe Saluator Apoſtolos mundi voluit eſſe ſaluatores: qui aſcendentes ſpeculam montis Eccleſiæ, vt deponentes ſuperbiam Iudaicam, vniuerſorumque montium, qui aduerſum ſcientiam Dei erigebantur, regnum Domino parauerunt. *Tomo quinto, Commentariorum in caput 1. Abdiæ.*

*Nomina Chriſti & Sanctorum communia.*

NEC magiſter, nec pater vocandus eſt alius: niſi Deus Pater, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Pater, quia ex ipſo ſunt omnia. Magiſter: quia per ipſum omnia, vel quoniam per diſpenſationem carnis eius omnes reconciliati ſumus Deo. Quæritur cur aduerſum hoc præceptum, Doctorem gentium Apoſtolus ſe eſſe dixerit: aut quomodo vulgato ſermone maximè in Palæſtina & Ægypti monaſterijs ſe inuicem Patres vocent. Quod ſic ſoluitur: Aliud eſt eſſe natura patrem vel magiſtrum: aliud indulgentia. Nos ſi hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus; non authorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter quoque dicitur, ex conſortio veri magiſtri. Et ne infinita ſimilia replicem: quomodo vnus per naturam Deus, & vnus filius, non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filij: ita & vnus pater, & magiſter non præiudicat alijs, vt abuſiuè appellentur patres & magiſtri. *Tom. 6. lib. 4. Comm. in cap. 23. Matthæi.*

*2. Cor. 5. Coloſſ. 1.*

*Alij propriè magiſtri & patres alij καταχρηστικῶς.*

QVOMODO Deus eſſentiæ ſuæ nomen atque ſubſtantiæ, etiam cæteris impartit elementis, vt ipſa quoque eſſe dicantur, non quò ſecundum naturam ſint (fuit enim tempus, quo vniuerſa non fuerunt, & rurſum ſi voluerit, in nihilum redigentur) ſed vt eſſe dicantur, habent Dei bonitate donatum, ſic & paternitatis nomen ex ſeipſo largitus eſt omnibus. Quod vt manifeſtius fiat, Scripturarum teſtimonijs proferamus. Loquitur in Exodo Dominus. Ego ſum, qui ſum. Et: Hæc dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Numquid ſolus Deus erat, & cætera non erant? Vtique Angeli, cœlum, terra vel maria; & ipſe Moyſes, cui Dominus loquebatur, & Iſrael, & Ægyptij, ad quos, & contra quos Princeps & aduerſarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune ſubſtantiæ ſibi proprium vendicat Deus? illa vt diximus cauſſa, quia cætera vt ſint, Dei ſumpſere beneficio. Deus verò, qui ſemper eſt, nec aliundè habet principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuæque cauſſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi, aliundè habere quod ſubſtitit. Nam & in igni aliud eſt eſſe calidum, aliud calefactum. Ignis abſque calore intelligi non poteſt. Cætera quæ ex igni calefiunt, calorem illius mutuantur, & paulatim ſi ignis abſceſſerit, calore tenuato, redeunt in naturam ſuam, & nequaquam calida nuncupantur. Iuxta hunc ſenſum & in Euangelio dicitur ad eum, qui Saluatorem non quaſi Dei filium, ſed quaſi magiſtrum bonum putabat: Quid me appellas bonum, nemo eſt bonus, niſi ſolus Deus. Et certè terram bonam legimus, & hominem, & paſtorem bonum, ſed nemo iuxta naturam bonus, niſi ſolus Deus. Cætera vt dicantur bonitate illius conſequuntur. Sicut ergo ſolus bonus bonos facit: & ſolus immortalis immortalitatem tribuit: & ſolus verus veritatis nomen impartit: ita ſolus pater, quia creator eſt omnium, & vniuerſorum cauſſa ſubſtantiæ, præſtat cæteris vt patres eſſe dicantur. *Tomo ſexto, libr. 2. Commentariorum in cap. 3. ad Epheſios.*

*Exod. 3.*

*Alij natura boni, alij participatiuè.*

*Luc. 18.*

***Articulus VIII. Idololatras & Hæreticos iam olim Chriſtianis obieciſſe, quod Martyres tanquam deos colerent, atque eorundem Martyrum reliquias proculcaſſe atque contempſiſſe, quas Chriſtiani in ſummo honore habuerunt.***

*Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi & Abdiæ cineres adorati.*

ERGO ne erit illa dies, quando nobis liceat Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare? ingredi ſpeluncas, in quibus perſequutionis & famis tempore, Prophetarũ agmina ſunt nutrita. *Tomo primo, Epiſtola decima ſeptima in Epitaphio Marcellæ viduæ capite 8.*

*Vigilantius contemnit reliquias Sanctorum.*

AIS, Vigilantium, qui κατ' ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine; nam Dormitantius rectius diceretur; os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſſimum contra ſanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos, quia eas ſuſcipimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. O infœlicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens, non intelligat ſe eſſe Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vaſa, quæ in eadem domo fuerint, pollui ſuſpicantur, ſequentes occidentem litteram, & non viuificantem ſpiritum. Nos autem, non dico Martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſæculo, & in futuro, colimus & adoramus; ne ſeruiamus creaturæ potius, quàm creatori. Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt, Martyres adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Ergo Petri & Pauli immundæ ſunt reliquiæ? ergo Moyſi corpuſculum immundum erit, quod iuxta Hebraicam veritatem ab ipſo ſepultum eſt Domino? & quotieſcunque Apoſtolorum, Prophetarum, & omnium Martyrum baſilicas ingredimur, toties idolorum templa veneramur: accenſique ante tumulos eorum cerei, idololatriæ inſignia ſunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in authoris caput, & inſanum caput, vel ſanet aliquando, vel deleat, ne tantis ſacrilegijs ſimplicium animæ ſubuertantur. Ergo & Domini corpus in ſepulchro poſitum, immundum fuit? & Angeli, qui candidis veſtibus vtebantur, mortuo cadaueri atque polluto præbebant excubias, vt poſt multa ſæcula Dormitantius ſomniaret, immo eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Iuliano perſequutore, Sanctorum baſilicas aut deſtrueret, aut in templa conuerteret? Miror ſanctum Epiſcopum, in cuius Parochia Presbyter eſſe dicitur, acquieſcere furori eius, & non virga Apoſtolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat: nec meminerit illius dicti. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odientes te, Domine, odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Si non honorandæ ſunt reliquiæ Martyrum quomodo legimus: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius? Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Heliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit, & dedit vitam corpus, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſrahelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Ioſeph & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt? Ioſeph quoque, qui in typo præceſſit Domini Saluatoris noſtri, ſceleratus fuit? qui tanta ambitione oſſa Iacob in Hebron portauit, vt immundum patrem auo & atauo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet? Iterum dicam. Ergo Martyrum reliquiæ immundæ ſunt? Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, & immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in gaudium verteretur? *Tom. 2. Epiſtola 53. ad Riparium.*

*Diſcrimẽ diuerſi cultus.*

*Reliquiæ sũt minimè immundæ.*

*Matt. 10.*

*Deut. 34.*

*Hæretici excommunicandi.*

*1 Cor. 5.*

*Pſal. 49.*

*Pſal. 100.*

*Pſal. 138.*

*Pſal. 115.*

*Exod. 13. Ioſue 24. Gen. 50.*

*Act. 8.*



HAEC ſunt verba blaſphemiæ Vigilantij. Quid neceſſe eſt te tanto honore honorare non ſolùm, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis? Et rurſum in eodem Libro: Quid puluerem linteamine circundatum, adorando oſcularis? & in conſequentibus: Propè ritum gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicunque puluiſculum neſcio quod, in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum, oſculantes adorare. Magnum honorem præbent huiuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos: quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore Maieſtatis ſuæ illuſtrat. Quis enim, ò inſanum caput aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? nonne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Iuppiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? Sacrilegus dicendus eſt Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum; cuius Samuel & Leuita, & Propheta fuit. *Tomo 2. aduerſus Vigilantium cap. 2.*

*Vigilantij blaſphemiæ contra Sãctorũ corpora.*

*Apoc. 21.*

*Magno diſcrimine Sancti & Deus honorantur.*

QVI pro honore Martyrum cereos accendunt, idololatras vocas eiuſmodi homines? Non diffiteor omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe. non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc colere Deum non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & idcircò deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum eſt. Quod ſi reliquiæ Sanctorum venerandæ non ſunt, malè facit Romanus Epiſcopus, & non ſolùm vnius vrbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum, in quibus puluis viliſſimus, & fauilla, neſcio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat; & quaſi ſepulchra Phariſaica foris dealbata ſunt, cùm intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleant, atque ſordeant. Et poſt hæc de barathro pectoris tui cœnoſam ſpurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, ſemperque præſentes ſunt; ne fortè, ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſunt? O portentum in vltimas terras deportandum. Rides de reliquijs Martyrum; & cum authore huius hæreſeos Eunomio, Eccleſijs CHRISTI calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, vt ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quàm Euangelia: & in ipſo credunt eſſe lumen veritatis.

*Catholicos non eſſe idololatras in colendis Sanctis & eorũ reliquijs.*

*Eunomius ante Vigilantium huius hæreſeos author.*

tatis: ſicut aliæ hæreſes Paracletum in Montanum veniſſe contendunt, & Manichæum ipſum dicunt eſſe Paracletum. Scribit aduerſum hareſin tuam, quæ olim erupit contra Eccleſiam (ne & in hoc quaſi repertor noui ſceleris glorieris) Tertullianus vir eruditiſſimus, inſigne volumen, quod Scorpiacum vocat, rectiſſimo nomine; quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffundit; quæ olim appellabatur Caina hæreſis; & multo tempore dormiens, vel ſepulta, nunc à Dormitantio ſuſcitata eſt. Miror, quod non dicas, nequaquam perpetranda martyria; Deum enim, qui ſanguinem taurorum, hircorumque non quærat, multò magis hominum non requirere. quod cùm dixeris, immo & ſi non dixeris, ita habeberis quaſi dixeris, qui enim reliquias Martyrum aſſeris calcandas eſſe, prohibes ſanguinem fundi, qui nullo honore dignus eſt. *Tomo ſecundo, aduerſus Vigilantium capite tertio.*

*Tertulliani liber contra hæreſin Vigilantij.*

FOELIX noſtra victoria, quæ in ſanguine Apoſtolorum dedicata eſt. Fides noſtra non probatur, niſi per illorum ſanguinem. *Tom. 7. Comment. in Pſalmum 81.*

### *Articulus IX. Sanctorum natalitia, dieſque feſtos, Hieronymi tempore in ſolenni vſu fuiſſe.*

NOBIS ſolicitius prouidendum eſt, vt ſolennem diem, non tam ciborum abundantia, quàm ſpiritus exultatione celebremus. quia valdè abſurdum eſt, nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcimus DEO placuiſſe ieiunijs. Ita tibi ſemper comedendum eſt, vt cibum & oratio ſequatur & lectio. *Tomo 1. Epiſt. 19. ad Euſtochium.*

*Solennes dies Sanctorũ quomodo ſint ſeruandi*

ANIMAM, quæ in tentationibus videbatur abiecta, ſuſcipiet DOMINVS in fine, & ponet eos in gloriam, & nominatos in vniuerſa terra: filios videlicet repulſæ, id eſt, Eccleſiæ. Quos autem alios poſſumus intelligere filios Eccleſiæ nominatos, niſi Apoſtolos? Vide mihi Petrum, Paulum, Matthæum, Ioannem, & conſidera hoc quod ad Abraham repromiſſum eſt. Magnificabo nomen tuum, in illis opere perpetratum. Quotidie Apoſtoli nominantur in Eccleſia, quotidie magnificatur nomen eorum: non quod ipſis proſit à nobis in Eccleſia nominari: ſed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ ſcripſerant lectitantes, conſequamur ſalutem. *Tomo quinto, Commentariorum in caput 3. Sophoniæ.*

*Gen 12.*

*Solennia feſta Sanctorũ Apoſtolorũ.*

### *Articulus Decimus, Baſilicas, Sanctorum nomine Deo dicatas fuiſſe.*

MARCELLA Apoſtolorum & Martyrum baſilicas, ſecretis orationibus celebrabat, vt quæ populorum frequentiam declinaret. *Tomo primo, Epiſtola decima ſexta ad Principiam, capite ſecundo.*

*Secretæ orationes in baſilicis Martyrum.*

MARCELLAM & Principiam captiuas ad Beati Pauli Apoſtoli baſilicam barbari deduxerunt, vt vel ſalutem illis oſtenderent, vel ſepulchrum. *Tomo primo, Epiſtola decima ſexta ad Principiam capite ſexto.*

*In baſilicis Sanctorũ ſalus oſtenſa.*

RARVS ſit egreſſus in publicum: Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. nunquam cauſſa deerit procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis. *Tomo primo, Epiſtola 22. ad Euſtochium cap. 6.*

*Virginib' ſacris nõ expedit viſere Martyrũ baſilicas.*

SVPERBAE quædam mulieres, cùm pauperes ad Agapen vocauerint, præco conducitur. Vidi nuper (nomen taceo ne Satyram putes) nobiliſſimam Romanorum mulierem, in baſilica Beati Petri, ſemi viris antecedentibus, propria manu, quò religioſior putaretur, ſingulos nummos diſpartire pauperibus, & cætera. *Tomo primo, Epiſtola viceſima ſecunda ad Euſtochium, capite decimo quarto.*

*Arrogantia viſitantium loca ſancta reprehenditur.*

POST Apoſtoli Petri baſilicam, in qua CHRISTI flammeo conſecrata eſt, poſt Crucis, & Reſurrectionis, & Dominicæ Aſcenſionis Sacramenta, in quibus rurſum ſe in Monaſterio victuram ſpoponderat, audes crinem accipere tecum noctibus dormituræ, quem CHRISTO meſſuerat in ſpelunca? *Tomo primo, Epiſtola 48. ad Sabinianum cap. 3.*

*In baſilica Apoſtoli Petri conſecrata virgo.*

SCVTARIVS quidam Romæ in baſilica Petri tortus à dæmone, & adductus ad Hilarionem, curatus eſt. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

QVOTIES Martyrum omnium baſilicas ingredimur, toties Vigilantio idololatræ ſumus. *Tomo ſecundo, Epiſtola quinquageſima tertia, ad Riparium.*

SACRILEGINE tibi ſumus, ô Vigilanti, quoties Apoſtolorum baſilicas ingredimur? *Tomo ſecundo, aduerſus Vigilantium capite ſecundo.*

QVANDO iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus & animo, & corpore pertremiſco. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 4.*

*Religio ſingularis Hieronymi.*

ISRAHELITAE in tantum procacitatis ac ſuperbiæ augmenta capiebant: vt quicunque non ſimili duceretur errore, eum arbitrarentur immundum, contactumque eius fugerent: quemadmodum Samaritani & Iudæi nobis faciunt, omneſque Hæretici: quales nuper ſub magiſtro cerebroſo in Gallia pullularunt: qui baſilicas Martyrum declinantes, nos qui ibi orationes ex more celebramus, quaſi immundos fugiunt. Hoc autem non tam illi faciunt, quàm habitantes in eis dæmones: fortitudinem & flagella ſancti cineris non ferentes. *Tomo quarto, libro decimo octauo Commentariorum in caput ſexageſimum quintum Eſaiæ.*

*Hæreſis Vigilantij qualis.*

HAEC perſequutionis tempore in Eccleſijs Chriſti expleta conſpeximus, quando in rabiem tantam perſequutorum feritas excitata eſt, vt etiam conciliabula noſtra deſtruerent, diuinos libros ignibus traderent: omnes inſulæ, metalla, carceres, Confeſſorum, & Martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet rurſum Eccleſias conſtruendas ab his ipſis, qui ante deſtruxerant? non quod ijdem homines fuerint, ſed quod eadem regalis poteſtas, quę prius ſedebat in inſidijs cum diuitibus, & quaſi ex Senatuſconſulto Chriſti nomen conabatur extinguere, nunc expenſis Reipublicæ Eccleſiarum baſilicas extruat, & exaltet ſumma faſtigia: vt non ſolùm laquearia & tecta fulgentia auro decoret, ſed parietes diuerſi marmoris veſtiat cruſtis, & diuinos libros, quos prius tradebat incendio, nunc deauratos, & purpuratos, & gemmarum

*Perſequutiones Eccleſiæ*

*Baſilicæ extructæ ceſſante perſequutione.*



marum varietate diſtinctas, in cuſtodiam Romani veneretur ſtatus. *Tomo quinto, lib. 2. Commentariorum in caput 8. Zachariæ.*

### *Articulus XI. Sanctos eſſe inuocandos, eoſque opem ferre ſuum auxilium implorantibus, quamuis modus nobis incertus ſit: Sanctorum quoque merita alijs prodeſſe.*

NON poſſum abſque lachrymis Toloſæ facere mentionem: quæ vt hucuſque non rueret, ſancti Epiſcopi Exuperij merita præſtiterunt. *Tomo primo, Epiſtola vndecima ad Ageruchiam capite ſexto.*

*Exuperij merita.*

LEGIMVS Aaron Pontificem iſſe obuiam furentibus flammis, & accenſo thuribulo, Dei iram cohibuiſſe, ſtetit inter mortem & vitam Sacerdos magnus: nec vltra veſtigia eius ignis procedere auſus eſt. Moyſi loquitur Deus: Dimitte me, & delebo populum iſtum: Quando dicit, Dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe, ne faciat, quod minatus eſt. Dei enim potentiam ſerui preces impediebant. Quis putas, ille ſub cœlo eſt, qui nunc iræ Dei poſſit occurrere? qui obuiare flammis? & cum Apoſtolo Paulo dicere: Optabam ego eſſe Anathema pro fratribus meis? Pereunt cum paſtoribus greges: quia ſicut populus, ſic & Sacerdos. Moyſes compaſſionis loquebatur affectu: Si dimittis populo huic, dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo. Vult perire cum pereuntibus, nec propria ſalute contentus eſt. Gloria quippe Regis multitudo populi. *Tomo primo, Epiſt. 12. ad Gaudentium cap. 3.*

*Leuit. 10. c.*
*Exod. 32.*
*Vis & poteſtas interceſſionis Sanctorum.*
*Rom. 9.*
*Eſaiæ 24.*
*Exod. 32.*

BLAESILLA filia defuncta pro Paula matre ſuperſtite Dominum rogat. *Tomo primo, Epiſtola 23. ad Paulam cap. 6.*

*Blæſillæ interceſſio pro matre Paulæ merita.*

Ex tribu Beniamin trecenti viri propter Paulum Apoſtolum reſeruati. *Tomo 1. Epiſtola 27. ad Euſtochium cap. 3.*

*Vide in Actis c. 27.*

OBSECRO, quicunque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris: cui ſi Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm Regum purpuram cum pœnis ſuis. *Tomo primo, in Vita Pauli Eremitæ in fine.*

*Pauli Eremitæ merita.*

DICIS in Libello tuo, quod, dum viuimus, mutuò pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio; præſertim cùm Martyres, vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiuerint. Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à DEO veniam: Et Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſequutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentos ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas; & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro ijs, qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderunt mutire non poterit? Meliorque erit Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus? Rectè hoc de Eccleſiaſte proponerem, ſi Paulum in ſpiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortui, ſed dormientes. Vnde & Lazarus, qui reſurrecturus erat, dormiſſe perhibetur. Et Apoſtolus Paulus vetat Theſſalonicenſes de dormientibus contriſtari. Tu vigilans dormis, & dormiens ſcribis: & proponis mihi librum Apocryphum, qui ſub nomine Eſdræ à te, & ſimilibus tui legitur: vbi ſcriptum eſt quod poſt mortem nullus pro alio audeat deprecari: quem ego librum nunquam legi, quid enim neceſſe eſt in manus ſumere, quod eccleſia non probat nec recipit, ſed potius liber iſte totius orbis auctoritate damnatur. etcetera. *Tomo ſecundo aduerſus Vigilantium cap. 3.*

*Hac reſponſione retunduntur hodierni hæretici*
*Exod. 32.*
*Act. 7.*
*Act. 27.*
*Eccleſ. 9.*
*Ioan. 11.*
*1. Theſſ. 4.*
*Eſdræ liber apocryphus.*

DICITVR ad Ezechiam. Ego cuſtodiam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum, non propter te, quia ſuperiora feciſti, quando centum octoginta quinque millia exercitus Aſſyriorum Angelo cædente, proſtrata ſunt. *Tom. 2. lib. 2. Dialogorum aduerſus Pelagianos capite 8.*

*4. Reg. 19.*
*Merita Dauid defuncti viuis proſũt*

DEVS Sanctos ſuos in modum arcus & ſagittarum dicitur extendere, vt in Propheta Zacharia. Quoniam extendi te mihi Iuda vt arcum. Et Saluator de ſemetipſo: Poſuit me ſicut ſagittam electam, & in pharetra ſua abſcondit me. Et in Pſalmo centeſimo viceſimo ſexto, ita habetur in Hebræo, & cunctis editionibus. Beatus vir, qui repleuit pharetram ſuam ex ipſis, vt quia Metaphoram ſemel ſumpſerat ex ſagittis, & in pharetra quoque translatio ſeruaretur. *Tomo tertio, Epiſtola centeſima quadrageſima prima ad Marcallam.*

*Pſal. 126.*
*Zachar 9.*
*Eſaia 49.*

QVOD autem ad extremum infert: propter me, & propter Dauid ſeruum meum: illud ſignificat, quod non merito ſuo, ſed Dei clementia conſeruentur, immo patris eorum Dauid memoria. In quo admonentur, & ſuæ negligentiæ, & illius fidei, atque iuſtitiæ, quod in tantum iuſtitiam diligat DEVS, vt etiam poſteros Sanctorum hominum, non ſuo merito, ſed maiorum virtute tueatur. *Tom. 4. lib. 11. Comment. in caput 37. Eſaiæ.*

*Poſteri Sãctorum maiorum virtute tuentur.*

QVODQVE ſequitur. Et viri miſericordiæ, ſiue iuſti colliguntur atque tolluntur, Apoſtolos ſignificat: qui interficiuntur ab impijs, & à DOMINO congregantur. Cauſaſque reddit, cur interfectus ſit iuſtus, atque ſublatus, dicens: A facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus, vt mala ſæculi non videret. Siue propter malitiam hominum, quorum ipſe peccata portabat, ad patrem victor aſcendit. *Tomo quarto, libro decimo quinto Commentariorum in caput 57. Eſaiæ.*

*Iuſti portant peccata hominum.*

IN eo loco vbi nos iuxta Septuaginta interpretati ſumus, ne quid innouare videremur: quia vulgatum eſt teſtimonium: καὶ κληθήσῃ οἰκοδόμος φραγμῶν, id eſt, & vocaberis ædificator ſepium: in Hebraico legitur, vocabitur in te Goder peres, quod Aquila interpretatus eſt πεφράχτισμα χολῆς: quod nos poſſumus iuxta ſenſum dicere: qui ſe opponit iracundiæ Dei ſæuienti.

*Sancti muri, qui ſe opponũt iræ Dei.*

Denique Symmachus tranſtulit, murum opponens cædenti: qualis fuit Moyſes & Aaron, & Samuel, qui iræ Domini reſtiterunt, & quaſi ædificato muro, indignationi eius poſuerunt termi-

*1. Reg. 7.*

*Hierem. 7.* *Exod. 32.*

terminum. Quod & Hieremiæ dicitur: Ne occurrat Domino, ne iræ eius velit reſiſtere, & indignationem eius ita precibus quaſi quodam muro intercludere: Et Moyſi quaſi teneretur ab eo Dominus: Dimitte me, inquit, & percutiam populum iſtum. Iſtiuſmodi ergo ædificator maceriarum, murorumque, & ſepium, conuertet ſemitas in quietem, vt nequaquam Dei ira deſæuiat, ſed placatus ſit eis Dominus, & omnes indignationis ſemitæ conquieſcant. *Tomo quarto, libro decimo ſexto Commentariorum in caput quinquageſimum octauum Eſaiæ.*

*Deus deſiderat Sanctorū interceſſionē. cap. 50.* *Pſal. 13.*

DESIDERAVIT aliquem iuſtum virum, qui ſibi irato poſſit occurrere, & non inuenit: qui & ſupra dixerat: Veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. Et quia illis in ſcelere permanentibus, ne vnus quidem iuſtus inuentus eſt: ſed omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, & non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. *Tomo quarto, libro 16. Commentariorum in caput 59. Eſaiæ.*

*Exod. 32. Moyſes interceſſit pro populo. Exod. 14. c. Moyſes oratione & precibus poſuit Dei Spiritū.*

IPSE recordatus eſt antiquorum dierum: quãdo pro eis Moyſes in eremo deprecatus eſt, dicẽs: Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Veteris igitur Eſaias recordatus eſt hiſtoriæ, cùm dicit: Vbi eſt ille Moyſes, qui eduxit eos de rubro mari? vbi eſt paſtor ouium? Vbi ille qui cum cæteris paſtoribus, gregis Domini laborauit? Qui impetrauit, & poſuit Spiritum Dei oratione & precibus ſuis in gregẽ Domini. *Tomo quarto, libro decimo ſeptimo, Comment. in cap. 63. Eſaiæ.*

INFERT ſimilitudinem & comparationis exemplum, quo doceat vnumquemque ſuo perire peccato, & etiamſi peccantium ſit plurima multitudo, vnum iuſtum cunctorum vitio non perire. Si quis, ait, in botro, & vua, quæ ad maturitatem peruenire non potuit, & aceſcentes attulit fructus; vel aliquo aeris ac terræ corrupta eſt vitio, vnum granum reperit illæſum, quod ſpem habeat adhuc maius fieri, & ad maturitatem ſolitam peruenire: dicat alteri: ne tangas illud, ſed dimitte vt creſcat, quia benedictio Domini eſt: vt in tanta acinorum multitudine ſolum euaderet ſiccitatem: Sic, inquit, de Iudæorum innumerabili multitudine, quæ offendit Deum, ſi paucos iuſtos inuenero, liberabo eos de interitu plurimorum. Et hoc faciam propter ſeruos meos Abraham, Iſaac, & Iacob, ad quos facta eſt repromiſſio: ſiue propter eos, qui inter plurimos peccatores ſeruiunt mihi. Tale quid & in Geneſi legimus, quando de quinquaginta vſque ad decem paulatim quæruntur iuſti, qui de peccato liberent ciuitatem: & Loth de Sodomis cum filiabus ſuis ſolus iuſtus eripitur. De quo in Catholica Epiſtola ſcribitur: quod cruciaretur anima ipſius videntis nephanda committi, & animę iudicium, corporis habitudine demonſtraret. Enoch quoq. inter peccantium plurimam multitudinem ſolus raptus ad Deum eſt. Et Noe cum liberis ſuis propter declinantem omnem carnem à Domini ſeruitute, diluuium delere non potuit. Sed & Abraham de igne Chaldæorum, fidei integritate ſeruatus eſt. In quem ſenſum & Hieremiæ verba ex perſona Domini dicentis conſentiunt. Quaſi calidum in deſerto, inueni Iſrahel cum occiſis gladio. Cùm enim, inquit, omnis mundus idololatriæ gladijs vulneratus iaceret exanimis, inueni Iſrahel in Abraham habere calorem fidei: quaſi medicus, qui poſt prælium, inter cadauera mortuorum, vbi quem ſenſerit pulſantibus venis aliquid habere vitale, adhibet curam vulneribus, vt reſtituat ſanitatem. *Tomo quarto, libro decimo octauo Comment. in cap. 65. Eſaiæ.*

*Propter iuſtos defunctos parcit Deus poſteritati.* *Geneſ. 18.* *Geneſ. 19.* *2. Pet. 2.* *Geneſ. 5.* *Geneſ. 7.* *Geneſ. 11.* *Hierem. 31.* *Deus quærit interceſſores*

GRANDIS amor iuſtitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & reſponſionem DEI pro decem viris iuſtis liberauerit ciuitatem: ſed ſi vnum inuenerit, iam iamque perituram Hieruſalem, qui faciat iudicium, & quærat fidem, ſiue vt Symmachus tranſtulit, veritatem, tamen Deus miſereatur Hieruſalem. *Tomo quarto, libro primo Commentariorum in caput quintum Hieremiæ.*

*Geneſ. 18.* *Sanctorum preces iræ Dei reſiſtũt.*

QVOD autem dicit: Et non reſiſtas mihi: illud oſtendit, quod Sanctorum preces Dei iræ poſſint reſiſtere. Vnde & Dominus loquitur ad Moyſen: Dimitte me vt percutiam populum iſtum, & faciam te in gentem magnam. Et in Pſalmis legitur: Et ſtetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Aaron quoque arrepto thuribulo, inter ignem, arſurumque populum medius ſtetit, & DEI ira ceſſauit. *Tom. 4. lib. 2. Commen. in cap. 7. Hieremiæ.*

*Exod. 32.* *Pſal. 105.* *Num. 16.*

ET dixit Dominus ad me, & cætera.] Quomodo Sanctorum merita deſcendunt ad poſteros, ſicut Dauid & cæterorum, ſic peccatorum flagitia, ſi liberi nepoteſque ſimilia geſſerint, ad poſteros perueniunt. *Tom. 4. lib. 3. Commentariorum in caput 15. Hieremiæ.*

*Sanctorū merita ad poſteros deſcendunt.*

HIEREMIAM ſæpe deprehendimus in hoc Volumine rogaſſe pro populo. *Tomo quarto, libro quinto Commentariorum in caput decimum quintum Hieremiæ.*

*Hieremias pro populo interceſſio.*

QVODQVE ait: Occurrant mihi ſiue Domino exercituum: illud oſtendit, verum Prophetam poſſe Domino precibus reſiſtere: ſecundum quod & Moyſes ſtetit in percuſſione contra Dominum, vt auerteret iram furoris eius. Samuel quoque idem fecit. Et Dominus ad Moyſen: Dimitte me, ait, vt percutiam populum iſtum, Quãdo autem dicit: Dimitte me, oſtendit ſe Sanctorum precibus poſſe retineri. *Tom. 4. lib. 5. Comm. in cap 27. Hieremiæ.*

*Exod. 32.*

LEGIMVS Aaron aduerſum ignem Iſraelis populum deuorantem occurriſſe, & ſtetiſſe medium, & oppoſuiſſe murum pro ſalute populi. Hieremiæ quoque dicitur, ne occurrat Domino, neque ſtet contra iram eius orationis perſeuerantia. Sicut enim murus hoſti opponitur, & aduerſario occurri ſolet ex aduerſo, contraque venienti, ita Dei ſententia Sanctorum precibus frangitur. Vnde & Moyſi dicitur: Dimitte me, & delebo populum iſtum. Cui enim dicitur: Dimitte me, oſtenditur, quod tenendi habeat facultatem. *Tomo quarto, libro quarto Commentariorum in caput decimum tertium Ezechielis.*

*Num. 16. c.* *Hierem. 7.* *Sancti muri oppoſiti Dei iræ.* *Exod. 32.*

QVAERITVR quomodo pepercerit Iſraelitis, quorum cadauera in ſolitudine corruerunt, & excepto Ieſu Naue, & Caleb filio Iechone, terram repromiſſionis nullus ingreſſus eſt. Ex quo intelligimus viuere eos, nec æternis ſupplicijs reſeruatos, nec deletos eos eſſe de libro viuentium, nec conſumptos ante faciẽ Domini. Si. n. ex eo quod nõ ſunt introducti in terrã repromiſſiõis periſſe credendi

*Non omnes qui in deſerto mortui in æternum perierunt.*



credendi ſunt: ergo & Moyſes perijt, qui vidit tantum terram repromiſſionis, & non eſt ingreſſus in eam, de quo in libro Ieſu Dominus loquitur: Moyſes famulus meus mortuus eſt. & in Malachia. Mementote legis Moyſi ſerui mei. & in Hieremia quaſi de amico & familiariſſimo ſuo loquitur Deus. Si ſteterint Moyſes & Samuel in conſpectu meo. Alioquin & preces Moyſi exauditas fuiſſe credendum eſt, quando pro populo interpellans, ait: Si dimittis eis peccatum, dimitte: ſi autem non vis, me dele de libro tuo, quem ſcripſiſti. *Tomo 4. libr. 6. Commentarior. in cap. 20. Ezechielis.*

*Ioſue. 1.* *Malach 4.* *Hier. 15.* *Moyſi preces pro populo exauditæ.* *Exod. 32.*

PRAEDIXERAT Hieremias ſeptuaginta annos deſolationis templi: poſt quos rurſus veniret populus in Iudæam, & ędificaretur templum & Hieruſalem: quæ res Danielem non facit, negligentem, ſed magis prouocat ad rogandum: vt quod Deus per ſuam promiſit clementiam, per huius impleat preces; ne negligentia ſuperbiam, & ſuperbia pariat offenſam. Denique in Geneſi legimus, centum viginti annos pœnitentiæ conſtitutos ante diluuium: qui (quia tanto tempore nolebant agere pœnitentiam) nequaquam expectat, vt & viginti alij compleantur, ſed infert ante quod poſtea fuerat comminatus. Vnde & ad Hieremiam dicitur ob duritiam cordis populi Iudæorum: Ne ores pro populo hoc: quia non audiam te. Et ad Samuel. Vſque quo luges ſuper Saul, & ego abieci eum? In cinere igitur & ſacco poſtulat impleri quod promiſerat Deus: non quo eſſet incredulus futurorum, ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pareret offenſum. *Tom. 4. libr. 1. Commentarior. in cap. 9. Danielis.*

*Hier. 29. & 52.* *Danielis interceſſio.* *Geneſ. 6.* *Hier. 7. cap.* *1. Reg. 16.*

SCIT propheta ſancto ſibi ſpiritu ſuggerente, quod pœnitentia gentium ruina ſit Iudæorum: Iccirco amator patriæ ſuæ, non tam ſaluti inuidet Niniue, quam non vult perire populum ſuum: Alioquin legerat Moyſen rogantem dixiſſe pro eo: Si dimittis eis peccatum, dimitte: ſin autem non dimittis, & me dele de libro tuo, quem ſcripſiſti: & ad preces illius ſaluatum Iſrahel, & Moyſen de Libro non fuiſſe deletum: quin potius Dominum occaſionem accepiſſe per ſeruum, vt cæteris conſeruis illius parceret: Dum enim dicit: dimitte me, oſtendit ſe poſſe retineri. Tale quid & Apoſtolus loquitur. Optabam anathema eſſe pro fratribus meis: qui ſunt Iſraelitæ ſecundum carnem: Non quod ipſe perire deſideret: cui viuere CHRISTVS eſt, & mori lucrum: ſed magis meretur vitam, dum ſaluare vult cæteros. *Tomo quinto, Commentariorum in caput primum Ionæ.*

*Exod. 32.* *Ad preces Moyſis ſaluatus Iſrael.* *Rom. 9.*

PRAEDICTA captiuitate & decem tribuum & duarum, plangit propheta quod nullus è populo iuſtus inueniatur in terra: qui poſſit iræ Dei reſiſtere, & medium ſe quaſi murum opponere. *Tomo quinto, libro ſecundo Commentariorum, in caput ſeptimum Michea.*

*Pauli interceſſio pro fratribus.*

DISCIPVLI illo adhuc tempore myſteria DOMINI neſcientes, vel miſericordia commoti, rogabant pro Chananæa muliere, quam alter Euangeliſta Syrophæniſſam appellat, vel importunitate eius carere cupientes: quia non vt clementem, ſed vt durum medicum crebrius inclamaret. *Tomo ſexto libr. 2. Commentar. in cap. 15. Matthæi Canon. 31.*

*Interceſſio diſcipulorũ pro Cananæa*

FILIVM patri Deus rogatus indulget, & frater ſæpe fratris oratione ſeruatur. Apoſtolus autem totius Eccleſiæ precibus conceditur, ob eorum, qui ipſum audituri ſunt, vtilitatem. Et hoc donum non tam in eum eſſe dicitur, qui differtur à martyrio ad martyrium, præparatus, quam in eos, ad quos Apoſtolus mittitur. *To. 6. lib. 1, Com. in cap. 1. ad Philemonem.*

*Fratri fratris oratione ſeruatur.* *Apoſtolus totius Eccleſiæ precib. conceditur.*

*Appendix ad Articulum præcedentem. Magnitudo, grauitas, & multitudo peccatorum noſtrorum, impedimentum & obſtaculũ obijcit, quò minus ſanctorum interceſſio & auxilium efficax ſit pro nobis apud Deum.*

RECEDENTE Zelo, recedit & fortitudo Dei, & paternorum viſcerum ſuperatur affectus, dum magnitudine peccatorum, incredibilis Dei clementia vincitur: vt contineat ſe ſuper auxilio meo, qui me oppreſſum videre non poterat. Tu enim, inquit, es pater noſter, qui creatores omnium. Neſcit nos Abraham, & ignorat Iſrael, quia te offendimus: nec cognoſcunt filios, quos à Deo ſuo intelligunt non amari. Hoc autem omne eſt, quod poſtulant: vt quia pater eorum eſt, & hoc eos dignatus eſt nomine, non obliuiſcatur filiorum ſuorum, ne per ipſos nomen Dei blaſphemetur, in gentibus. *Tomo quarto, libro decimo ſeptimo Commentarior. in caput ſexageſimum tertium Eſaiæ.*

*Magnitudo peccatorum Dei vincit clementiã.*

CONVERTE, ait, Domine, ſiue conuerte nos propter ſeruos tuos Abraham & Iſrael: qui nõ cognouerunt nos. *Ibidem.*

TV ergo noli orare pro populo.] Præcipitur Hieremiæ, ne velit pro eis Dominum deprecari in quos iam eſt conſummata ſententia: ne videatur oratio eius infirma, & proprijs ſceleribus nõ exaudiri. Noli, inquit, orare pro eis, nec laudem aſſumere, vt replicando veteris hiſtoriæ clemẽtiam, qua eis ſemper miſertus ſum, & laudando, meam nitaris mutare ſententiam. Et ſi enim hoc feceris, non exaudiam eos, qui me neceſſitatis tempore rogare coguntur. Ex quibus diſcimus, fruſtra aliquem rogare pro alio, cum ille non mereatur accipere, pro quo rogatur Deus. *Tom. 4. lib. 2. Com. in cap. 11. Hieremiæ.*

*Fruſtra orãt pro alijs ſancti cũ illi non merentur accipere.*

NOLI orare pro populo iſto in bonum] Stultum eſt orare pro eo qui peccauerit ad mortem dicente Ioanne. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem. Ieiunia, preces & victimæ, & holocauſta tunc proficiunt, cum recedimus à vitijs & flemus antiqua peccata. Sin autem in ſceleribus permanentes, putauerimus votis atque ſacrificijs redimere nos, vehementer erramus, iniquum arbitrantes Deum. Qui enim ſemel gladio, & fami & peſti fuerit deſtinatus, nullis precibus erui poteſt. Vnde & prophetæ dicitur: ne fruſtra roget quod impetrare non poſſit. *Tom. 4. lib 3. Com. in ca. 14. Hieremiæ.*

*1. Ioan 5.* *Qui non à vitijs recedũt orationibus ſanctorum non poſſunt iuuari.*

ET dixit Dominus ad me: Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me.] Hos enim legimus iræ Dei pro populo reſtitiſſe, & iam impendentem auertiſſe ſententiam. Etſi, inquit, illi ſteterint vel in conſpectu meo, vel contra me, quorũ vni dixit Deus: Dimitte me, & percutiam populum iſtum: tamen non exaudiam, quoniam conſummata ſunt ſcelera populi delinquentis. *Tomo quarto libro*

*Cum conſummata ſūt ſcelera nil prodeſt, ſanctorum interceſſio.*

*to libro tertio, Commentariorum in caput decimumquintum Hieremiæ.*

QVATVOR plagæ inducuntur ſuper terram præuaricatricem ſiue peccatricem: fames, beſtia, gladius, peſtilentia: quarum ſi ſingulæ per partes inductæ fuerint ſingulis regionibus & tres iſti viri iuſti, Daniel, Noë, Iob, quorum iuſtitia ſcripturarum vocibus prædicatur pro terra peccatrice fuerunt deprecati, non ſolum illam ſaluare non poterunt, ſed ne filios quidem, & filias ſuas, ſi terræ peccatricis opera perpetrarint: ſed ſeipſos tantummodo poterunt liberare.

*Iuſti nō poſſunt iuuare precibus perſeuerantes peccatores.*

*Gen.6.& 7.*

Quæritur cum & Abraham, & Iſaac & Iacob, Moyſes quoque & cæteri patriarchæ, & prophetæ iuſti fuerint, cur horum tantummodo fiat mentio. Quod facilè ſoluitur: Noe enim imminens orbi terrarum diluuium, quia omnis terra polluerat vias Domini, prohibere non potuit: ſed filios, qui forſan eiſdem virtutis erant, & ob ſeminarium humani generis habuit reſeruatos. Daniel quoque iam imminentem captiuitatem populi Iudæorum, nullis fletibus mitigauit. Sed & Iob non ob peccata ſed ob probationem, nec domum nec filios liberauit. Alij autem dicunt, quia hi tantum tres viri, & proſpera & aduerſa, & rurſum proſpera conſpexerunt: icirco pariter nominatos: & hoc latenter ſignificari, vt quo modo illi, & bona & mala, & rurſum læta viderunt: ſic & populum Iſrael, qui prius bonis fruitus fuerat, & poſtea captiuitatis ſuſtinuit iugum, ſi egerit pœnitentiam, redire ad priſtinam fœlicitatem. Quod ſi Noë, Daniel, & Iob pariter congregati & in vno loco poſiti peccatricem terram, hoc eſt eos, qui in terra peccatrice habitant, non poſſunt iræ DEI ſubtrahere: quid de his dicendum, qui putant merito parentum atque virtutibus poſſe filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? Vnde nec peccatorem filium, iuſtus pater poterit liberare, nec ſanctæ conuerſationis mater, impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. Et è contrariò, parentum vitia filijs non nocebunt: ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Loth in Sodomis habitans, ſed & ſpiritu & carne peregrinus, vxorem, quia poſt tergum reſpexerat, non liberauit: ſed tantum filias, quæ forſan non peccauerant. Et Ioſias vir ſanctus, non ſolum peccatorem populum ſuis virtutibus non ſaluauit, ſed & ipſe in peccatis illius mortuus eſt. Quod ſi aliquando propter Abraham & Dauid, in poſteros eorum miſericordiam ſuam, Dominus pollicetur: notandum quod non his parcat, qui in ſceleribus perſeuerent. ſed qui agunt pœnitudinem, vt merita patrum filiorum adiuuet conuerſio. *Tom.4.libr.4.Commentariorum, in cap.14. Ezechielis.*

*Dan.1.*

*Iob.1.*

*Error ſentiētiū meritò parētum filios de gehenna poſſe liberari*

*Ezech. c.18.*

*Geneſ.19.*

*4.Reg.25.*

*Miſericordiā Deus poſteris quando præſtet.*

SVPER nos ſingulos & credentium Eccleſiam ſi Dei mandata contempſerimus, inducentur omnes pœnæ, fames, gladius, beſtiæ peſtilentia ſpiritualiter intellectæ. De quibus cunctis, nec ſpiritualium parentum, quos magiſtros intelligimus, doctrina, nec Principes nos poterunt liberare, niſi filiorum fuerit ſenſus, & illorum obſecrationes ſuis conatibus iuuerint. Iuſtitia enim iuſti erit ſuper eum: & iniquitas iniqui in ipſo commorabitur: Vnuſquiſque peccato proprio morietur: & iuſtitia ſua ſaluabitur. Fruſtra que dicunt Iudæi. Abraham pater noſter, cum opera Abrahæ non habeant. Quod ſi in aliquo fiducia eſt, in ſolo Domino confidamus. Maledictus enim omnis homo, qui ſpem ponit in homine, quāuis ſancti ſint, quamuis prophetæ. Legimus: Nolite confidere in hominibus. & iterum: Bonum eſt confidere in Domino quam confidere in principibus. Non in principibus tantum ſæculi, ſed & in principibus Eccleſiarum: qui ſuas tantum animas, ſi iuſti fuerint, liberabunt. Filios autem ac filias, quos in Eccleſia genuerint, ſi fuerint negligentes, ſaluare non poterunt: & tamen Apoſtolus loquitur, ſi cuius opus arſerit, ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Tomo quarto libro quarto Commentarior. in cap. 14. Ezechielis.*

*Obſecrationes ſanctorū noſtris conatib. iuuandi.*

*Ezech.18.*

*Ioan.8.*

*Hier.17.ca.*

## *Appendix de communibus ſanctorum, ſuffragijs quatenus & quantum proſint.*

DANIEL Ananiam & Miſaelem & Azariam iungit ad preces, ne ſolus de ſuo merito videatur præſumere: vt quorum erat commune diſcrimen, communis eſſet & oratio. *Tomo quarto libro primo, Commentariorum in caput ſecundum, Danielis.*

*In communi diſcrimine ſit communis oratio.*

NE ſui videatur meriti quod impetrauit, refert ad patrum iuſtitiam, & ad veritatem Dei, qui ſeminis eorum etiam in captiuitate miſeretur. *Ibid. in cap. 2. Danielis vide in cap. 9. complementem orationis Danielis.*

LEGATVS qui ad gentes mittitur Chriſtus hæc loquitur: Surge qui dormis & eleuare à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: Ac ne forſitan grauis nobis, & inſolita pugna videatur: me, inquit, habetit primum in acie. Ego ero ἀρχιστρατηγὸς præliorum, qui & Ieſu filio Naue gladium tenente apparui: Et Amalech in crucis meæ vexillo Moyſe pugnante ſuperaui. Hieremias in viſione contra Idumæam, non multum ab his diſcrepat: Auditum, inquit, audiui à Domino, & legatus ad gentes miſſus ſum: congregamini, & venite contra eam, & conſurgamus in prælium. *Tomo 5, Com. in cap. 1. Abdiæ.*

*Epheſ.5.*

*Chriſtus ſanctorū ἀρχιστρατηγὸς*

*Ioſue.5.*

*Exod.17.*

*Hier.49.*

## *Articulus XII. Sanctorum martyrum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, à fidelibus merito veneranda eſſe.*

INVNDANS populus ante delubra ſemiruta, currit ad martyrū tumulos: ſi non extorquet fidem prudentia, extorqueat ſaltem verecundiā. *Tom.1. Epiſt.7. ad Lætam cap.1.*

*Viſitatio ſanctorum locorum.*

MALEDICTAM terram nominat, quod cruorem Domini hauſerit. Et quo modo benedicta loca putant, in quibus Petrus & Paulus Chriſtiani exercitus duces, ſanguinem fudere pro Chriſto? Si ſeruorum & hominum glorioſa confeſſio; eſt; cur Domini & Dei nō ſit glorioſa confeſſio? Et martyrum vbique ſepulchra veneramur, & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & monumentum, in quo DOMINVS conditus eſt, quidam exiſtimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus, ſaltem Diabolo, & angelis eius: qui

*Martyrum ſepulcra & reliquiæ venerandæ.*



qui quotieſcunque ante illud de obſeſsis corporibus expelluntur: quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes contremiſcunt, rugiunt, & ſerò dolent crucifixiſſe, quem timeant. *Tomo primo, Epiſtola decima ſeptima, ad Marcellam, capite quinto.*

ERGO ne erit dies illa, quando nobis liceat ſpeluncam ſaluatoris intrare? in ſepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? crucis lambere lignum, & in olíueti monte cum aſcendente Domino, voto & animo ſubleuari, videre exire Lazarum faſcijs colligatum, & fluenta Iordanis ob lauacrum Domini puriora, inde ad paſtorum caulas pergere, in Dauid orare Mauſoleo? Amos prophetam etiam nunc buccina paſtorali in ſua conſpicere rupe clangentem? ad Abraham, Iſaac, & Iacob, trium quoque illuſtrium fœminarum, vel tabernacula properare, vel memorias? videre fontem, in quo à Philippo eunuchus eſt tinctus. Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Helizæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare? ingredi ſpeluncas, in quibus perſequutionis & famis tempore prophetarum agmina ſunt nutrita? & cætera. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſeptima, ad Marcellam, capite octauo.*

*Ecce quant⁹ honor locis ſanctis exhibitus.*

*Sanctorum memoriæ.*

*Cineres ſanctorum adorandi.*

SEPVLCHRA in monte Ephraim Ieſu filij Naue, & Eleazari filij Aaron ſacerdotis, venerata eſt. Vidit duodecim patriarcharum ſepulchra & Sebaſten, id eſt, Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode græco ſermone Auguſta eſt nominata: ibi ſiti ſunt Heliſæus & Abdias prophetæ, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptiſta. Vbi multis intremuit conſternata mirabilibus: nanque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulcra ſanctorum vlulare homines, more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere; ſuſpenſiſque pede fœminis, veſtes defluere in faciem Paula vidit etiam Moraſthin ſepulchrum quondam Micheæ prophetæ, nunc Eccleſiam. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſeptima, ad Euſtochium capite ſexto.*

*Miracula ad ſanctorum monimenta.*

LAVDENT te alij, & tuas contra diabolum victorias panegyricis proſequantur, quod dedicatio oſſium martyris, candida tibi veſtimenta reddiderit; vt non ſentires dolorem orbitatis tuæ, quem vniuerſa ciuitas ſentiret, ſed ad triumphum martyris exultares: ego potius illud loquar, quod tibi audire conducit. Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. *Tomo primo, Epiſtola 34. ad Iulianum cap. 2.*

*Dedicatio oſſiū martyris.*

*Eccleſi.2.ca.*

POSTQVAM Paleſtinæ ſanctus vir Heſychius audiuit Hilarionem animam exhalaſſe; perrexit ad Cyprum; & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo, vt diligentis cuſtodiæ ſuſpitionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo poſt decem ferè menſes corpus eius furatus eſt; quod Maiomam deferens, totis monachorum & oppidorum turmis proſequentibus, in antiquo monaſterio condidit, illæſa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quaſi adhuc, viueret, integro, tantiſque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur. Non mihi videtur in calce libri tacenda Conſtantiæ ſanctiſſimæ illius mulieris, deuotio, quæ, perlato ad ſe nuncio, quod corpuſculum Hilarionis Paleſtinæ eſſet, ſtatim exanimata eſt, veram in ſeruum Dei dilectionem etiam morte comprobans: erat enim ſolita peruigiles in ſepulcro eius noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari. Cernas vſque hodie miram inter Paleſtinos & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis ſpiritum ſe habere certantibus: & tamen in vtriſque locis magna quotidie ſigna fiunt, ſed magis in hortulo Cypri, forſitan, quia plus illum locum dilexerit. *Tomo primo in Vita Hilarionis Eremitæ in fine.*

*Peruigiles in ſanctorum ſepulcris noctes ducebantur.*

*Conſtantia cum defuncto Hilarione quaſi præſente ad iuuandas orationes ſuas ſermocinabatur.*

IOSEPHI liber, qui inſcribitur περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ valdè elegans habetur, in quo & Machabæorum ſunt digeſta martyria. *Tom. 1. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Ioſepho.*

*Machabæorū martyria digeſta à Ioſepho*

IPSORVM conſcientiam conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium noctem flumine purgant. quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? an alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? quod in Eccleſia non licet, nec domi licet. *Tomo ſecundo, in Apologia ad Pammachium, capite ſexto.*

*Polluti non audēt ire ad eccleſias martyrum.*

AIS Vigilantium putorem ſpurciſſimum, contra ſanctorum martyrum proferre reliquias, & nos qui eas ſuſpicimus, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum oſſa veneremur. Nos non ſeruimus creaturæ potius quam creatori. Honoramus reliquias martyrum, vt eum, cuius ſunt martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait. Qui vos ſuſcipit me ſuſcipit. *Vide Tomo ſecundo Epiſtola quinquageſima tertia, ad Riparium per totam penè Epiſtolam & notata ſupra Articulo 8. eodem ferè pertinentia.*

*Vigilātij hæreſis de ſanctorum reliquijs.*

*Catholicorū ſententia de venerandis reliquijs.*

EXORTVS eſt ſubito Vigilantius, ſeu verius Dormitantius, qui immūdo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & martyrum neget ſepulcra veneranda, damnandas dicat eſſe vigilias, nunquam niſi in Paſchate alleluia cantandum, continentiam; hæreſin; pudicitiam libidinis ſeminarium, &cæt. *Tomo ſecundo aduerſus Vigilantium capite primo, & capite ſecundo penè toto, quæ excerpta & annotata vide ſupra, Articulo octauo decimo & ſeptimo ibidem obſeruata ſunt quæ ex cap. 3 lib. aduerſus Vigilantium huc referenda ſunt.*

NOS ne ſumus qui Eccleſiam ſcindimus; an ille qui viuis habitaculum, mortuis ſepulcrum negat, qui fratrum exilia poſtulat? Quis oſſa ſanctorum & innoxios cineres hucuſque verberari ab imbribus ſinit? *Tomo ſecundo, Epiſtola ſexageſima prima, ad Pammachium, capite decimoſexto.*

*Grauiſſimū crimen prophanatio reliquiarum.*

DVM eſſem Romæ puer & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti diebus dominicis ſepulchro Apoſtolorum & martyrum circuire crebro: cryptaſque ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum: & ita obſcura ſūt omnia, vt propemodum illud propheticū compleatur: Deſcendant ad infernum viuentes: & raro deſuper lumē admiſſum, horroré temperet tenebrarum: vt non tam feneſtrā quam foramē dimiſſā

*Frequētatio locorum ſanctorum.*

*Cryptarum antiquitas.*

*Pſal. 54.*

miſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cœca nocte circundatis, illud Virgilianum proponitur: Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent. & cætera. *Tomo quarto, libro duodecimo Commentariorum, in caput quadrageſimum Ezechielis.*

TRIBVS Ephraim ſiue Hieroboam interdum propter Ioſeph, qui fuit pater Ephraim, vocatur Ioſeph: nonnunquam Samaria: quæ & ipſa altera vrbs fuit Metropolis decem tribuum: quæ poſtea ab Auguſto Cæſare, appellata eſt Auguſta, id eſt, σεβαςὴ: in qua oſſa Ioannis baptiſtæ condita ſunt. *Tomo quinto, Commentar. in cap. 1. Oſeæ.*

*Oſſium Ioannis Baptiſtæ pia aſſeruatio.*

EVNTIBVS Tyberiadem Diocæſaria haud grandis viculus occurrit, vbi Ionæ prophetæ ſepulchrum oſtenditur. *Tomo quinto, Proœmio in Ionam.*

*Ionæ prophetæ ſepulcrũ in honore.*

SAMARIA in montibus erat ſita, vbi nunc Sebaſte eſt: in qua & ſancti baptiſtæ oſſa condita ſunt. *Tomo quinto, libro primo Commentariorum, in cap. 1. Micheæ.*

IACOBVS Apoſtolus primus Epiſcopus Hieroſolymitanus cognomento Iuſtus: vir tantæ ſanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim omnes cuperent attingere: *Tomo ſexto libro primo, Commentariorum in caput 1. ad Galatas.*

*Fimbria Iacobi Apoſtoli honorificè attacta.*

ROMANAE plebis laudatur fides. Vbi alibi tanto ſtudio & frequentia ad Eccleſias, & ad martyrum ſepulcra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? *Tomo ſexto in Proœmio lib. 2. Com. ad Galat.*

*Romæ frequens cõcurſus ad martyrum ſepulcra.*

## *Articulus XIII. Plurima miracula per ſanctos & ad eorum monumenta & reliquias fuiſſe edita ac patrata, & quamobrem id Deus, ita fieri voluerit.*

VIDE miracula diuerſa ad ſanctorum monimenta edita. *Tomo primo Epiſtola vigeſima ſeptima, ad Euſtochium capite ſexto locus aſſcriptus Articulo præcedenti 12. etiam huc referendus.*

VERCELLAE, Ligurum ciuitas, haud procul à radicibus alpium ſita, olim potens, nunc raro eſt habitatore ſemiruta. Hanc cum ex more conſularis inuiſeret, oblatam ſibi quandam mulierculam vna cum adultero (nam hoc crimen maritus impegerat) pœnali carceris horrore circundedit: neque multo poſt, cum liuidas carnes vngula cruenta pulſaret, & ſulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infœliciſſimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in ſuum mentitur ſanguinem, accuſauit alienum, ſoluſque omnium miſer, merito iuſſus eſt percuti, quia non reliquit innoxiæ, vnde poſſet negare. At verò mulier, ſexu fortior ſuo, cum eculeus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum, & volutis per ora lachrymis: Tu, inquit, teſtis es DOMINE IESV, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis & cordis, ideo me negare velle, ne peream, ſed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miſer homo, ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipſa cupio mori, cupio inuiſum hoc corpus exuere, ſed non quaſi adultera. Præſto iugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram: Non moritur quiſquis victurus occiditur. Igitur conſularis, paſtis cruore luminibus, vt fera, quæ guſtatum ſemel ſanguinem ſemper ſitit, duplicari tormenta iubet; & ſæuum dentibus frendens, ſimilem carnifici minitatus eſt pœnam, niſi confiteretur ſexus infirmior, quod non poterat robur virile reticere. Succurre Domine Ieſu: ad vnum hominem tuum complura ſunt inuenta ſupplicia. Crines ligantur ad ſtipem, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur: vtrunque latus carnifex fodit: nec papillis dantur induciæ: immota mulier manet, & à dolore corporis ſpiritu ſeparato, dum conſcientiæ bono fruitur, vetuit circa ſe ſæuire tormenta. Iudex crudelis, quaſi ſuperatus attollitur. Illa Deum deprecatur, ſoluuntur membra compagibus. Illa oculos ad cælum tendit, quaſi de communi ſcelere alius confitetur. Illa pro confitente negat; & periclitans ipſa, alium vindicat periclitantem. Vna interim vox eſt: Cœde, vre, lacera, non feci. ſi dictis tollitur fides: veniet dies, quæ hoc crimen diligenter diſcutiat: habeo iudicem meum. Iam laſſus tortor ſuſpirabat in gemitum: nec erat nouo vulneri locus. iam victa ſæuitia corpus, quod laniarat, horrebat; extemplo ira excitus conſularis. Quid miramini, inquit, circunſtantes, ſi torqueri mulier mauult, quam perire? adulterium certè ſine duobus committi non potuit: & eſſe credibilius reor noxiam ream negare de ſcelere, quam innocentem iuuenem confiteri. Pari igitur prolata in vtrunque ſententia, damnatos carnifex trahit: totus ad ſpectaculum populus effunditur; vt prorſus quaſi migrare ciuitas putaretur; ſtipatis proruens portis turba denſatur: & quidem miſerrimi iuuenis ad primum ſtatim ictum amputatur gladio caput, truncumque in ſuo ſanguine volutatur cadauer. Poſtquam verò ad fœminam ventum eſt; & flexis in terram poplitibus, ſuper trementem ceruicem micans eleuatus eſt gladius; & exertam carnifex dexteram totis viribus concitauit; ad primum corporis tactum ſtetit mucro letalis, & leuiter perſtringens cutem, raſuræ modicæ ſanguinem aſperſit, imbellem manum percuſſor expauit; & victam dexteram gladio marceſcente miratus, in ſecundos impetus torquet, languidus rurſus in fœminam mucro delabitur, & quaſi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. itaque furens & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, dum totas expedit vires, fibulam, quæ chlamydis, mordebat oras, in humum excuſſit, ignaruſque rei, enſem librabat in vulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurum ruit: collige multo quæſitum labore, ne pereat. Prô rogo, quæ eſt iſta ſecuritas? Impendentem non timet mortem; lætatur percuſſa; carnifex pallet: oculi gladium non videntes, fibulam vident: & ne parum eſſet, quod non formidabat interitum, præſtat beneficium ſæuienti. Iam igitur & tertius ictus ſacramentum fruſtratus, erat, trinitatis, iam ſpiculator exterritus,

*Varia miracula in muliere ſepties in nocẽter icta edita.*



& non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum, vt qui ſecare non poterat, ſaltem premente manu, corpori conderetur. O omnibus res inaudita ſæculis. Ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum ſuum victus aſpiciens, confeſſus eſt ſe ferire non poſſe. Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos

*Dan. 3.*

flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, circa quorum ſaraballa, ſanctamque cæſariem, innoxium luſit incendium. Huc Beati

*Dan. 13.*

Danielis reuocetur hiſtoria, iuxta quem adulantibus caudis, prædam ſuam leonum ora timuerunt. Nunc Suſanna nobilis fide, omnium ſubeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, ſpiritu ſancto puerum replente, ſaluata eſt: Ecce non diſpar in vtraque miſericordia DOMINI. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata, abſoluta per gladium eſt. Tandem ergo ad fœminam vindicandam, populus armatur. Omnis ætas, omnis ſexus carnificem fugat, & cœtu in circulum coeunte, exclamat, non credit penè vnuſquiſque quod videt: turbatur tali nuncio vrbs propinqua, & tota lictorum turma conglomeratur, è quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat, erumpens, & canitiem immundam perfuſo puluere turpans. Quin meum, inquit, ô ciues petitis caput? me illi vicarium datis? Si miſericordes, ſi clementes eſtis; ſi vultis ſeruare damnatam: innocens certè perire non debeo. Quo fletu vulgi concuſſus eſt animus, mœſtuſque per omnes ſe torpor inſinuat, & mirum in modum voluntate mutata, cum pietatis fuiſſet, quod ante defenderant, pietatis viſum eſt genus, vt paterentur oculi. Nouus igitur enſis, nouus percuſſor apponitur. Stat victima. CHRISTO tantum fauente munita. Semel percuſſa concutitur: iterum repetita quaſſatur, tertio vulnerata proſternitur. O diuinæ potentiæ ſublimanda maieſtas: quæ prius fuerat quarto percuſſa, nec læſa: ideo paululum poſt viſa eſt mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant. Feſtinato ſol curſu occaſum petit; & miſericordia Domini, celeriore curſu naturæ, nox aduenit: Subito fœminæ palpitas pectus; & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad vitam. Iam ſpirat, iam videt, iam ſubleuatur, & loquitur. Iam in illam poteſt vocem e-

*Pſal. 117.*

rumpere: Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciat mihi homo. Anus interim quædam, quæ Eccleſiæ ſuſtentabatur opibus, debitum cælo ſpiritum reddidit, & quaſi de induſtria ordine currente rerum, vicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhuc luce, in littore Diabolus occurrit, quærit cadauer occiſæ, ſepulcrum ſibi monſtrari petit: viuere putat, quam mori potuiſſe miratur. Recens à clericis ceſpes oſtenditur, & dudum ſuperiecta humus, cum his vocibus ingeritur flagitanti: Erue ſcilicet oſſa iam condita: infer nouum ſepulcro bellum, & ſi hoc parum eſt, auibus feriſque lanianda membra diſcerpe. Septies percuſſa, debet aliquid plus morte perpeti. Tali ergo inuidia carnifice confuſo, clam domi mulier refocillatur. Et ne fortè creber medici ad Eccleſiam commeatus, ſuſpicionis panderet vici cum quibuſdam virginibus ad ſecretiorem villulam ſecto crine tranſmittitur. ibi paulatim virili habitu veſte mutata, in cicatricem vulnus obducitur. Et ô verè: Ius ſummum ſumma malitia: poſt tanta miracula adhuc ſæuiunt leges. En quo me geſtorum ordo pertraxit. *Tomo primo, Epiſtola quadrageſima nona, ad Innocentium, de muliere ſepties icta.*

INTER ſermocinationes ſuſpiciunt alitem coruum in ramo arboris conſediſſe; qui inde leniter ſubuolans integrum panem ante mirantium ora depoſuit, poſt cuius abſceſſum, Eia, inquit, Paulus, Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors. Sexaginta iam anni ſũt, quod accipio dimidij ſemper panis fragmentum: verum ad tuum aduentum, militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam. *Tom. 1. in Vita Pauli Eremitæ.*

*Paulus & Antonius à coruo miraculosè paſti.*

PRIMVM miraculum Hilarionis quod mulier infœcunda & ſterilis Eleutheropolitana, precibus Hilarionis miraculosè aucta eſt filio. Alterum quod Ariſtænetæ vxoris nobilis Helpidij tres liberos defunctos reuocauit ad vitam. Tertiò cæcæ mulieri viſum reſtituit. Quartò auriga Gazenſis à dæmone percuſſus per Hilarionem ſanatus eſt. Quintò, fortiſſimum iuuenem Marſitam nomine obſeſſum è poteſtate dæmonis liberauit. Sexto ab Oriono primario viro legionem dæmonum expulit. Septimò Gazanum Maiomitem paralyſi diſſolutum eo morbo exemit, Octauò maleficis & dœmoniacis artibus diuina virtute reſtitit. Nonò virginem à dæmone obſeſſam ex impudici amoris flamma à magis dolosè ſubiecta, reſtituit ſanitati.

*Recenſentur ordine miracula 21. Hilarionis.*

Decimò candidatum Conſtantij, Imperatoris ab infantia poſſeſſum à dæmone curauit. Vndecimò bruta quoque animantia furentia ad eum pertrahebantur: in quibus Bactrum camelum ferocientem & furentem manſuetiſſimum reddidit. Duodecimò intellexit & prædixit diem dormitionis ſancti Antonij. Decimotertiò, tanquam alter Helias populo fame & ſiti confecto & penè enecto pluuias impetrauit. Decimoquartò à ſerpentibus lœſos; & tactos benedicto oleo ſanauit.

Decimo quinto Scutarium in Baſilica B. Petri à dæmone tortum curauit. Decimo ſextò quidam ex primoribus in Sicilia tumens morbo intercutis, ab Hilarione curatus eſt. Decimo ſeptimò Draconem immenſæ magnitudinis & multa mala inferentem, cuncta ſpectante plebe immanem beluam concremauit. Decimo octauò mare intumeſcens ac fremens inhibuit. Decimononò pyratas in mari imminentes ſuæ naui diuina virtute repreſſit, & impetum eorum retardauit.

Vigeſimo ducentos in Cypro obſeſſos ab immundis ſpiritibus ſanauit. Vigeſimo primò adhuc alium paralyticum ſanauit. *Tomo primo in vita Hilari.* Vbi vide latius ſingula miracula amplificata, quæ ſtudio breuitatis in ordinem redacta ſtrictim tantum hic attigi. *Tomo primo, in Vita Hilarionis.*

GREGORII Neocæſarienſis Ponti Epiſcopi Thaumaturgi, multa ſigna atque miracula feruntur, quæ iam Epiſcopus, cum multa Eccleſiarum gloria perpetrauit. *Tom. 1. in Catal. ſcriptorum Eccleſiaſticorum.*

*Miracula Gregorij Thaumaturgi lege Euſebium in hiſtoria Eccleſiaſtica.*

REFERT

REFERT Tertullianus, quod Ioannes Euãgeliſta Romæ miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quam intrauerit. *To.2. lib.1.aduer. Iouinianum cap.14.*

*Dæmones rugiunt apud ſanctorum reliquias.*

CONSTANTINOPOLI apud ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiã confitentur. *To.2. aduerſus Vigilantium cap.2.*

ARGVMENTATVR Vigilantius contra ſigna atque virtutes, quæ in Baſilicis martyrum fiunt; & dicit eas incredulis prodeſſe, non credẽtibus: quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Eſto, ſigna ſint infidelium qui quoniam ſermoni & doctrinæ credere noluerunt ſignis adducantur ad fidem. & Dominus incredulis ſigna faciebat: & tamen non iccirco Domini ſunt ſugillanda ſigna, quia illi infideles erant: ſed maiori admirationi erunt, quia tantæ fuere potentiæ, vt etiam mentes duriſſimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, ſigna infidelium ſunt: ſed reſponde, quo modo in viliſſimo puluere, & fauilla neſcio qua, tanta ſit ſignorum virtutumque præſentia. Sentio, ſentio, infœliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſsimo tort⁹ eſt puluere, imo hodieque torquetur; & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem gentilium, impiorumque Porphirij & Eunomij has præſtigias dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare dæmones, ſæd ſua ſimulare tormenta. Do conſilium: ingredere Baſilicas martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos ſocios tuos; & nequaquã cereis martyrum, qui tibi diſplicent flammis inuiſibilibus combureris: & tunc fateberis, quod nunc negas: & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis. Ego confiteor timorem meum, ne forſitan de ſuperſtitione deſcendat. Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantaſma deluſerit; baſilicas martyrum intrare non audeo: ita totus corpore & animo contremiſco. *Tom.2. aduerſus Vigilantium cap.4.*

*Signa & miracula ad ſãctorum reliquias quibus proſint.*

*Porphirij et Eunomij impietas.*

*Summa religio B. Hieronymi.*

*Multa miracula Hieroſolymis conſpecta.*

INTRAVI Hieroſolymam vidi multa miracula; & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum iudicio comprobaui. *Tom.2. lib.3. aduerſ. Ruffinum cap.7.*

*Salſa ironia.*

HOC ſolum requiro, ab eximia ſanctitate & cenſura tua, cuius tanta eſt puritas, vt ad ſudaria, & ſemicinctia tua dæmones rugiant, cuius exemplum in ſcribendo ſequaris. *Tom.2. libr.3. aduerſus Ruffin. cap.10,*

*Diſcrimẽ inter miracula ſanctorum & Chriſti.*

BENIGNVS & clemẽs Dominus & magiſter, non inuidet ſeruis ſuis atque diſcipulis virtutes ſuas. Et ſicut ipſe curauerat omnem languorem & omnem infirmitatẽ: Apoſtolis quoque ſuis tribuit poteſtatem, vt curarent omnem languorem & omnem infirmitatem in plebe. Sed multa diſtantia eſt inter habere & tribuere, donare & accipere. Iſte quodcunque agit, poteſtate Domini agit: Illi ſi quid faciunt, imbecillitatem ſuã & virtutem Domini confitẽtur, dicentes: In nomine Ieſu, ſurge & ambula. *Tom.6. libr.1. Commentar. in cap. 10. Matthæi.*

MIRABILIS Deus in ſanctis ſuis.] In hoc mirabilis eſt Deus: quoniam ita dilexit humanum genus vt ſigna faciat in ſanctis ſuis. In iſtis magis mirabilis eſt Deus, quã in cæteris creaturis, quod eos poſt multas tribulationes euexit in ſublimitatem cœlorum. *Tomo ſeptimo, Commentariorum in Pſalmum 67.*

### *Articulus XIIII. Reliquias ſanctorum ſemper ſummo fuiſſe in honore ac precio, eaſdemque ſacras reliquias ſub altari collocari in more poſitum fuiſſe.*

RELIQVIAE Leæ ſanctiſsimæ virginis Oſtiam fuerunt delatæ. *Tom.1. Epiſtola. 24. ad Marcellam.*

CAETERI mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia floreſque purpureos, & dolorem pectoris his officijs conſolantur. Pammachius noſter Paulinæ vxoris ſanctam fauillã, oſſaque veneranda, eleemoſynæ balſamis rigat: his pigmentis atque odoribus fouet cineres quieſcentes. *To.1. epiſt. 26. ad Pam. cap.2.*

*Paula lambebat Domini ſepulcrũ.*

PAVLA ipſum corporis locum, in quo Dominus iacuerat; quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat. proſtrataq; ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret. *Tom 1. epiſt. 27. ad Euſtochium cap.3.*

*Crucis adoratio.*

INDE Bethlehem ingreſſa, & in ſpecum ſaluatoris introiens, poſtquam videt ſacrum virginis diuerſorium, & ſtabulũ, in quo agnouit bos poſſeſſorem ſuum: & aſinus præſepe Domini ſui: me audiente iurabat, cernere ſe oculis fidei infantẽ pannis inuolutum, vagientem in præſepi Dominum. Magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, matrẽ virginem, & nutritium ſedulum, paſtores nocte veniẽtes &c. *Tom.1, Epiſtola 27. ad Euſtochium cap.4.*

*Deoſculata Paula præſepe Domini.*

EGO miſera, atque peccatrix, digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt? orare in ſpelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? *Ibidem in fine capite quarto.*

DVBIA adhuc luce, in littore diabolus occurrit, quærit cadauer occiſæ, ſepulcrum ſibi monſtrari petit: viuere putat, quam mori potuiſſe miratur. Recens à clericis ceſpes oſtenditur, & dudum ſuperiecta humus, cum his vocibus ingeritur flagitanti: Erue ſcilicet oſſa iam condita: infer nouum ſepulcro bellum, & ſi hoc parum eſt, auibus feriſque lanianda membra diſcerpe. Septies percuſſa debet aliquis plus morte perpeti. *Tom.1. Epiſt. 49. ad Innocentium de Muliere ſepties icta.*

*Inferũt mortuis bellum hæretici.*

*Tunica Pauli honoratur.*

MIHI Hieronymo ſi Dominus optionẽ daret multo magis eligerem tunicam Pauli cũ meritis eius, quam regum purpuram cum pœnis ei⁹. *Tom.1. in vita Pauli in fine.*

HILARION octogeſimo ætatis ſuæ anno, cũ abſens eſſet Heſychius, quaſi teſtamenti vice breui manu propria ſcripſit Epiſtolam, omneſque diuitias ſuas ei derelinquens, Euangelium ſcilicet & tunicam ſacceam, cucullam & palliolum, & ſepultus eſt, ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, & cuculla, & ſago ruſtico. Poſtquam Palæſtinæ ſanctus vir Heſychius mortuum & ſepultum eum audiuit: perrexit ad Cyprum; & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo, vt diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem, accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo poſt fere decem menſes corpus eius furatus eſt, quod Maiomam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis proſequẽtibus, in antiquo monaſterio condidit, illæſa tunica,

*Reliquiæ Pauli erọ̃dtæ.*

*Corpus Hilarionis honore affectum.*



cuculla, & palliolo, & toto corpore, quaſi adhuc viueret, integro, tantiſque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur. *Tom 1. in vita Hilarionis circa finem.*

*Oſſa Lucæ et reliquiæ S. Andreæ de Achaia trãſlata.*

LVCAS Euangeliſta ſepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam vrbem viceſimo Conſtantini anno, oſſa eius cum reliquijs Andreæ Apoſtoli translata ſunt de Achaia. *Tomo 1. de viris Illuſtribus in Luca.*

RELIQVIAE corporis ſancti Ignatij Antiochiæ iacent extra portam Daphnicam in cœmiteris. *Tom.1. de viris illuſtribus in Ignatio.*

*Reliquiæ ſanctorum ſub altaribus in quibus offerebatur ſacrificium.*

MALE facit Romanus Pontifex (ſi verè ſentit Vigilantius) qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria? Et non ſolum vnius vrbis, ſed totius orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur baſilicas mortuorum in quibus puluis viliſsimus, & fauilla, neſcio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta, omnia polluat; & quaſi ſepulcra Phariſaica foris dealbata ſint, cum intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleant atque ſordeant, &c. *Tomo.2. aduerſus Vigilantium, cap. 3. vide plura.*

*Vigilantiani in quo ſimiles Iſraelitis.*

ISRAELITAE in tantum procacitatis ac ſuperbiæ augmenta capiebant: vt quicunque non ſimili duceretur errore, cum arbitrarentur immundum, contactumque eius fugerent: quemadmodum Samaritani & Iudæi nobis faciunt, omnes hæretici: quales nuper ſub magiſtro cerebroſo in Gallia pullularunt: qui baſilicas martyrum declinantes, nos qui ibi orationes ex more celebramus, quaſi immundos fugiunt. Hoc autem non tam illi faciunt, quam habitantes in eis dæmones: fortitudinem & flagella ſancti cineris non ferentes. *Tom.4. lib.18. Com. in cap.65. Eſaiæ.*

*Reliquiæ Abdiæ, Heliſæi, Ioannis baptiſtæ venerationi habentur.*

SEPVLCHRVM Abdiæ vſque hodie cum Mauſoleo Heliſæi Prophetę & Baptiſtæ Iohannis in Sebaſte venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. *Tom.5. Com. in cap,1. Abdiæ.*

AVDIVI à quodam rem ſenſu quidem pio dictam, ſed ridiculam: Clauos dominicæ crucis, è quibus Conſtantinus Auguſtus frænos equo ſuo fecerit, ſanctum Domini appellari. Hoc vtrum accipiendum ſit lectoris prudentiæ derelinquo. *Tom. 5. lib.3. Com. in cap.14. Zachariæ.*

SI ita martyrium fecerimus, vt noſtras velimus ab hominibus reliquias honorari, huic operi non tam præmium quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormentum eſt, quam corona victorię. *Tom.6 lib.3. Com. in cap.5. ad Galatas.*

*Martyrium effoſſas reliquias deplorat.*

AB Hunnis & Vvandalis capti Epiſcopi, interfecti presbyteri, & diuerſorum officia clericorum, ſubuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, martyrum effoſſæ reliquiæ, vbique luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago. *Tom.1. Epiſtola 3. ad Heliodorum, cap.9.*

### *Articulus XV. Canonizatio & diſcretio ſanctorum difficilis.*

QVOD ſi quis hominem qui ſanctus non eſt, ſanctum eſſe crediderit, & Dei eum iunxerit ſocietati, Chriſtum violat: cuius corporis omnes membra ſumus. Qui dicit, inquit, iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtum, abominabilis vterque apud Deum eſt: ſimiliter qui ſanctum dicit eſſe non ſanctum, & rurſum non ſanctum aſſerit ſanctum, abominabilis apud Deum eſt. Omnes credentes (ſecundum Apoſtolum) Chriſti corpus efficiuntur. Qui in Chriſti corpore errat & labitur: aſſerens membrum eius vel ſanctum eſſe cum non ſit: vel non ſanctum eſſe, cum ſanctum ſit, vide quali crimine obnoxius fiat: Væ (ait Eſaias) qui dicunt dulce amarum, & amarum, dulce: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Dulce puto eſſe ſanctimoniam, amarum quod ſanctimoniæ cõtrarium eſt: æquè lux ſanctitamonia intelligi poteſt, tenebræ contrariæ ſanctiti. Quis putas è nobis probãdis numiſmatibus, callidus trapezita, non errabit in diſcretione ſanctorum. *Tom.6. lib.1. Com. in cap.1 ad Philemonem.*

*1. Cor. 6.*

*Eſaiæ 5.*

*Facilis error committitur in ſanctorum diſcretione.*

## *Caput tertium. De ieiunio Chriſtiano.*

### *Articulus I. Chriſtianis olim ieiunia familiaria fuiſſe.*

FILIA Lætæ non veſcatur in publico, id eſt, in parentum conuiuio; ne videat cibos, quos deſideret. Et licet quidam putant maioris eſſe virtutis, præſentem contemnere voluptatem: tamen ego arbitror ſecurioris continentiæ eſſe, neſcire quod quæras. Legi quondam in ſcholis puer: Aegrè reprehendas, quod ſinis conſueſcere. Diſcat iam nunc & vinum non bibere, in quo eſt luxuria. Ante annos robuſtæ ætatis, periculoſa eſt teneris grauis abſtinentia: vſque ad id tempus, ſi neceſsitas poſtulauerit; & balneas adeat, & vino vtatur modico propter ſtomachum, & carnium edulio ſuſtentetur, ne prius deficiant pedes, quam currere incipiant. Et hoc dico iuxta indulgentiam, non iuxta imperium timens debilitatem, non docens luxuriam, alioqui, quod Iudaica ſuperſtitio ex parte facit in reiectione quorundam animalium, atque eſcarum, quod & Indorum Brachmani, & Aegyptiorum Gymnoſophiſtæ, in polentæ, orizæ, & pomorum ſolo obſeruant cibo, cur virgo Chriſti, non faciat in toto? Si tanti vitrum, quare non maioris ſit pretij margaritum? *Tom.1. Epiſtola 7. ad Lætam de inſtitutione filiæ, cap 4.*

*Abſtinentia vini.*

*Indulgentia Hieronymi.*

*Hortatur ad abſtinentiam ab exemplis.*

OBSECRO te, vt quoniam ſanctæ ſororis tuę ligatus es vinculo, & non penitus expedito pergis gradu, ſiue hic, ſiue ibi, multitudines hominum, & officia, & ſalutationes, & conuiuia, veluti quaſdam catenas fugias voluptatum. Sit vilis veſpertinus cibus, holera & legumina: interdumque piſciculos pro ſummis ducas delicijs. Qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur; non quærit magnoperè, de quàm precioſis cibis ſtercus cõficiat. Quid quid poſt gulã nõ ſentitur, idem tibi ſit, quod panis & legumina. Habes aduerſus Iouinianũ libros de contemptu ventris & gutturis plenius diſſerentes. *Tom.1. Epiſtola 13. ad Paulinum de inſtitutione Monachi.*

*Vilis cibus veſpertinus.*

*Aſellæ ieiunia.*

ASELLA ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione, & cum eam non veſcendi deſiderium, ſed humana confectio ad cibum traheret; pane, ſale, & aqua frigida concitabat magis eſuriẽ quam reſtinguebat. *Tom.1. Epiſt.15. ad Marcellam.*

SINT tibi ſociæ, quas ieiunia teneant, quibus pallor in facie eſt, quas & ætas probauit & vita. Sit tibi moderatus cibus & nunquã venter expletus. Plures quippe ſunt, quæ, cum vino ſint ſobriæ, ciborum largitate ſunt ebriæ. Ad orationem

tibi nocte ſurgenti, non indigeſtio tibi ructum faciat, inanitas. Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatem fugiens: Nihil prodeſt, biduo triduoque tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate ieiunium, ilico mens repleta torpeſcit, & irrigita humus ſpinas libidinum germinat. Si quando ſenſeris, exteriorem hominem, florem adoleſcentiæ ſuſpirare; & accepto cibo cum te in lectulo compoſitam, dulcis libidinum pompa concuſſerit: arripe ſcutum fidei, in quo diaboli ignitæ extiguuntur ſagittæ. Omnes adulterantes quaſi clibanus corda eorum. At tu, Chriſti comitata veſtigijs, & ſermonibus eius intenta, dic: Nonne cor noſtrum ardens erat in via, cum aperiret nobis IESVS Scripturas? & illud: Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. *Tomo primo, Epiſtola 22. cap. 6.*

*Quotidiana ieiunia.* *Epheſ. 6.* *Oſee 7.*

COENOBITARVM vnaquæque decuria cum ſuo parente pergit ad menſam, quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant. Nullus in cibo ſtrepitus eſt; nemo comedens loquitur, viuitur pane, leguminibus, & holeribus, quæ ſale ſolo condiuntur: vinum tantum ſenes accipiunt, quibus & paruulis ſæpè fit prandium; vt aliorum feſſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. de hinc hymno dicto, ad præſepè redeunt. *Tomo primo, Epiſtola vigeſimaſecunda, capite decimoquinto, de moribus Cœnobitarum.*

*Cœnobitarũ ieiunia.*

QVOTIES, Paula, infirmitate corpuſculi, quam incredibili abſtinentia, & duplicatis contraxerat ieiunijs, vexabatur, hoc in ore volebat; Subijcio corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne alijs prædicans, ipſa reproba inueniar. Et: Bonum eſt vinum non bibere, & carnem non manducare: Et: Humiliaui in ieiunio animam meam, & totum lectum meum verſaſti in infirmitatem & verſata ſum in miſeria, dum mihi configitur ſpina. *Tomo primo, Epiſtola 27 cap. 1.*

*Paula nimijs ieiunijs contraxerat infirmitatem.* *1. Cor. 9.* *Rom. 14.* *Pſal. 34. 40. 31.*

LASCIVIENTEM adoleſcentularum carnem, crebris & duplicatis frangebat ieiunijs, malens eis ſtomachum dolere quam mentem. *Tom. 1. Epiſt. 27. cap. 10.*

HILARION à vigeſimo primo vſque ad viceſimum ſeptimum annum, tribus annis dimidium lentis, ſextarium madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panem aridum cum ſale & aqua.

*Abſtinentia Hilarionis.*

PORRÒ à vigeſimo ſeptimo vſque ad trigeſimum, herbis agreſtibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis ſuſtentatus eſt. A triceſimo primo ad triceſimum quintum, ſex vncias hordeacei panis, & coctum modice holus abſque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam ſcabredine contrahi, ad ſuperiorem victum adiecit oleum: & vſque ad ſexageſimum tertium vitæ ſuæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinſecus, aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei guſtans. Inde, cum ſe videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à ſexageſimo quarto anno vſque ad octogeſimum pane abſtinuit, incredibili feruore mentis; vt eo tempore quaſi nouus accederet ad ſeruitutem Dei quo cæteri ſolent remiſsiùs viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto holere ſorbitiunculæ, cibo & potu vix quinque vnicas appendentibus: ſicque complens ordinem vitæ, nunquam ante ſolis occaſum, nec in diebus feſtis, nec in grauiſsima valetudine ſoluit ieiunium. *Tomo 1. in vita Hilarionis.*

*Viliſsimus cibus Hilarionis.*

HILARION fugiens in eremum quadraginta elegit monachos, qui haberent viaticum, & poſſent ieiunantes ingredi, id eſt, poſt ſolis occaſum cibum ſumere? *Tomo primo, in vita Hilarionis.*

*Poſt ſolis occaſum cibi ſumptio.*

ANNA filia Phanuelis in templo, templum efficitur Dei, & quotidiano ieiunio, cœleſtem inuenit panem. *Tomo tertio, Epiſtola 140. ad Principiam. vide Tomo quinto, Commentariorum, in cap. primum Aggæi.*

*Lucæ 1. 2.*

ECCLESIASTICA narrat hiſtoria, cum Iohannes Euangeliſta à fratribus cogeretur vt ſcriberet: ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, reuelatione ſaturatus ſuum procemium è cœlo veniens eructauit. In principio, &c. *Tom. 6. in procemio Commentariorum in Matthæum ad Euſebium.*

*Publicum ieiunium coniunctum publicis precibus.*

LATA via eſt ſæculi voluptas, quam appetunt homines. Anguſta, quæ per labores & ieiunia panditur. Quam & Apoſtolus ingreſſus eſt: vt & Timotheus, eam ingrederetur, hortatur. Anguſtam pauci ambulant, quia capti ſæculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur. *Tomo. ſexto, libro primo, Commentariorum, in caput ſeptimum Matthæi*

*Anguſta eſt via cœlorum per ieiunia.*

SPREVISTIS vtranque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ poſt peccata. Nec mirum ſi duplicem viam contemſeritis ſalutis: cum & ieiunium & ſaturitatem ſimul ſpreueritis. Si ieiunium vobis placet; cur Iohannes diſplicuit? Si ſaturitas: cur filius hominis diſplicuit? Quorum alterum dæmonium habentem, alterum voratorem & ebrium nuncupaſtis. *Tomo 6. libro. 1. Commentariorum, in cap. 11. Matthæi.*

*Duplex diſciplina & via ſalutis.*

EGO cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio.] Hæc ſunt arma ſanctorum. Legimus Chriſti ieiunium, non legimus cilicium. Sed cilicium conuenit peccatoribus, quia veſtitus pœnitentiæ eſt. Humiliaui in ieiunio animam meam. Chriſtus non carnaliter, ſed ſpiritualiter ieiunauit. Eſuriens venit ad arborem fici: ſitiens venit ad fontem. Eſuriebat ſalutem humani generis, ſitiebat fidem Eccleſiæ, *Tomo. 7. Commentariorum, in Pſalmum 34.*

*Ieiunia ſunt arma ſanctorum.* *Marc. 11.* *Ioan. 4.*

## *Articulus II. Ieiunium in ſacris literis eſſe præceptum.*

EGO dicam tibi. Si vis eſſe perfectus, bonum eſt vinum non bibere, & carnem non manducare. Si vis perfectus eſſe, melius eſt ſaginare animam, quam corpus. *Vide late Tom. 2. libr. 2. contra Iouinianum cap. 5. & paſsim in reliquis capitibus. Vide lib. 2. Commentariorum, in cap. 8. Zachariæ, Tom. 5.*

## *Articulus III. Ieiunandum eſſe Chriſtiano, qui grauioribus tentationibus pulſatur.*

POST cogitationum diligentiſsimam cautionem, ieiuniorum tibi arma ſumenda ſunt, & canendum cum Dauid: Humiliaui in ieiunio animam meam. Et: Cinerem tanquam panem manducabam. Et: Cum moleſti mihi erant, induebar cilicio. Eua per cibum eiecta eſt de paradyſo. Helias quadraginta dierum exercitatus ieiunio, igneo curru rapitur in cœlum. Moyſes quadraginta diebus ac noctibus, familiaritate & ſermone Dei paſcitur, in ſe veriſsimum probans, quod dicitur: Non in ſolo pane viuit homo ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Saluator generis humani, qui virtutum & conuerſationis ſuæ nobis reliquit exemplum, poſt baptiſmum ſtatim aſſumitur à ſpiritu, vt pugnet contra diabolum, & oppreſſum, atque contritum tradat diſcipulis conculcandum. Vnde & Apoſtolus loquitur. Deus conteret Sathanam ſub pedibus veſtris velociter. Et tamen hoſtis antiquus poſt quadraginta dierum ieiunium adhuc molitur inſidias, & dicit: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. In lege, menſe ſeptimo poſt clangorem tubarum decima die menſis, totius gentis Hebreæ ieiunium eſt, & exterminatur illa anima de populo ſuo, quæ ſaturitatem prætulerit continentiæ. In Iob ſcriptum eſt de dracone: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius ſuper vmbilicum ventris eius. Aduerſus iuuenes & puellas ætatis ardore hoſtis noſter abutitur, & inflammat totam natiuitatis noſtræ, & implet illud Oſee: Omnes adulterantes, quaſi clibanus corda eorum, quæ DEI miſericordia, & ieiuniorum frigore reſtinguuntur. Hæc ſunt ignita diaboli iacula, quæ ſimul & vulnerant, & inflammant, & à rege Babylonio tribus pueris præparantur, qui ſuccendit fornacem quadraginta nouem cubitorum, habens & ipſe ſeptem hebdomadas ad perditionem, quas Dominus obſeruari iuſſerat ad ſalutem. Sed quomodo ibi quartus, ſpeciem habens quaſi filij hominis, immenſos mitigauit ardores, & inter camini æſtuantis incendium, docuit flammas calorem amittere, & aliud oculis comminari, aliud præbere tactui: Sic & in animo virginali, rore cœleſti, & ieiuniorum frigore color puellaris extinguitur; & in humano corpore, angelorum impetratur conuerſatio. Quam ob rem, & vas electionis de virginibus dicit ſe non habere præceptum: Quia contra, imò vltra naturam eſt non exercere ad quod nata ſis; interficere in te radicem tuam, & ſola virginitatis poma decerpere; neſcire thorum, omnem virorum horrere contactum, & in corpore viuere ſine corpore.

*Arma ieiuniorum.* *Pſal. 34.* *Pſal. 101.* *Geneſ. 3.* *3 Reg. 19.* *Exod. 24.* *Deut. 8.* *Matth. 4.* *Rom. 16.* *Ieiunio vincitur diabolus.* *Iacob. 3.* *Oſee. 7.* *Daniel 10.* *Ieiunio extinguitur carnis tentatio.*

NEQVE vero immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abſtinentiam, quibus ſtatim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam ſanctæ conuerſationis iacere fundamenta. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & reſpirare vix poſsis, & comitum tuarum, vel porteris, vel traharis manibus, ſed vt, fracto coporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigilijs ſolito quid minus facias.

*Moderatio ieiuniorum.*

IEIVNIVM non perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio, atque pudicitia: ſine qua nemo videbit DEVM, gradus præbet ad ſumma ſcandentibus; nec tamen, ſi ſola fuerit, poterit virginem coronare. Legamus Euangelium ſtultarum & ſapientium virginum: quarum aliæ cubiculum ſponſi ingrediuntur; aliæ bonorum operum oleum non habentes, extinctis lampadibus excluduntur. *Tomo primo, Epiſtola 8. ad Demetriadem, cap. 6.*

*Ieiunium virtutum fundamentum.*

ARDENTES diaboli ſagittæ, ieiuniorum & vigiliarum rigore reſtinguendæ ſunt. Quid neceſſe eſt nos iactare pudicitiam quæ ſine comitibus & appendicijs ſuis, continentia & parcitate fidem ſui facere non poteſt? Apoſtolus macerat corpus ſuum, & animæ ſubijcit imperio; ne, quod alijs præcipit, ipſe non ſeruet: & adoleſcentula, feruente cibis corpore, de caſtitate ſecura eſt? Neque vero hæc dicens condemno cibos, quos DEVS creauit ad vtendum cum gratiarum actione; ſed iuuenibus & puellis incentiua aufero voluptatum. Non Aetnei ignes, non Vulcania tellus, non Veſeuus, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.

*Caſtitas ſine ieiunio non eſt tuta.* *Præoccupatio.*

GRANDIS virtutis eſt, & ſolicitæ diligentiæ, ſuperare quod nata ſis, in carne non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem Argi, vt fabulæ ferunt, centum oculis obſeruare. Hoc eſt, quod Apoſtolus alijs verbis loquebatur: Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Aiunt medici, & qui humanorum corporum ſcripſere naturas, præcipueque Galenus, in libris quorum, titulus περὶ ὑγειῶν, puerorum & iuuenum, ac perfectæ ætatis virorum, mulierumque corpore calore inſito feruere & noxios illis eſſe cibos ætatibus, qui calorem augeant; ſanitatique conducere, frigida quæque in eſu & potu ſumere: ſicut è contrariò ſenibus, qui pituita laborant, & frigor calidos cibos, & vetera vina prodeſſe, vnde & Saluator. Attendite, inquit, vobis, ne fortè grauentur corda veſtra, in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ. Et Apoſtolus: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Nec mirum hoc figulum ſenſiſſe de vaſculo, quod ipſe fabricatus eſt; cum etiam comicus, cuius finis eſt humanos mores noſſe, atque deſcribere, dixerit: Sine Cerere & Libero, friget Venus. *Tomo primo, Epiſtola decima ad Furiam, cap. 3. vide plura cap. 4. & ſequentib. in eadem Epiſtola.*

*Cæteratum ſit donum caſtitas.* *Qui cibi ſenibus qui iuuenibus conueniant ex Medicorum doctrina.*

O QVOTIES ego in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum monachis præſtantem habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs, ſedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram; horrebant ſacco membra deformia; & ſqualida cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ: quotidie gemitus; & ſi, quando repugnantem ſomnus imminens oppreſsiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam, de cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, &, coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum, pallebant ora ieiunijs; & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſua iam carne præmortuũ ſola libidinum incendia bulliebant, itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnan-

*Hieronymus quomodo vicerit tentationes.*

tem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non erubeſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam: quin potius plango me non eſſe, quod fuerim. Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas, ipſam quoq; cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam, pertimeſcebam: & mihimet iratus, & rigidus, ſolus deſerta penetrabam, ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum; & vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lachrymas, poſt cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus angelorum; & lætus gaudenſque cantabam: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Si *Cant. 1.* autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore, ſolis cogitationibus oppugnantur: quid patitur puella, quæ delicijs fruitur? nempe illud Apoſtoli: *1. Tim 5.* Viuens, mortua eſt. *Tom. 1. Epiſtol. 22. ad Euſtochium, cap. 3.*

SI quid in me poteſt eſſe conſilij; experto creditur: hoc primum moneo, hoc obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno, hæc aduerſus adoleſcentiam prima ſunt arma dæmonum. Non ſic auaritia quatit, inflat ſuperbia delectat ambitio, facilè alijs caremus vitijs: hic hoſtis nobis incluſus eſt. *Sponſæ Chriſti vina fugienda.* Quocunque pergimus, nobiſcum portamus inimicum. Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis, quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo, fomenta ignium miniſtramus? Paulus ad Timotheum, *1. Tim 5.* Iam noli, inquit, aquam bibere, ſed vino modico vtere, propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.

VIDE, quibus cauſis vini potio concedatur; vt ex hoc ſtomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas. Et ne nobis forſitan de ægrotationibus blandiremur; modicum præcepit eſſe ſumendum, *Epheſ 5.* medici potius conſilio, quam Apoſtoli: licet & Apoſtolus ſit medicus ſpiritualis: ne Timotheus imbecillitate ſuperatus, Euangelij prædicandi non poſsit implere diſcurſus, alioquin ſe *Rom. 14.* dixiſſe meminerat: Vinum, in quo eſt luxuria. Et bonum eſt homini vinum non bibere, & carnem non manducare. *Geneſ. 9.* *Pericula vini.* Nohe vinum bibit, & inebriatus eſt. Poſt diluuium, rudi adhuc ſæculo, & tunc primum plantata vinea, inebriare vinum forſan neſciebat. Et vt intelligas ſcripturæ in omnibus ſacramentum, (Margaritum quippe eſt ſermo Dei, & ex omni parte forari poteſt) poſt ebrietatem nudatio femorum ſubſequuta eſt, libido iuncta luxuriæ, prius enim venter extenditur, & ſic cætera membra concitantur. Manducauit enim populus & bibit, & ſurrexerunt ludere. *Geneſ. 19.* Lot amicus Dei, in monte ſaluatus; & de tot millibus populi ſolus iuſtus inuentus, inebriatur à filiabus ſuis: vt licet illæ putarent genus hominum defeciſſe, & hoc facerent liberorum magis deſiderio, quam libidinis; tamen ſciebant, virum iuſtum, hoc niſi ebrium, non eſſe facturum. Denique quid fecerit, ignorauit: & quamquam voluntas non ſit in crimine, error in culpa eſt. *Deut 23.* *Prophetarū abſtinentia.* Inde naſcuntur Moabitæ & Ammonitæ; inimici Iſrahel: qui vſque ad quartam & decimam progeniem, & vſque in æternum, non ingrediuntur in Eccleſiam Dei. Helias cum Iezabel fugeret, & ſub quercu iaceret laſſus; veniente ad ſe angelo ſuſcitatur, & dicitur ei: *3. Reg. 19.* Surge & manduca. Reſpexit, & ecce ad caput eius paniscollyra, & vas aquæ. Reuera non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, carnes contuſione mutatas. Heliſæus filios prophetarum inuitat ad prandium, & herbis agreſtibus eos alens conſonum prandentium audit clamorem: Mors in olla, homo Dei: non iratus eſt cocis: *4. Reg. 4.* lautioris enim menſæ conſuetudinem non habebat, ſed farina deſuper iacta, amaritudinem dulcorauit, *Exod. 15.* eadem Spiritus virtute, qua Moyſes mutauerat maram in dulcedinem. Nec non & illos, qui ad comprehendendum venerant, oculis pariter & mente cœcatos, cum in Samariam neſcios induxiſſet, qualibus eos epulis refici imperauerit, auſculta. *4. Reg. 6.* *Danielis ieiunium.* Pone eis, inquit, panem & aquam: manducent & bibant, & remittantur ad Dominum ſuum. *Daniel. 14.* Potuit & Danieli de regijs ferculis opulentior menſa transferri: ſed Habacuc ei meſſorum prandium portat, *Daniel. 9.* arbitror ruſticanum, ideoque & deſideriorum vir eſt appellatus, quia panem deſiderij non manducauit, & vinum concupiſcentiæ non bibit. Innumerabilia ſunt de ſacris Scripturis reſponſa, quæ gulam damnent, & ſimplices cibos probent, verum, quia nunc non eſt propoſitum de ieiunijs diſputare; & vniuerſa exequi ſui eſt tituli, & voluminis, hæc ſufficiant pauca de plurimis, alioqui ad exemplum horum poteris tibi ipſa colligere, quomodo primus de paradyſo homo, ventri magis obediens, quam Deo, in hanc lachrymarum deiectus eſt vallem: *Geneſ. 2.* *Matth. 4.* & ipſum Dominum ſathanas fame tentauerit in deſerto: & Apoſtolus clamitet: Eſcæ ventri, & venter eſcis: DEVS autem hunc & illas abolebit, & de luxurioſis, quorum DEVS venter eſt: id enim colit vnuſquiſque, quod diligit. Ex quo ſollicite prouidendum eſt, vt quos ſaturitas de paradyſo expulit, reducat eſuries. *Tomo primo, Epiſtola vigeſimaſecunda, cap. 4.*

QVOD volueris reſpondere, te nobili ſtirpe generatam, ſemper in delicijs, ſemper in plumis, non poſſe à vino, & eſculentioribus cibis abſtinere, nec his legibus viuere: diſtrictius reſpondebo: *Pudicitia non tuta ſine ieiunio.* Viue ergo lege tua, quæ Dei non potes. Non quod DEVS vniuerſitatis creator & Dominus, inteſtinorum noſtrorum rugitu, & ventris inanitate, pulmoniſque delectetur ardore; ſed quod aliter pudicitia tuta eſſe non poſsit. *Iob. 40.* Iob DEO carus & teſtimonio ipſius immaculatus, & ſimplex, audi, quid de diabolo ſuſpicetur. Virtus eius in lumbis eius, & poteſtas eius in vmbilico. Honeſtè viri mulieriſque gentalia, immutatis ſunt appellata nominibus. *Pſal. 131.* *Actor. 8.* *Geneſ. 46.* Vnde & de lumbis Dauid, ſuper ſedem eius promittitur eſſe ſeſſurus, & ſeptuaginta quinque animæ introierunt in Aegytum, quæ exierunt de fœmore Iacob. At, poſtquam colluctante Domino, latitudo fœmoris eius emarcuit; *Exod. 12.* à liberorum opere ceſſauit. Et qui paſcha facturus eſt, accinctis mortificatiſque lumbis, facere præcipitur. *Iob. 40.* Et ad Iob dicit DEVS. Accinge ſicut vir lumbos tuos. Et Iohannes zona pellicea cingitur circa lumbos ſuos. *Marc. 1.* *Luc. 12.* Et Apoſtoli iubentur accinctis lumbis tenere lucernas. Ad Hieruſalem vero, quæ ſanguine reſperſa,



ſperſa, in campo inuenitur erroris, in Ezechiele dicitur: Non eſt præciſus vmbilicus tuus. Omnis igitur aduerſus viros diaboli virtus, in lumbis eius: omnis in vmbilico contra fœminas fortitudo. Vis ſcire ita eſſe, vt dicimus? accipe exempla. *Iudic. 16.* *Pericula pudicitiæ.* Samſon leone fortior, & ſaxo durior, qui & vnus & nudus mille perſequutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. Dauid, ſecundum cor Domini electus, & qui venturum Chriſtum, ſancto ſæpè ore cantauerat; poſtquam deambulans ſuper tectum domus ſuæ: Bethſabeæ captus eſt nuditate, adulterio iunxit homicidiū. *2. Reg 1.* Vbi & illud breuiter attende, quod nullus ſit etiam in domo, tutus aſpectus. Quapropter ad Dominum pœnitens loquitur. *Pſal. 50.* Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Rex enim erat, alium non timebat. *3. Reg. 4.* Salomon per quem cecinit ipſa ſapientia, qui diſputauit à cedro Libani vſque ad hiſopum, quæ exijt per parietem, receſsit à Domino, quia amator mulierum fuit. Et ne quis ſibi de ſanguinis propinquitate conſideret, in illicitum Thamar ſororis Ammon frater exarſit incendium. Piget dicere, quot quotidie virgines ruant; quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia; ſuper quæ ſidera inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum, quot petras excauet, & habitet coluber in foraminibus earum. *Vide plura Tom. 1. Epiſt. 22. cap. 5.*

CARNIS amor ſpiritus amore ſuperatur. *Quomodo carnis vitia domentur.* Deſiderium deſiderio reſtinguitur, quicquid inde minuitur, hinc creſcit. Quin potius ſemper ingemina, & dicito ſuper lectum tuum: *Cant. 5.* In noctibus quæſiui, quem dilexit anima mea. *Coloſſ. 3.* Mortificate, ergo, inquit Apoſtolus, membra veſtra, quæ ſunt ſuper terra. Vnde & ipſe poſtea confidenter aiebat: Viuo autem iam non ego, ſed viuit *Galat 2.* in me Chriſtus. Qui mortificat membra ſua, & in imagine perambulat, non timet dicere: *Pſal. 118.* Factus ſum, ſicut vter in pruina. Quicquid enim in me fuit humoris libidinis, excoctum eſt, *Pſal. 101.* & infirmata ſunt in ieiunio genua mea, & oblitus ſum manducare panem meum. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Eſto cicada noctium. *Pſal. 6.* Laua per ſingulas noctes lectum tuum, lachrymis tuis ſtratum tuū riga. *Pſal. 101.* Vigila & fies ſicut paſſer in ſolitudine. Pſalle ſpiritu, pſalle & ſenſu: Benedic anima mea Dominum, *Pſal. 101.* & ne obliuiſcaris omnes retributiones eius, qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis: Qui ſanat omnes infirmitates tuas, & redimit ex corruptione vitam tuam. Et quis noſtrum ex corde dicere poteſt: Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potionem meam cum fletu miſcebam? An non flendum eſt, non gemendum, cum me rurſus ſerpens inuitat ad illicitos cibos? Cum de paradyſo virginitatis eiectum tunicis vult veſtire pelliceis, quas Helias, ad paradyſum rediens, proiecit in terram? *4. Reg. 2.* Quid mihi & voluptati, quæ breui perit? Quid cum hoc dulci & mortifero carmine Sirenarum? Nolo te illi ſubiacere ſententiæ, qua in hominem *Geneſ. 3.* eſt illata damnatio: In doloribus, & anxietatibus paries. Mulieris lex iſta eſt, non mea. Et ad virum conuerſio tua. Sit conuerſio illius ad maritum, quæ virum non habet Chriſtum: & ad *Virginitas in Chriſto & Eccleſia dedicata.* extremum, Morte morieris. Finis iſte coniugij, meum propoſitum ſine ſexu eſt. Habeant nuptiæ ſuum tempus, & titulum. Mihi virginitas in Chriſto dedicatur & Eccleſia. *Tom. 1. Epiſtola 22. cap. 7.*

IN conuiuio vt veſcaris carnibus quaſi inuita cogeris. Vt vinum bibas, Dei laudabitur creatura. Vt balneis laues, ſordibus detrahetur. Perſonabit aliquis cantor ad menſam, & inter Pſalmos dulci modulatione currentes, *Ratio cur ſuſpectum contubernium vitandum.* quoniam alienas non audebit vxores, te, quæ cuſtodem non habes, ſæpius reſpectabit, loquetur nutibus; & quidquid metuit dicere, ſignificabit affectibus. Inter has tantas illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat; quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat, omne quod neſcit. Narrant gentilium fabulæ, cantibus Syrenarum nautas iiſſe in ſaxa præcipites, & ad Orphei citharam arbores beſtiaſque & ſilicum dura mollita. *In voluptatibus periclitatur caſtitas.* Difficilè inter epulas ſeruatur pudicitia. Nitens cutis, ſordidum oſtendit animum. Legimus in ſcholis pueri, & ſpirantia in plateis æra perſpeximus; aliquem oſsibus vix hærentem, illicitis arſiſſe amoribus, & ante vita caruiſſe, quam peſte. Quid tu facies puella, ſani corporis, delicata, pinguis, rubens, æſtuans inter carnes, inter vina & balneas, iuxta maritos, iuxta adoleſcentulos? Quæ etſi rogata non feceris, tamen formæ putes teſtimonium, ſi rogeris. Libidinoſa mens ardentiùs honeſta perſequitur, & quod non licet dulcius ſuſpicatur. *Tom. 1. Epiſt. 47. de vitando ſuſpecto contubernio, cap. 3.*

PHARISAEIS calumniatoribus nec Iohannis eremus ac ieiunium, nec Domini Saluatoris turbæ cibique placuere. *Tom 1. in vita Hilarionis.*

HILARION ſacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens expendyten, ſagumque ruſticum inter mare & paludem, vaſta terribili *Cibus Hilarionis.* ſolitudine fruebatur, quindecim tantum caryeas poſt ſolis occaſum comedens; Quid faceret diabolus? quo ſe verteret? Qui gloriabatur, ante dicens: In cœlum aſcendam: ſuper ſydera cœli ponam thronum meum, & ero ſimilis altiſsimo: cernebat ſe vinci à puero, & prius ab eo calcatum fuiſſe, quam per ætatem calcare potuiſſet. Titillabat itaque ſenſus eius, & pubeſcenti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare, quod neſciebat: & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans, quaſi cogitationes cæde manus *Modus domandæ carnis.* poſſet excludere. Ego, inquit, aſelle, faciā, vt non calcitres; nec te hordeo alam, ſed paleis: fame te conficiam & ſiti: graui onerabo pondere: per æſtus indurabo & frigora, vt cibum potius, quam laſciuiam cogites. Herbarum ergo ſucco, & paucis caryeis, poſt triduum vel quatriduum deficientem animam ſuſtentabat, orans frequenter, & pſallens & raſtro humum fodiens; vt ieiuniorum laborem, labor operis duplicaret. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

DVCES populi mei proijcientur de domibus deliciarum ſuarū. ] Eccleſię principes qui delicijs affluunt, & inter epulas atq; laſciuias pudicitiam *Inuectiua in malos Eccleſiaſticos.* *Matth. 22.* ſeruare ſe credunt, Propheticus ſermo deſcribit: quod eijciendi ſint de ſpacioſis domibus, lautiſq; conuiuijs & multo labore epulis conquiſitis: eijciendi propter malas cogitationes, & opera ſua. Et ſi vis ſcire quò eijciendi ſint Euangelium lege: In tenebras ſcilicet exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. An non confuſio & ignominia eſt, Ieſum crufixum magiſtrum, pauperem atque eſurientem fartis prædicare corpo-

ribus: Ieiuniorumque doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque & abſtinentiam amplectamur. *Tom.5.lib.1.Com.in cap.2 Micheæ.vide paulo plura de luxu Epiſcoporũ reprehenſo.*

*Anus prohibendæ à nimio potu vini.*

SOLENT hæ ætates, quia corporis frixere luxuriam (licet ſint plurimæ, quæ nec canos ſuos erubeſcant, & ante gregem nepotum, trementes virguncula componantur) vino ſe dedere pro libidine, & cum inter pocula prudentes ſibi viſæ fuerint, & facundæ: morum quaſi auſteritatem aſſumere: loquentes hoc, quod ſibi videntur eſſe, & non recordantes illud quod fuerunt. A vini ergo nimio potu anus prohibeantur: quoniam quod in adoleſcentibus libido, hoc in ſenibus ebrietas eſt. Aut quomodo poteſt docere anus adoleſcentulas caſtitatem: cum ſi ebrietatem vetulæ mulieris adoleſcentula fuerit imitata, pudica eſſe non poſſit. Signanter autem expreſſit, non vino multo ſeruientes. Seruitus enim quædam eſt, & extrema conditio, vino ſenſus hominis occupari, & non ſuum eſſe, ſed vini. *Tomo ſexto, libr.1.Commentariorum, in cap. 2. Epiſtolæ ad Titum.*

### *Articulus IV. Ieiunantem de ſe pœnas ſumere, & Deum placare.*

*Iohel.1.*

*Vulnera delinquentis curat abſtinentia.*

CONSIDERANDVM, quod fletus atque ieiunium, ſanctificatio, dicitur. Vnde & in Iohel præceptum eſt ſacerdotibus, vt ſanctificent ieiunium, & prædicent curationem. Curat enim vulnera delinquentis abſtinentia, & ieiunium, curatos quoſque ſanctificat. *Tom.5.libr.2. Com.in cap.7. Zachariæ.*

QVISQVIS macerat corpus ſuum, & ſubijcit ſeruituti, ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniatur, portat ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo. *Tom.6.libr.3. Commentariorum, in cap. 6. ad Galatas.*

*Pſal.15.*

*Ieiunium ſalutaris medicina ſaluat animas noſtras.*

HOC Domine quod tibi pſallo: quod tibi canto: non tibi gratiam facio, ſed mihi. In alio enim Pſalmo dicit: Quoniam bonorum meorum non eges. Quod ergo facio, pro me facio. Quod ergo ſeruio tibi, gloria mea eſt. Ieiunamus: Nunquid aliquid Deo donamus? Pro peccatis noſtris hoc facimus. Iacemus in ſacco. Quid ex hoc præſtamus Domino? Hoc tantum illi præſtamus, vt ſaluemus animas noſtras: Ipſe enim hoc deſiderat. Sicut bonus & miſericors medicus: ſi aliquẽ ſanauerit, & gaudet quidem & ipſe, & ille qui ſanatus eſt: ita & Dominus noſter. *Tom.7.Comment. in Pſal.107.*

CELLARIA eorum plena eructantia ex hoc in illud. Pulchrè dixit eructantia: de ſaturitate nimia. Illi eructant de ſaturitate & pereunt: nos de ieiunio, vt ſaluemur. *Tom.7.Commentariorum, in Pſalmum 143.*

### *Articulus V. Hæreticos eſſe, qui negant ſtatam ieiuniorum obſeruationem.*

*Vigilantius contra ſanctorum ieiunia proclamat.*

VIGILANTIVS Romanæ Eccleſiæ authoritate damnatus, inter phaſides aues, & carnes ſuillas non tam emiſit ſpiritum, quam eructauit: iſte caupo Calagurritanus, & in perverſum propter nomen viculi mutus Quintilianus miſcet aquam vino; & de artificio priſtino, ſuæ venena perfidiæ, Catholicæ fidei ſociare conatur, impugnare virginitatem, odiſſe pudicitiam, in conuiuio ſæcularium contra ſanctorum ieiunia proclamare; dum inter phialas philoſophatur, & ad placentas liguriens, Pſalmorum modulatione mulcetur. *Tomo. 2. aduerſus Vigilantium, cap.1.*

*Daniel.9. Ionæ 3. 3. Reg.19. Exod.34. Chriſtus ſuo exemplo nobis 40. dierũ ſolenne ieiunium reliquit.*

CVM dicimus vt à vitijs ieiunemus, non eò dicimus, quo ieiunia reprobemus, per quæ & Daniel vir deſideriorum futura cognouit: & Niniuitæ iram placauerunt Dei: & Helias ac Moyſes quadraginta dierum eſurie, Dei familiaritate ſaturati ſunt: & ipſe Dominus totidem diebus in ſolitudine ieiunauit, vt nobis ſolemnes ieiuniorum dies relinqueret: ſed quo non proſit vacuum portare ventrem, & alia facere quæ Deo diſplicent, atque vt cætera prætermittam exterminare facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunare, qui in præſenti, gloriam conſequentes, excludentur à regno Dei, quia receperunt mercedem ſuam. Vnde & Apoſtolus, ſi etiam corpus ſuum tradat martyrio, vt ardeat, ſeu glorietur (vtrumque enim fertur in exemplaribus) abſque Dei charitate, quæ eſt in cordis conſcientia, fruſtra ſe dicit ſanguinem fundere. *Tom. 4. lib.16.Com. in cap.58. Eſaiæ. Vide hanc fuiſſe etiam hæreſin Iouiniani, Tom.2. lib.1. contra Iouinianum, cap.2. & lib. 2. contra Iouinianum per 8. capita à 4. ad 11.*

*Matth.6. 1.Cor.13.*

### *Articulus VI. Ieiunij commendatio ſiue Encomium. Vel de effectibus ieiunij & qualitatibus.*

CAVE ne ſi ieiunare aut abſtinere cœperis, te putes eſſe iam ſanctam. Hæc enim virtus adiumentum eſt, non perfectio ſanctitatis, magiſque id prouidendum eſt, ne tibi hoc, quod licita cõtemnas, ſecuritatem quandam illicitorum faciat. Quidquid ſupra iuſtitiam, offertur Deo, non debet impedire iuſtitiam, ſed adiuuare, quid autem prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudem merebimur, de laude ieiunij, ſi inuidia liuidi ſumus? quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Tunc, inquam, præclara eſt abſtinentia, tunc pulchra atque magnifica caſtigatio corporis, cum eſt animus ieiunus à vitijs. Imò qui probabiliter ac ſcienter abſtinentiæ virtutem tenent, non affligunt carnem ſuam, quo animæ frangant ſuperbiam: vt quaſi de quodam faſtigio contemptus ſui atque arrogantiæ deſcendant ad implendam Domini voluntatem, quæ maximè in humilitate perficitur. Idcircò à varijs ciborum deſiderijs mentem retrahunt, vt totam eius vim occupent in cupiditate virtutum. Iamque minus ieiuniorum & abſtinentiæ laborem caro ſentit, anima eſuriente iuſtitiam. Nam & vas electionis Paulus, dum caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit, ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniatur, non ob ſolam, vt quidam imperiti putant, hoc facit caſtitatem: non enim huic tantummodo, ſed omnibus omninò virtutibus abſtinentia opitulatur, neque magna, aut tota Apoſtoli gloria eſt, non fornicari: ſed hoc agit, vt caſtigatione corporis erudiatur animus; & quanto nil ex voluptatibus concupiſcit, tanto magis poſſit de virtutibus cogitare; ne perfectionis magiſter imperfectum aliquid in ſe oſtendat; ne Chriſti imitator extra præceptum aut voluntatẽ Chriſti quicquam faciat; neue minus exemplo, quam verbo doceat; cumq; alijs prædicauerit, ipſe reprobetur; audiatq; cũ phariſæis: Dicũt enim & non faciunt. Apoſtolici vero præcepti eſt & exempli, vt habeamus rationem non conſcientiæ tantum, ſed etiam famę. *Tom.1. Epiſtola 41. ad Celantiam cap.6.*

*Quale ieiunium Deo placeat.*

*1. Cor.9.*

*Abſtinentia omnibus virtutibus opitulatur.*

*Matth.23. Rom.12.*



VIDE prolixiſſimè de Encomio Ieiunij & vituperatione gaſtrimargiæ vitij contrarij. *Tom.2.li. 2. contra Iouinianum cap.4.5.6.7.8.9.10.11. ex toto veteri & nouo teſtamento.*

*Animæ attenuatæ ieiunio deo vicinæ.*

AIVNT quidam & animas corporibus liberas ſi attenuatæ fuerint in præſenti vita, & lima, vt ita dicam, ἀσκήσεως atque virtutum, in ſubtile corpus attritæ, non habitaturas in pinguioribus locis, ſed deo, qui incorporius eſt, vicinas fore; Si verò tales fuerint, de quibus dici poſſit: filij hominum vſque quo graui corde ſiue pingui: ſecundũ craſſitudinis ſuę pondus ad infima detrahi, & pinguedine prægrauari. *Tomo 6.lib.3. Com.in cap.6.ad Epheſios.*

*Galat.5.*

*Pſal.62.*

*Abſtinentiæ commoda.*

*1.Cor.5.*

*2.Cor.12.*

COR meum & caro mea exultauerunt in deũ viuum] Difficile eſt vt cor & caro alicuius in commune conſentiant. Si enim ſecundum Apoſtolũ ſpiritus pugnat contra carnem, & caro contra ſpiritum: quomodo hic dicit, cor meum & caro mea exultauit? Hoc non poteſt dicere, niſi ille, qui in amorem Dei tota mente eſt defixus. Dicit idem in alio loco: Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Vide mihi aliquem abſtinentem, qui mortem carnis ſuæ, lucrum putat animę ſuæ. Hæc autem carnis ſunt ieiunia & iniuriæ. Denique & Apoſtolus quid dicit. Quem tradidi ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Niſi caro mortua fuerit ſpiritus viuificari non poteſt. Propterea dicit & Apoſtolus: Quando infirmor, tunc fortior ſum. Cõſideret ſe vnuſquiſque quando ieiunio laſſus eſt, & defectus, quomodo animæ vigeant, quomodo nihil aliud mens, niſi de Deo conſiderat, quomodo ſemper dicat: quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. *To.7. Com.in Pſal.83.*

*Ieiunio monachus roboratur.*

GENVA mea infirmata ſunt à ieiunio] Habeto conſolationem, ô monache, ieiunando: ſiquidem & Dominus benè fecit. Ego dico quod quando ieiunat monachus, fortior fit ieiunio. Et quando infirmantur genua eius ieiunio, tunc maximè roboratur. *Tom.7.Com.in Pſal.108.*

ANIMA confuſa me eiecit de paradiſo, ego per abſtinentiam illam reduco. *Ibid. Tom.7.Commen.in Pſalm.136.*

*Ieiunium fũdamẽtũ aſcẽdentibus ad maiora.*

VVLTIS ſcire quis ſit primus gradus in ſcala Iacob, qua de terris ad cœlum aſcenditur. Ego puto primum inter quindecim gradus eſſe ieiunium Si Apoſtolus Paulus dicit Quando infirmor, tunc fortior ſum: infirmitas corporis, ſanitas animæ eſt. Ieiunia nos nõ ducunt ad regna cœlorum: ſed ſine ieiunijs non conſcendimus ad regna cœlorum. Sola non proſunt, cũ alijs proſunt. Quia quaſi fundamentum eſt aſcendẽtib. ad maiora. *To. 7.Com.in 2. expoſitione Pſal.119.*

### *Articulus VII. Quomodo ieiunium ſit inſtituendum, vt fructuoſius fiat*

*Qualitas ieiunij.*

*Abuſus ieiunij.*

TANTVM tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, caſta, ſimplicia, & non ſuperſtitioſa ieiunia. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam qualitateſque ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarũ fructus, ſimilam, mel, piſtacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quoſdam contra rerum hominumque naturam, aquam nõ bibere, nec veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, baccarumq; ſuccum, nõ calice ſorbere, ſed cõcha. Prô pudor, non erubeſcimus eiuſmodi ineptijs, nec tœdet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famam abſtinentię in delicijs quęrimus. Fortiſſimum ieiunium eſt, aqua & panis: ſed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus; quaſi publicum & commune ieiunium non putatur. *Tomo 1. Epiſtola.2. ad Nepotianum cap.15.*

*Publicũ & commune ieiunium.*

*Moderata ieiunia.*

BALNEARVM fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiuniorum frigore cupit extinguere, quæ & ipſa moderata ſint, ne nimia debilitent ſtomachum; & maiorem refectionem poſcentia, erumpant in cruditatem; quæ parens libidinũ eſt. Modicus & temperatus cibus, carni & animæ vtilis eſt. *Tom.1. Epiſtola.4. ad Ruſticum cap.2.*

*Ieiunia immoderata nõ competunt teneræ ætati.*

CIBVS filiæ ſit oluſculum & ſimila, raroque piſciculi. Et, ne gulæ præcepta longius traham, ſic comedat, vt ſemper eſuriat; vt ſtatim poſt cibum poſſit legere, orare, & pſallere. Diſplicent mihi, in teneris maximè ætatibus, longa & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades, oleum in cibo, ac poma vetantur. Experimento didici, aſellum in via, cum laſſus fuerit, diuerticula quærere. Faciant hoc cultores Iſidis & Cybeles, qui guloſa abſtinentia Phaſides aues, ac fumantes turtures vorãt, ne ſcilicet cerealia dona cõtaminẽt. Hoc in perpetuo ieiunio ſit præceptum, vt longo itineri vires perpetes ſuppetant; ne in prima manſione currentes, in medijs corruamus. *Tom.1. Epiſtola.7. ad Lætam.cap.5.*

*Periculũ & incommodũ ieiunij immoderati.*

NEQVE verò immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abſtinẽtiam, quibus ſtatim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam ſanctæ conuerſationis iacere fundamenta. Philoſophorum quoque ſententia eſt, μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι: quod Latinus ita poteſt ſermo reſonare, moderatas eſſe virtutis; excedentes modum, atque menſuram, inter vitia deputari: Vnde & vnus de ſapientibus, μηδὲν ἄγαν, id eſt, ne quid, ait, nimis. quod tam celebre factum eſt, vt comico ſit quoque verſu expreſſũ. Sic debes ieiunare, vt nõ palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarum, vel traharis vel porteris manibus, ſed vt, fracto corporis appetitu, nec in vigilijs ſolito quid minus facias. *Tom.1. Epiſtola. 8. ad Demetriadem.cap.6.*

*Aquæpotus.*

*1.Tim.5.*

*Rom.14. Eſus olerum laudatus.*

*Daniel.1.*

*Hier.29.*

PRIMVM, ſi tamen ſtomachi firmitas patitur, donec puellares annos tranſeas, aquam in potu ſume, quæ natura frigidiſſima eſt; aut ſi hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo. Vino modico vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates. Deinde in ipſis cibis calida quæque deuita, non ſolum de carnibus loquor ſuper quib. vas electionis profert ſententiam: Bonum eſt non mãducare carnem, & non bibere vinum: ſed etiam in ipſis leguminibus inflantia quæque & grauia declinanda ſunt: Nihilque ita ſcias conducere Chriſtianis adoleſcẽtibus, vt eſũ olerum. Vnde & in alio loco: Qui infirmus eſt; ait, olera manducet, ardorq; corporum frigidioribus epulis temperandus eſt. Si autem tres pueri & Daniel leguminibus veſcebantur, pueri erant, nec dum ad ſartaginem venerãt, in qua rex Babylonius iudices ſenes frixit. nobis nõ corporis cultus, qui in illis, excepto priuilegiõ gratiæ Dei, ex huiuſmodi cibis enituerat, ſed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate ſit

fortior. Inde eſt, quod nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt, dum ſolam abſtinentiam carniũ putant; & leguminibus onerant ſtomachum, quæ moderatè parceq́; ſumpta innoxia ſunt. Et, vt q̀ ſentio, loquar, nihil ſic inflãmat corpora, & titillat mẽbra genitalia, ſicut indigeſtus cibus ructuſq́; conuulſus. Malo apud te, filia, verecundia parumper, quã cauſa periclitari. Quicquid facit ſeminariũ voluptatum, venenum puta. Parcus cibus, & ſemper venter eſuriẽs triduanis ieiunijs præfertur. Et multò meliùs eſt quotidie parũ, quam rarò ſumere. Pluuia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua ſubuertit. Quando comedis, cogita, quod ſtatim tibi orandum illicò & legendum ſit. *Tom. 1. Epiſt. 10. ad Furiã ca. 4.*

*Incommoda cibi indigeſti*

MARCELLAE erant moderata ieiunia, carnium abſtinentia, vini odor magis, quàm guſtus, propter ſtomachum & frequentes infirmitates. *Tom. 1. Epiſt. 16. ad Principiam cap. 2.*

NEC, ſi biduo ieiunaueris, putes te non ieiunantibus eſſe meliorem. Tu ieiunas, & iraſceris; ille comedit, & fronte blanditur. Tu vexationẽ mentis, & ventris eſuriem rixãdo digeris; ille moderatiùs alitur, & Deo gratias agit, vnde quotidie clamat Eſaias: Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: & iterum. In diebus ieiuniorum veſtrorũ inueniuntur voluntates veſtræ, & omnes, qui ſub veſtra poteſtate ſunt, ſtimulatis. In iudicijs & litibus ieiunatis, & percutitis pugnis humilem. Vt quid mihi ieiunatis? Quale illud poteſt eſſe ieiunium, cuius iram non dicam, nox occupat, ſed luna integram derelinquit? *To. 1. Epiſtol. 22. ad Euſtochium cap. 16.*

*Eſaiæ 58.*
*Ieiunia ſunt in pace non odio.*

KALENDAS veſtras & ſolennitates veſtras.] Vt non ſuas appellet feſtiuitates, ſed eorum, qui malè his abutuntur. Quodq́; Lxx. ſunt interpretati; ieiunium & otium: poſſumus dicere, illud ieiunium non recipi à Deo, quod otium bonorum operum non habet. *To. 4. lib. 1. Com. in c. 1. Eſaiæ.*

*Ieiunium habeat coniunctum otiũ bonorũ operũ.*

QVARE ieiunauimus, inquiunt, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? In iuſtè arguunt Dominum, quod bona opera non reſpiciat, ſolamq́; ventris eſuriem, abſq; operum virtute ingerunt Deo: non comedentes eos cibos, quos creauit Deus fidelibus, & his, qui cognoſcũt veritatem, vt ſumat eos, cum gratiarum actione: Sed illos, de quibus ſcriptum eſt in Prouerbijs: Hi enim aluntur cibis impietatis, & vino iniquitatis inebriãtur. Huiuſcemodi epulis ſaturatus Phariſæus, inter cætera verba ſuperbiæ, bis in ſabbatho ſe ieiunare iactabat: qui non biberat vinum de vinea Sorek, ſed de vinea Sodomorum: cuius vinũ furor draconum eſt, & furor aſpidum inſanabilis, & vua eorum, vua fellis: quos Deus arguit per prophetam, dicens: Peccata populi mei comedũt, & rurſum: Quare tacuiſtis impietatem eorum & iniquitates vindemiaſtis, & comediſtis fructum mendacij? Quia igitur propoſuerant quæſtionem Deo, ſcire cupientes, cur ieiunauerint, & humiliauerint animas ſuas, & Deus non reſpexerit: obliti veteris hiſtoriæ, cur non reſpexerit ad munera Cain, qui rectè quidem offerebat, ſed non rectè diuidebat cum fratre: Dei non videns charitatem, dicente ſcriptura: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, ſicut teipſum: propterea reſpondit Deus, quod non ieiunia reprobet; ſed opera, quæ in ieiunijs fiunt, dicens: In diebus ieiuniorum veſtrorum inueniũtur voluntates veſtræ: vt non Dei, ſed veſtras faciatis voluntates, quas Paulus ſcribens Epheſijs reprobat: Iuxta principem poteſtatis aeris, ſpiritus, qui nunc operatur in filijs incredulitatis, in quibus & nos omnes conuerſati ſumus aliquando, in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatẽ carnis & cogitationum. Quid prodeſt ieiunijs ora pallere, & ad lites, & ad iurgia ieiunare, dicente ſcriptura: Qui amat peccata, gaudet iurgijs. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed eſſe manſuetum, & imitari eum, qui dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: vt humilitas non ſit affectata, ſed cordis, nec gloriam quærens hominum, ſed animæ conſcientiam. Ieiunatis, inquit, & percutitis pugnis humilem, & alapis verberatis. Vnde Epiſcopus non debet eſſe percuſſor. Quomodo enim poteſt libidinem refrenare, qui nec manum valet cohibere, nec linguã? Huiuſcemodi ieiunia, & in exordio prophetæ huius redarguit Dominus, dicens: Ieiunium & otium, neomenias, & ſabbatha, & alias ſolennitates veſtras odit anima mea. Vnde præcipitur per Ioelem: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem: vt à vitijs ieiunemus, & bonis operibus, curatiſq́; peccatis, fiant ſancta ieiunia. Deniq; ſequitur. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo: vt tempore ieiunij vacemus orationi: ne interior homo noſter, draconis veſcatur carnibus, qui datus eſt in eſcã populis Aethiopũ. *Tom. 4. lib. 16. Com. in cap. 58. Eſaiæ.*

*Prou. 23.*
*Luc. 18.*
*Hier. 2.*
*Oſee. 4.*
*Oſee. 10.*
*Geneſ. 4.*
*Matt. 22.*
*Epheſ. 2.*
*Prou. 17.*
*2. Tim. 2.*
*Matt. 11.*
*Oratio et bona opera iungenda ieiunio.*
*1. Tim. 3.*
*Eſaiæ 1.*
*Ioelis. 2.*

NOLITE ieiunare, ſicut vſq; ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter.] Ne videatur reprobare ieiunium, quod ipſe præceperat, docet quomodo ſit ieiunãdum, & inſtituit prius, quid debeant declinare. Ne ad orationem deferatis clamorem, orantes in ſynagogis & angulis platearũ, vt ab hominibus videamini, & eleuetis vocem in excelſum, & cum Phariſæo, qui Domini iudicio condemnatur, veſtra ieiunia, & opera prædicetis. Propter quæ Dominus Phariſæorum reprobans orationem, docet diſcipulos, quomodo orare debeant, clauſo ſcilicet pectoris ſui cubiculo, vt ſoli loquantur Deo, qui poteſt ſilentium cordis audire: vt clament in cordibus ſuis: Abba pater: & nõ exterminent facies ſuas ſed lauent aqua, & caput vngant oleo. De quo & Ioannes Euangeliſta ſcribit: Et vos vnguentũ habetis à ſancto: quo cũ vncti fuerint, etiã ipſi ſancti fiant. Nõ enim quærit Deus afflictionem ſolam, & humiliationem animæ per iniuriam corporis: vt inſtar circuli torqueat corpus, & colla ſubmittat, ac triſtis incedat. Iuxta illud, quod in Pſalmis dicitur: Afflict' ſum & incuruatus vſq; ad finem, tota die contriſtatus incedebam. Nec vt ſacco quis veſtiatur, & in cinere dormiat: quod de Dauid & Achab legimus: ſed vt cũ iſtis hæc faciat, quæ ſequuntur: alioquin & Apoſtolus frequenter ieiunare ſe dicit, & Dominus, cùm ſponſus à diſcipulis fuerit ablatus, docet eos, ieiunaturos: & in Pſalmis, pœnitens loquitur: Manducaui ſicut cinerem, panem meum, & potũ meum cum fletu miſcebam. Et cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Ex quo diſcimus hæc facienda primum eſſe, quæ vult Dominus, & non alia prætereunda.

*Modus veri ieiunij.*
*Rom. 8.*
*1. Ioan. 2.*
*Quale ieiunium deo diſpliceat.*
*Pſal. 37.*
*2. Reg. 3.*
*3. Reg. 12.*
*2. Cor. 6. 11.*
*Matth. 6.*
*Pſal. 101.*
*Pſal 34.*

NONNE hoc eſt magis ieiunium.] Poſtquam docuit, quale ieiunium reprobet: oſtendit, quale libenter accipiat. Diſſolue, inquit, colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Siue, vt Lxx. manifeſtiùs tranſtulerunt, obligationes violentarum

*Quale ieiunium Deo diſpliceat.*



lentarum cautionum, quas noſtri verbi, ambiguitate decepti, id eſt, συναλλαγμάτων commutationes pro chirographis interpretati ſunt. Significat autem chartarum faſciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimũtur pauperes ære alieno: quæ in cunctis vrbibus, ſeditionis eſt cauſa vel maxima. Vnde & Romanus populus vicinos occupat montes: & tabulæ nouæ, quas Græci appellant χρέων ἀποκοπάς. Non ergo præcipit propheta, ne exigat vnuſquiſq;, quod iuſtè dedit, & iuſtè repetit: alioquin Tribunitiæ eſſet ſeditionis aſſertor. Sed vbi iniqua eſt cautio, vbi opprimuntur pauperes calumnia: ibi faſciculi cautionum, & omnia iniquitatis vincula rumpenda ſunt. Vel certè hoc dicendum, quia de ieiunijs ſermo eſt, & ieiunium afflictionem & humiliationem habet animæ: afflictio autem corporis, peccatorum indulgentiam deprecatur: Docet ſcriptura diuina: vt dimittamus debitoribus noſtris, vt & pater cæleſtis dimittat nobis debita noſtra. Sequitur, vt opera miſericordiæ corporalia egenis proximis exhibeamus, & ea cum ieiunio coniungamus: atq; ita Deo, noſtra ieiunia grata erunt: *Vide ſuſius lib. 16. Com. in cap. 58. Eſaiæ, fol. 191.*

*Opera miſericordiæ ieiunio coniungenda.*

NON ſufficit flere vel plangere, & habitum lugentis aſſumere, niſi ſanctificent ieiunium, & vocent cœtum. Si omne ieiunium placeret Deo, nunquam diceret ſanctificate ieiunium, & non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. Et in Euangelio condemnatur, qui exterminant facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunare: & in diebus, inquit, ieiuniorum veſtrorum percutitis pugnis, & opprimitis pauperem. Idcircò nunc dicit ſanctificate ieiunium. Ieiunat Manichæus,] & multi hæretici; maximeq́; Eucratitæ, quorum princeps Tatianus eſt: ſed hoc ieiunium ſaturitate & ebrietate deterius eſt. Et vocate cœtum, ſiue curationem: vt per pœnitentiam noſtra peccata curemus. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Ioelis.*

*Eſaiæ 58.*
*Matth. 6.*
*Ieiunia hæreticorum deo ingrata.*

EGREDIATVR ſponſus de cubili ſuo, & ſpõſa de thalamo ſuo: vt in tempore ieiunij & vocationis, & cœtus, & ſanctificationis Eccleſiæ, electionis ſenum, congregationis paruulorum, & ſugẽtium vbera, non ſeruiat ſponſus, & ſponſa operi nuptiali: quibus & lege permiſſum eſt; vt ad bella non procedant. Vnde & Apoſtolus recedendũ parumper à coitu præcipit, vt vacare poſsimus orationi, Ergo qui in caſtigatione victus, & ieiunio atq; eleemoſynis dicit ſe agere pœnitentiam, fruſtra hoc ſermone promittit, niſi egrediatur de cubili ſuo, & ſanctum purumq́; ieiunium, pudica expleat pœnitentia. *Tomo. 5. Com. in c. 2. Ioelis.*

*Pœnitentia & caſtitas ieiunio coniungenda.*
*Deut. 20.*
*1. Cor. 7.*

FIT ſermo Domini ad prophetam, imperans vt loquitur ad vulgum, & ad ſacerdotes, quid legatis Perſarum debeant reſpondere. Quando ieiunabitis & plangebitis in quinto menſe captiuitatis Hieruſalem, & in ſeptimo menſe, quando Godolias interfectus eſt ab Iſmael, per ſeptuaginta deſolationis templi, & ſubuerſionis Hieruſalẽ: nunquid mihi proderat, quod ieiunabatis? & è contrario. Si quando manducatis & bibitis, nunquid non vobis comedetis & potatis? Neq; enim his rebus placatur Deus, ſed bonis operibus, & ſi illius præcepta faciamus: Quia eſca nos Deo non commendat. Neque ſi non manducauerimus, deficiemus: neque ſi manducauerimus, abundabimus. Nunquid non hæc ſunt verba mea, adhuc ſtante Hieruſalem, & vrbibus Iuda, quæ loquebar ad vos, in manibus prophetarum meorum, cùm adhuc ſtaret Hieruſalem, & vrbes Iuda, reb. omnibus abundarent, & tam montana regio, quã campeſtris frugibus redundaret, & fidiſsima pace frueretur? Hæc autem erant verba Domini, quæ ſequens ſcriptura teſtatur, velle ſe verũ iudicium & miſericordiam in proximos, & viduam, pupillum, & aduenam, & pauperem non calumniari; & & malum non cogitare in corde ſuo. Hæc, inquit, noluerunt facere, & ſurdis auribus mea imperia contempſerunt: quam ob rem venit indignatio magna ſuper Hieruſalem. Et quomodo illi me audire noluerunt, ſic & ego non exaudiui eos, & nunc tanta ſcrupuloſitate quærunt, quando debeant ieiunare & plangere, cũ ante dixerim per Eſaiam. Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: neq; vt humiliet homo animã ſuam: ſed ſolue omne vinculum iniquitatis; diſſolue obligationes violentarum cautionum. Eſurienti da panem tuum ex animo. Si videris nudum, operi eum, & pauperem, & abſque tecto, induc in tabernaculũ tuum: Tunc erumpet temporanea lux tua, & ſanitates tuæ citò orientur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 7. Zachariæ.*

*4. Reg. 25.*
*Hierem. 41.*
*1. Cor. 8.*
*Opera miſericordiæ iungenda ieiunio.*
*Donec quis renatus fuerit, & veteri homine depoſito per paſſionẽ meam, nouũ hominem induerit non poteſt ſaniora ieiunij & continentiæ ſuſtinere præcepta: ne per auſteritatem nimiam etiam credulitatem, quã nunc habere videtur, amittat. To. 6. lib. 1. Cõ. in c. 9. Matt.*
*Cano. 14.*
*Eſaiæ 58.*

QVOD autem cum ieiunio opera miſericordiæ ſint coniungenda latiùs infra docetur. *Lib. 2. Co. in ca. 7. Zach. fol. 247. fac. 2.*

### *Articulus VIII. Ieiunandum eſſe ijs diebus, quibus ieiunat, in qua verſamur, vel commoramur Eccleſia.*

DE Sabbatho quod quæris, vtrum ieiunandum ſit; & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur: ſcripſit quidem & Hippolitus, vir diſertiſsimus, & carptim diuerſi ſcriptores, è varijs authoribus edidere: ſed ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt: nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti: atque vtinam omni tempore ieiunare poſsimus; quod in Actibus Apoſtolorum dieb. Pentecoſtes, & die Dominico, Apoſtolum Paulũ & cũ eo credẽtes, feciſſe legimus. Nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cũ carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali. Nec hoc dico, quod Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam: ſed vnaquæque prouincia abundet in ſenſu ſuo, & præcepta maiorũ, leges Apoſtolicas arbitretur. *Tom. 1. Epiſt. 28. ad Lucinium.*

*Actor. 13. 20 27.*
*Dominicis diebus non eſt ieiunandum.*
*Ieiunium quadrageſimæ.*

NOS vnam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſsi ſint ſaluatores. nõ quò, vt per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat: ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate, munus offerre. *Tom. 2. Epiſtola. 54. ad Marcellam contra Montaniſtas.*

*Ieiunia Eccleſiaſtica ſunt neceſſitatis, non liberæ voluntatis.*

IN quarto anno Darij regis, in menſe nono, qui appellatur cisleu, & in quarta menſis eiuſdem die, miſerunt ad domum Dei, id eſt, ad templum quod iam à Zorobabel, & ab Ieſu fuerat inſtauratum: Saraſar & Regem melech, & cæteri, qui cum eis erant, quos Perſas fuiſſe duces regis Darij timẽtes Deum, Hebræi autumant: vt quia iam audierant templum eſſe conſtructũ, quærerent à ſacerdotibus domus Domini, & Prophetis, vtrum ſecundum conſuetudinem priſtinam flere, & ieiunare de-

*Quæſtio de ieiunio.*

nare, deberet vt eſt ſenſus ſciſcitantium. Quinto menſe, q appellatur apud Romanos Iulius, à Nabuchodonoſor ſubuerſa eſt Hieruſalem : quā ob cauſam ob ſolitudinem templi hucuſque ieiunauimus, & planximus, & mœrorem noſtrum, fletu & ieiunijs cōſolati ſumus. Nūc quia dicitur templum eſſe conſtructum, & videmus nequaquam cauſam permanere triſtitiæ, reſpondete quæſumus, vtrū hoc facere debeamus, an mœrorē gaudio commutare. *Tom.5.lib.2.Com.in cap.7.Zachariæ.*

### *Articulus IX. De ieiunio quartæ, & ſextæ feriæ, atq; ſabbathi.*

VIDE articulo 8. proximè præcedenti teſtimonium primum ex *Tom.1.epiſtola 28.ad Lucinium de ieiunio ſabbathi, ex traditione quorundam veterum Eccleſiarum Romanæ & Hiſpaniæ.*

*Actor. 10.*

QVOMODO nuptijs virginitatem, ita ſaturitati & carnibus ieiunia ſpiritumq; præferimus. S. Petrus hora ſexta pranſurus aſcendit in cœnaculum, fortuita eſuries, non facit præiudicium ieiuniorum, hoc enim modo & Dominus, quia ad puteum Samariæ hora ſexta feſſus reſedit, & bibere voluit; omnibus incumbet neceſſitas, velint, nolint, hoc tempore bibendi. Potuit autem fieri, vt vel ſabbathum eſſet, vel dies Dominicus; & poſt bidui, triduiq; ieiunium, hora ſexta eſurierit, nūquam enim crediderim, Apoſtolum, ſi ante vnā diem cœnauerat, epuliſq; diſtentus fuerat, alterius diei eſuriſſe meridie, quod ſi cœnauit pridie, & ſequenti die eſuriuit ante prandium: non exiſtimo, quod vſque ad ſatietatem comederit, qui tam citò potuit eſurire. vide ſequentia, in quibus etiam, quale ieiuniū Deo gratum ſit, deſcribitur. *Tom.2.lib.2.aduerſus Iouinianum cap.11.*

*Bidui, tridui que ieiuniū*

VELLEM me doceret benigna ſinceritas tua, vtrum ſimulatè quiſquam ſanctus orientalis, cū Romam venerit, ieiunet ſabbatho, excepto die illo Paſchalis vigiliæ. Quod ſi malum eſſe diximus, non ſolùm Romanam Eccleſiam, ſed etiā multas ei vicinas, & aliquanto remotiores damnamnabimus, vbi mos idem tenetur, & manet. Si autem non ieiunare ſabbatho, malum putauerimus: tot Eccleſias orientis, & multò maiorē Chriſtiani orbis partē, qua temeritate criminabimur? Placetne tibi, vt medium quiddam eſſe dicamus, quod tamen acceptabile ſit ei, qui hoc non ſimulatè, ſed congruenti ſocietate atque obſeruantia fecerit? & tamen nihil inde legimus in Canonicis libris, præceptum eſſe Chriſtianis. *Tom.3. epiſt. 97. quæ eſt Auguſtini ad Hieronymum.*

*Die paſchalis vigiliæ Romæ ſabbatho ieiunabatur.*

*Multæ traditiones & conſuetudines Eccleſiarum ſeruandæ, quæ non exiant in Canonicis libr.*

NOS quartam ſabbathi, paraſceuen, diem dominicam, ieiunium quadrageſimæ Paſchæ feſtiuitatem, Pentecoſtes lætitiam, & pro varietate regionum, diuerſa in honore martyrum tempora conſtituta obſeruamus. *Tom.6.lib.2. Com.in cap. 4. ad Galatas. vide infra Titulo de Ceremonijs diuerſis Eccleſiæ circa finem, vbi latiùs hic locus eſt deſcriptus de ieiuniorum varietate ratione temporum.*

*Varia tempora ieiuniorū.*

### *Articulus X. Die dominico nō ieiunare, niſi fortè vltra hebdomadam continenter protraheretur Ieiunium.*

PAVLA tantæ continentiæ fuit, vt propè mēſuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret: quæ, exceptis diebus feſtis, vix oleum in cibo caperet: vt ex hoc vno æſtimetur, quid de vino, & liquamine, piſcibus, lacte, & melle, & ouis & reliquis, quæ guſtui ſuauia ſunt, iudicarit. *Tom.primo Epiſtol. 27. cap. 8.*

*Diebus feſtis Paula nō ieiunabat.*

DE Sabbatho, quod quæris, vtinam ieiunandum ſit; optandum, quod omni tempore ieiunare poſſemus. Non tamen, hoc eò dico, quod Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam: ſed vnaquæque prouincia abundet ſenſu ſuo, & præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur. *Tom. 1. Epiſtol. 28. ad Lucinium.*

*Dominicis diebus non eſt ieiunandum.*

## *Caput IIII. De quadrageſimali Ieiunio.*

### *Articulus I. Quadrageſimam à Chriſto conſecratam, & præceptam eſſe.*

IPSE Dominus baptiſma ſuū quadraginta dierum ieiunio dedicauit, & acriora dæmonia docuit, non niſi oratione & ieiunijs poſſe ſuperari. *To.2.li.2.aduerſus Iouinianū c.11. vbi plura vide de laude Ieiunij.*

*Quadraginta dierum ieiunium à Chriſto dedicatum.*

*Exod. 34.*

IPSE Dominus quadraginta diebus Chriſtianorum ieiunium ſanctificauit. *Ibid.*

QVADRAGENARIVS numerus conuenit peccatoribus, & ieiunio, & orationi, & ſacco, & lachrymis, & perſeuerantiæ deprecandi: ob quod & Moyſes quadraginta diebus ieiunauit in monte Syna, & Helias fugiens Iezabel indicta fame, & Dei deſuper ira pendente, quadraginta dies ieiunaſſe deſcribitur. Ipſe quoq; Dominus verus Iona miſſus ad prædicationē mundi, ieiunat quadraginta dies: & hæreditatem nobis ieiunij derelinquēs, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero noſtras animas præparat. *Tom.5.Com.in cap.3.Ionæ.*

*3. Reg. 3.*

ET cùm ieiunaſſet quadraginta diebus.] In iſtò numero quadrageſimę nobis oſtenditur ſacramentum, in quo & Moyſes ieiunauit in monte Syna, & Elias iuxta montem Oreb. *Tom.6.lib.1.Cō. in cap.4.Matth.*

*Exod. 34. 3. Reg. 19.*

### *Articulus II. Quadrageſimam ante Paſcha ſeruandam eſſe.*

HOc in perpetuo ieiunio ſit præceptum, vt longo itineri vires perpetes ſuppetant; ne in prima manſione currentes, in medijs corruamus. Cæterùm in quadrageſima continentiæ vela pandenda ſunt, & tota aurigę retinacula equis laxanda properantibus, quanquam alia ſit conditio ſæcularium, alia virginum, alia monachorum. Sæcularis homo in quadrageſima ventris ingluuiē decoquit; & in cochlearū morem ſucco victitans ſuo, futuris dapibus ac ſagenę aqualiculum parat. Virgo & monachus ſic in quadrageſima ſuos dimittāt equos, vt ſibi meminerint ſemper eſſe currendum, finitus labor maior, infinitus moderatior eſt: ibi enim reſpiramus, hic perpetuo incedimus. Si quando ad ſuburbana pergis, domi filiam non relinquas, &c. *Tom.1.epiſto.7.ad Lætam cap.5.*

*Strictius quadrageſima ab Eccleſiaſticis quam ſæcularibus ſeruanda.*

CVM per omnem annum Aſella iugi ieiunio paſceretur, biduo, triduoque ſic permanens; tum verò in quadrageſima nauigij ſui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante coniungens, &, quod impoſſibile forſan eſt hominibus ad credendum, Deo autē præſtante poſſibile eſt, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret ſtomachum, &c. *Tom. 1. epiſt.15.ad Marcellam de laudibus Aſellæ.*

*Aſella omnes quadrageſimæ hebdomadas ieiunando coniunxit.*

COENOBITIS ieiunium totius anni, æquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictiùs viuere, à Paſcha ad Pentecoſten cœnæ

*In quadrageſima diſtrictius viuunt cœnobitæ.*

mutan-



mutantur in prandia; quò & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & venterm cibo non onerent duplicato. *Tom.1.epiſt.22.cap.15.*

CONTEXTAS quinquaginta diebus ieiunandi ferias nequaquam aufero. *Tom.1.epiſt.28.ad Lucinium.*

NOS vnam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus; Montaniſtæ tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint ſaluatores, non quò & per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat: ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate, munus offerre. *Tom.2. epiſt.54.ad Marcellam aduerſus Montanum.*

*Montaniſtæ tres quadrageſimas ſeruabant.*

CONSVETVDO apud nos iſtiuſmodi eſt, vt ijs, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publicè tradamus ſanctam & adorandam trinitatē. Si te præſens lectio prouocauit, vt de cunctis dogmatibus vna hora diceres: quid neceſſe fuit quadraginta dierum replicare doctrinam; ſin autem ea referebas, quæ per totam quadrageſimam locutus es: quomodo te quadam die, vt de cunctis dogmatibus diceres, vna lectio prouocauit? Sed & hic ambiguè loquitur, poteſt enim fieri, vt quæ per quadraginta dies tradere ſolebat baptizandis in Eccleſia, hæc ſub vnius lectionis occaſione perſtrinxerit, eiuſdem enim eloquentiæ eſt, & pauca multis, & multa paucis verbis poſſe dicere. Hoc quoq; intelligi datur, quod poſtquam illum vna lectio prouocauit, inflāmatus ardore dicendi, per quadraginta dies nunquam tacuerit; *Tom.2.epiſt. 61.ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolomitani cap.4.*

*Per quadrageſimam Cathecheſis tradita.*

*Catechumeni baptizandi in quadrageſima inſtituebantur.*

INTELLIGIMVS illud Euangelicum, quod à Saluatore narratur: miſſæ in agrum ſementis in terram bonam, quæ multiplicet fruges pro varietate virtutum, in tricenarium, & in ſexagenariū, & centenarium numerum huius loci vaticinio cōuenire: Et hic enim triceſimus, & ſexageſimus, & centeſimus numerus ponitur: vt his, quaſi gradibus ad perfectam ſcientiam peruenire valeamus, ita duntaxat, vt ad interiora Eccleſiæ quinquagenarius nos perducat numerus: qui finito ſeptem hebdomodarum ſabbatho, in diem reſurrectionis erumpit. *Tom.4. lib. 12.in c.40.Ezechielis.*

*Ante diem paſchæ ſeptē hebdomadarum ieiuniū.*

LEGES meas, & præcepta mea in omnibus ſolennitatibus meis cuſtodient; vt ſciant quomodo nobis Chriſtus Paſcha ſit immolatus: quomodo ſeptem hebdomadas implere debeamus gaudij atque lætitiæ, & humiliare animas noſtras in ieiunio: clangoremque tubarum intelligere, & ſcenophegias ſpirituales, & in quibus dicimus. Aduena ego ſum, & peregrin⁹, ſicut omnes patres mei: Hæ ſunt veræ ſolennitates Dei. *Tom.4.lib.13. Com.in cap.42.Ezech.*

*Septem hebdomadæ ieiunij.*

*Pſalm. 38.*

ATRIVM templi quadraginta cubitorum erat per longū, & triginta per latum. De quibus numeris in hoc eodem propheta diſputaſſe me memini: quod aliud ad tribulationes & anguſtias, aliud ad perfectam referatur ætatē. Vnde quadraginta diebus Moyſes & Helias & Dominus, atq; Saluator in eremo ieiunauerunt: & ad ſacerdotale officium, non poſt viceſimum quintum ætatis annum, ſed poſt triceſimum accedunt. *Tom.4.lib. 14.Com.in cap.46.Ezechielis. vide To. 5. Com.in cap. 13.Ionæ ſupr.articul.1.*

*Ezech. 41.*

*Exd. 34. 3. Reg. 19. Matth. 4.*

NOS decet plenos ac mundos viuere in ſolennitatibus Dei, & vel carnes agni comedere calciatos, vel expletis ſeptem hebdomadibus fructus operum noſtrorum offerre Deo: vel in tabernaculis huius ſæculi viuere tranſeūtes, & dicere: Aduena ſum ego, & peregrinus ſicut oēs patres mei. *Tom.5.Com.in cap.2.Malachiæ.*

*Ieiunium 7. hebdomadarum.*

AIT illis Ieſus. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quādiu cū illis eſt ſponſus?] Spōſus Chriſtus; ſponſa Eccleſia eſt. De hoc ſpirituali connubio, Apoſtoli ſunt procreati: qui lugere non poſſunt, quādiu ſponſam in thalamo vident, & ſciūt ſponſum eſſe cū ſponſa. Quando verò tranſierint nuptiæ, & paſſionis, & reſurrectionis tempus aduenerit, tunc ſpōſi filij ieiunabunt. Nōnulli putant idcircò poſt dies 40. paſſionis, ieiunia debere committi: licet ſtatim dies pentecoſtes & Spiritus ſanctus adueniens, indicent nobis feſtiuitatē. Et ex huius occaſione teſtimonij, Montanus, Priſca & Maximilla, etiam poſt Pentecoſten faciunt quadrageſimam: q ablato ſponſo, filij ſponſi debeāt ieiunare. Eccleſiæ aūt conſuetudo ad paſſionem Dñi, & reſurrectionem per humilitatē carnis venit: vt ſpirituali ſaginæ, ieiunio corporis præparemur. *To.6.lib.1.Com in cap.9. Matth.Canon.13. vide de tempore Ieiuij quadrageſimalis latiùs. Tom.6.lib.2.Com. in cap.4.ad Galat.fol.140.*

*Occaſio hæreſeos montaniſtarum.*

*Ratio & finis ieiunij quadrageſimalis in Eccleſia.*

### *Articulus III. Quomodo ſit obſeruanda Quadrageſima.*

GLADIVS Dei percurit ea, quæ abſq; auctoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi ſub traditione Apoſtolica ſpontè reperiunt, atq; confingunt, doctos & indoctos pariter, ieiunia hæreticorū & obſeruationes varias, & χαμευνίας, id eſt, humi dormitiones. Qui tribus quadrageſimis per annum ieiunantes, & ξηροφαγίοις humiliantes animam ſuam, & vel maximè de Tatiani radice creſcentes, ſuper huiuſcemodi laboribus audiūt: Tāta paſſi eſtis ſine cauſa. *To.5.Com.in cap.1. Aggæi.*

*Nullus eſt fructus quadrageſimæ hæreticorū.*

*Galat. 3.*

NEPOTIANVS ieiunia, in aurigæ modum, pro laſſitudine & viribus corporis attemperabat, ſic in menſa auunculi appoſita quæque libabat, vt & ſuperſtitionem fugeret, & continentiam ſeruaret. *Tom.1.epiſt.3.ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani c.7.*

### *Articulus IIII. De myſterijs ieiunij quadrageſimalis.*

DE quadrageſimi numeri ſacramento, crebro diſputaſſe me noui: ſiue quia per tribulatiōes & anguſtias huius ſæculi intramus ad ſanctuariū Dñi, idcircò longitudo portæ habebat cubitos 40. qui numerus ſemper in labore poſitus eſt. Vnde & Moyſes & Helias 40. diebus non cōedunt panem, & aquā non bibunt: Et annis 40. populus Iſrahil vexatur, & probatur in ſolitudine, & per multos labores terrā repromiſſinis ingreditur. Et Dñs atq; Saluator, ſecundū aſſumpti corporis fragilitatē 40. diebus tentatur in ſolitudine: vt poſt victoriā accedant angeli, & miniſtrent ei. Cū autem per tribulationes & anguſtias, poterimus dicere illud Apoſtolicū, In omnibus tribulati, ſed non coanguſtati, atq; illud propheticū: In tribulatione dilataſti mihi, tūc nobis latiſſmus aperitur introitus, qui 20. cubitorū habet latitudinem, & ſuperatis mundi certaminib. atq; terrenis, qui & ipſe dualis eſt numerus, ingrediamur templi penetralia; & audiamus imperantem diſcipulis Dominum: Confidite, ego vici mundum. *Tomo 4.lib.12.Com.in cap.41.Ezechielis. vide Tom.quinto Com.in c.3. Ionæ de myſterio numeri quadragenarij locus aſſcriptus eſt ſupra articulo 1.*

*Deut. 9. 3. Reg. 19. Deut. 29.*

*Matth. 4. cd.*

*1. Teſſal. 2. Pſalm. 4.*

*Ioan. 16.*

ISTI

ISTI qui de ſeptem panib. hoc eſt, ſacrato numero atq; perfecto alũtur; nõ ſunt quinq; millia, ſed quatuor millia: qui numerus ſemper in laude ponitur, & quadrangulus lapis nõ fluctuat, & nõ eſt inſtabilis, & ob hanc cauſam etiam Euangelia in eo numero conſecrata ſunt. *Tom. 6. lib. 2. Com. in ca. 15. Matth. Canon. 32.*

## Caput V. De ciborum delectu.

### Articulus I. Ieiunium & à quibuſdam cibis ac vino abſtinentiam damnare, Iouiniani hæreſim fuiſſe.

NEQVE nos Marciõis & Manichęi dogma ſectantes, nuptijs detrahim⁹: nec Tatiani principis Eucratitarũ errore decepi⁹ omnẽ coitũ ſpurcũ putamus: qui nõ ſolũ nuptias, ſed cibos quoq;, quos Deus creauit ad vtendũ, damnat, & reprobat. Scimus in domo magna, non ſolũ vaſa eſſe aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & ſuper fundamentũ Chriſti, quod Paulus architectus poſuit alios ædificare aurũ, argentum, lapides pretioſos; alios è contrario fœnũ, ligna, ſtipulã. *To. 2. lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 1.*

*2. Tim. 4. 2. Tim. 2.*

IOVINIANI tertia hæreſis eſt, inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem, nullam eſſe diſtantiam. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 2.*

*Iouinianus damnat ieiunia.*

MANIFESTVM eſt vos Iouinianiſtas Manichęorum dogna ſectari prohibentiũ nubere, & veſci cibis, quos Deus creauit ad vtendũ, cauteriatam habentium conſcientiam. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 3.*

*Manichæi damnant quoſdam cibos. 1. Tim. 4.*

QVICQVID de Hieruſalem diximus, refer ad Eccleſiam, animaſq; credentium: quæ munera maritalia, aurum videlicet, in ſenſu, & argentum in eloquio, & veſtimenta, quibus fœditas noſtra & turpitudo velatur, dant amatoribus ſuis: vel contrarijs fortitudinibus, vel magiſtris dogmatũ peruerſorum: quando aſſerunt, nihil nocere luxuriã, & paſſiuam libidinem, iuxta corporis genitalia, coitum naturali lege depoſcere: cibis omnib. indifferenter vtendum: qui ad hoc facti ſunt, vt ſumantur. *Tom. 4. lib. 5. Com. in cap. 16. Ezechielis.*

*Hæretici docent omnib. cibis indifferenter vtendum.*

### Articulus II. Delectũ ciborum, & à vino abſtinentiam olim Catholicis in vſu fuiſſe.

PAVLA tantæ abſtinentię fuit, vt propè menſuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs, ac labore contraheret: quæ, exceptis diebus feſtis, vix oleum in cibo caperet: vt ex hoc vno æſtimetur, quid de vino, & liquamine, piſcibus, & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ guſtui ſuauia ſunt, iudicarit. *Tomo primo Epiſtola 27. cap. 8.*

*Delectum ciborum Paula obſeruauit.*

PAVLO eremitæ cibũ & veſtimentum palma præbebat, quod ne cui impoſsibile videatur; Ieſum teſtor, & ſanctos angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Sacracenis iungitur, vidiſſe me monachos, de quibus vnus per 30. annos clauſus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit; alter in ciſterna veteri, quinq; carycis per ſingulos dies ſuſtentabatur. *To. 1. in vita Pauli.* Hilariõ 15. tantũ carycas poſt ſolis occaſum cõedit. *To. 1 in vita Hilari.*

*Cibus Pauli eremitæ.*

QVOD autẽ nobis obijcit, in ſecunda Dei benedictione cõedendarum carniũ licentiã datam: quæ in prima cõceſſa nõ fuerat: ſciat, quomodo repudiũ iuxta eloquiũ ſaluatoris ab initio nõ dabatur, ſed propter duritiã cordis noſtri, per Moyſen humano generi cõceſſum eſt; ſic & eſum carniũ vſq; ad diluuiũ ignotũ fuiſſe; poſt diliuiũ verò, quaſi in eremo murmuranti populo, coturnices, ita dẽtibus noſtris neruos, & virulentias carnis ingeſtas. Docet Apoſtolus, ſcribens ad Epheſios, Deum propoſuiſſe in adimpletione temporum recapitulare omnia, & ad principium retrahere in Chriſtum Ieſum, quæ ſunt ſuper cælos, & quæ ſunt ſuper terram. Vnde & ipſe Saluator in Apocalypſi Ioannis. Ego ſum, inquit, α & ω, initium & finis. Ab exordio conditionis humanæ, nec carnib. veſcebamur; nec dabamus repudiũ; nec præputia nobis eripiebantur in ſignum, hoc curſu vſque ad diluuium peruenimus, poſt diluuium autem, cũ datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingeſtæ ſunt ad veſcendum, & repudia conceſſa duritiæ; & cultellus circũciſionis appoſitus, quaſi Dei manus plus in nobis creauerit, quàm neceſſe eſt. Poſtquam autem Chriſtus venit in fine tẽporum, & ω reuoluit ad α, & extremitatem retraxit ad principium: nec repudium dare nobis permittitur, nec circũſcidimur, nec cõedimus carnes, dicente Apoſtolo: Bonum eſt vinum non bibere, & carnes non manducare. Etenim cum carnib. poſt diluuium dedicatum eſt. *Tom. 2. lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 10.*

*Matth. 19. Deut. 24.*

*Ante diluuium ignot⁹ eſus carniũ.*

*Epheſ. 1. Apoc. 1. c. Gen. 9. Deut. 24. Gen. 17. Matth 19. Rom. 14.*

CAETERVM quis ignoret, vnumquamq; gentem non communi lege naturæ, ſed ijs, quorum apud ſe copia eſt, veſci ſolitam? verbi gratia: Arabes & Saraceni, & omnis eremi barbaria, camelorum lacte & carnibus viuit: quia huiuſcemodi animal pro temperie & ſterilitate regionũ facilè apud eos, & gignitur, & nutritur, hi nefas arbitrãtur, porcorũ veſci carnibus: ſues enim; qui glande, caſtaneis, radicibus filicũ, & hordeo ali ſolent, aut raro apud eos, aut penitus non inueniuntur, & ſi inuenti fuerint, alimenta non habent, quæ ſupra diximus. E regione Septentrionales populos, ſi ad eſum aſinorum camelorumque compellas, ſimile putabunt eorum veſci carnibus, ac ſi lupum comedere cogantur, aut coruum. In Ponto & Phrygia, vermes albos & obeſos, qui nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit, & quomodo apud nos attagen, & ficedula, mullus & ſcarus in delitijs computantur, ita apud illos ξυλοφάγον comediſſe, luxuria eſt. Rurſum Orientales & Lybiæ populos, quia per deſertum, & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt, hoc verum eſſe Ioannis quoque baptiſta probat. Compelle Phrygem, & Ponticum, vt locuſtam comedat, nefas putabit. Coge Syrum, Aphrum, & Arabem, vt vermes Ponticos glutiat, ita eos deſpiciet, vt muſcas, millepedias, & lacertos. Quamquam Syri & crocodilis terrenis, Aphri etiam lacertis viridibus veſci ſoleant. In AEgypto & Palæſtina, propter boum raritatem, nemo vaccam comedit, taurorumque carnes, & boum, vitulorumque aſſumunt in cibis, at in noſtra prouincia ſcelus putant, vitulos deuorare, vnde & Imperator nuper legẽ pro Oriente Valẽs dederat, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, vtilitati agriculturæ prouidens, & peſsimam Iudaizantis vulgi emendans conſuetudinem, pro altilibus & lactentibus vitulos conſumentis. Nomades, & Trogloditæ, & Scythæ, & Hunnorum noua feritas, ſemicrudis veſcuntur carnibus.

*Ex hiſtorijs latè probat delectum ciborum obſeruare penè omnes gentes & ciuitates*

*Matth. 3.*

Porrò



Porrò Ichtyophagi gens errans in littore maris rubri, ſuper petras, ſolis calore feruentes, aſſant piſces, & hoc ſolo alimẽto victitant. Sarmatæ, Quadi, Vvandali, & innumerabiles aliæ gentes, equorum & vulpium carnibus delectantur. Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis veſci carnibus, & cũ per ſiluas porcorum greges, & armentorum pecudumque reperiant, paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delitias arbitrari? Scotorum natio vxores proprias nõ habet; & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos coniunx propria eſt; ſed vt cuique libitum fuerit, pecudum more laſciuiunt. Perſæ, Medi, Indi, Aethiopes, regna non modica, Romano imperio paria, cum matribus, & auijs, cum filiabus & neptibus copulantur. Maſſagetæ & Derbices miſerrrimos putant, qui ægrotatione moriantur; & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad ſenectam venerint, iugulatos deuorant, rectius eſſe ducentes, vt à ſe potius, quàm à vermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint ſenes ſuſpendunt in patibulis. Hircani volucribus & canibus ſemiuiuos proijciunt. Caſpij ijſdem beſtijs mortuos. Schytæ eos, qui à defunctis amati ſunt, viuos infodiunt cum oſſibus mortuorum. Bactri canibus, ad hoc ipſum nutritis, obijciunt ſenes, quod cum Alexandri Præfectus Nicanor emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam. Coge Aegyptium vt ouium lacte veſcatur: impelle, ſi vales, Peluſioten, vt mãducet cepe. Singulę penè in Aegypto ciuitates, ſingulas beſtias & monſtra venerãtur, & quodcunq; coluerint, hoc inuiolabile, & ſacrum putant, vnde & vrbes quoque apud eos ex vocabulis animalium appellantur, Leonto, Cyno, Lyco, Buſyris, Thmuis, quod interpretatur hircus. Et vt ſciremus, quales deos ſemper Aegyptus recepiſſet: nuper ab Hadriani amaſio vrbs eorum Antinois appellata eſt. Peruides igitur, quod non ſolùm in eſu, ſed & in ſepulturis, & in connubijs, & in omni conuerſatione, vnaquæque gens ſuo ritu, & proprietatibus victitet: & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit. Verum fac eſum carnium cunctis nationibus eſſe communem, & paſſim licere, quod paſſim gignitur, quid ad nos, quorum conuerſatio in cælis eſt; qui ſuper Pythagoram & Empedoclem, & omnes ſapientiæ ſectatores, non ei debemur, cui naſcimur, ſed cui renaſcimur; qui repugnantem carnem, & ad libidinum incentiua rapientem, inedia ſubiugamus? Eſus carnium & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt, vnde & Comicus Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. *Tom. 2. libr. 2. contra Iouinianum capite 6.*

*Philip. 3.*

CONTEMPLEMVR hęreticos quomodo ſemel deſperantes ſalutem, gulæ ſe tradant & delitijs, veſcantur carnibus, frequentes adeant balneas: muſco fràgrent, vnguentis varijs delibuti, quærant corporum pulchritudinem. Semel enim futura non ſperant, neque credunt in reſurrectionem. Quod cum ſermone non pandant, oſtendũt operibus *Tomo quarto, libro quarto Commentariorum in caput 23. Hieremiæ.*

PVTO perſpicuum eſſe Lectori, quæ ſunt deorſum in ieiunijs χαμαιευνίαις, & victus continentia: paulatimq; ad ſumma dum conſcendimus, latiorem nobis aperiri viam, & impleri quod ſcriptum eſt: In tribulatione dilataſti mihi. *Tom. 4. lib. 12. Comm. in cap. 41. Ezechielis.*

ABIIT Ieſus ſabbatho per ſata] In alio Euangeliſta legimus, quod propter nimiam importunitatem, nec veſcendi quidem habebant locum, & ideo quaſi homines eſuriebant. Quod autẽ ſpicas ſegetum manibus confricant, & inediam conſolantur: vitæ auſterioris indicium eſt, non præparatas epulas, ſed cibos ſimplices quærentium. *Tomo ſexto, libro ſecundo Commentariorum in caput 12. Matthæi, Canone 20.*

*Marc. 2 c.*

*Auſtera vita Apoſtolorum.*

EXTREMA continentia in fructibus ſpiritus collocatur: quam nõ ſolum in caſticate debemus accipere, ſed etiam in cibo & potu. *Tom. 6. libro 3. Comment. in cap. 5. ad Galatas.*

ET nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria] Quomodo nõ poſſumus duobus dominis ſimul inſeruire, Deo, & mammonæ: ſic non poſſumus ſpiritu pariter impleri & vino. Qui enim ſpiritu impletur habet prudentiam, manſuetudinem, verecundiam, caſtitatem. Qui vino, habet inſipientiam, furorem, procacitatem, libidinem. Hoc quippe æſtimo vno verbo ſignificare luxuriam. Quod ſi quidam intelligerent, non me reprehenderent, & temeritatis ac hæreſeos arguerent: quod in virginitate ſeruanda dixerim vinũ adoleſcentulis declinandum, & non mittendum ſuper flammam oleum, nec naturalem carnis ardorem, fomentis voluptatis augendum. *Tom. 6. lib. 3. Comm. in cap. 5. ad Epheſios.*

*Vinum vitãdum virginibus cauſſa caſtitatis.*

PROHIBET quoque Epiſcopum eſſe vinolentum de quo ad Timotheum ſcribitur: non multò vino deditum: Quale eſt autem Epiſcopum videre vinolentum: vt ſenſu occupato, vel exaltet riſum cõtra grauitatis decorẽ, & labijs diſſolutis cachinnet: vel ſi paululũ triſtis cuiuſdã rei fuerit recordatus, inter pocula in ſingultus prorumpat & lacrymas. Longum eſt ire per ſingula, & inſanias, quas ebrietas ſuggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem iacere conuiuæ: alios ſciſſis veſtibus in vulnera aliena proruere: alios clamare: alios dormitare: qui plus biberit, fortior computatur: accuſationis occaſio eſt adiuratum per Regem frequentius non bibiſſe. Vomunt vt bibant, bibunt vt vomant. Digeſtio ventris & gutturis vno occupantur officio. *Vide plura de ebrietate vitanda Sacerdotibus. Tom. ſexto, libro primo Commentariorum in caput primum ad Titum.*

*1. Tim. 3.*

*Ebrioſorum inſania varia.*

### Articulus III. Alio fine Chriſtianos à quibuſdam eſcis laudabiliter, Manichæos autem ſceleratè abſtinere.

IN Actibus Apoſtolorum diebus Pẽtecoſtes, & die Dominico, Apoſtolum Paulum & cum eo credentes ieiunaſſe legimus. Nec tamẽ Manichęę hæreſeos accuſandi ſunt, cum carnalis cibus non debuerit præferri ſpirituali. *To. 1. Epi. 28. ad Lucin.*

*Act. 13. 20. & 27.*

*Manichæorũ more non ieiunarunt Apoſtoli.*

IN diebus illis ego Daniel lugebam] Hoc docemur exemplo, tẽpore ieiunij à cibis delicatoribus abſtinere, (quod ego puto nunc dici panem deſiderabilem) nec carnem comedere, nec vinũ bibere. Inſuper & vnguenta nõ quærere. Qui mos apud Perſas & Indos hodie quoq; ſeruatur, vt pro balneis vtantur vnguentis. Tres autẽ iungit hebdomadas affligens animã ſuam, ne tranſitoria & fortuita videatur deprecatio. Secundũ anagogen verò hoc dicendum eſt: quod qui in luctu eſt, & ſpõſi luget abſentiam, non comedit panem deſiderabilem,

*Qualitas ieiunij Danielis.*

*Matth. 9.*

bilem, qui de cœlo deſcendit, neque capit cibum, qui intelligitur in carne: nec bibit vinum, quod lætificat cor hominis: nec exhilarat faciẽ in oleo: iuxta illud quod in Pſalmis legimus: Vt exhilaret faciem in oleo. Hoc autem ieiunium impetrabiles facit lachrymas, cum ſponſus fuerit ablatus ab ea. *Tom. 4. lib. 1. Comm. in cap. 10. Danielis. vide Tom. 2. contra Iouinianum. cap. 11.*

*Pſal. 103.*

ME vobis tanta præſtante beneficia, vt aduerſarios veſtros interficerem, & terram eorum vobis traderem, & de filijs veſtris, ac iuuenibus Prophetas eligerem, & Nazaræos, meoq́ue cultui conſecrarem: Nunquid poteſtis dicere, quod iſta non fecerim, & meam erga vos clementiam, per quam viuitis, denegarem? Qui in tantam rabiem prorupiſtis, vt inebriaretis Nazaræos meos vino: quib' lege præceptum eſt, vt omne quod inebriare poteſt, non bibant, & Prophetis mandaretis, ne in meo nomine prophetarent. Quod & Amos Prophetæ præcepit Amaſias Sacerdos Bethel: & Hieremiæ à Rege mandatum eſt, ne verbis Domini loqueretur ad populum, intantum vt etiam ſermones eius ignibus concremaret. De hoc loco hæreſin ſuam Tatianus Eucratitarum Princeps ſtruere nititur, vinum aſſerens non bibendum, cùm & lege præceptum ſit ne bibant vinum, & nunc accuſentur à Propheta qui propinent Nazaræis vinum. Qui ſi litteram ſequuntur in omnibus, & Iudaicas fabulas Eccleſijs ingerunt Chriſti, ergo & comam nutrire debent, & vuam paſſam ac viridem non comedere, & ſuper matre & patre mortuis non ingredi: & ſi hæc fortè fecerint, & fuerint humana vel fragilitate, vel neceſſitate ſuperati, radant capita, & irriti ſint, omnes dies conſecrationis & laboris eorum. Quod ſi hæc non faciunt, neque poſſunt more Iudaicorum cauponum miſcere aquam vino vmbras veritati, Euangelij gratiæ legis neceſſitatem, ebrietatem illam intelligant, qua curis ſæcularibus inebriantur, & obruitur animæ vigor, & illos Prophetis mandare, dicentes: Ne prophetetis: qui liuore ſuperati, prohibent eruditos viros doctrinæ proferre ſermonem. *Tomo quinto, libro primo Commentariorum in cap. 2. Amos.*

*Num. 6. c.* — *Amos 7.* — *Hier. 38.* — *Vnde orta hæreſes Eucratitarum.* — *Num. 6.* — *Duplex ebrietas.*

CONGRVE quis dixerit panem illorum eſſe panem luctus, & furorem draconum eſſe vinum eorum, & furorem aſpidum inſanabilem: Oleũ quoq; repromiſſionem de cœleſtibus, quo quaſi vngunt diſcipulos, & laborum præmia pollicentur, quæ Propheta deteſtatur, dicens: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sed & alia quæ abſque authoritate & teſtimonijs Scripturarum quaſi traditione Apoſtolica ſponte repeſiunt atque confingunt, percutit gladius Dei. Homines autem & iumenta, doctos & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & ieiunia eorum & obſeruationes varias, & χαμευνίας, id eſt, humi dormitiones. Qui tribus quadrageſimis per annum ieiunantes, & ξηροφαγίαις humiliantes animam ſuam, & vel maximè de Tatiani radice creſcentes, ſuper huiuſcemodi laboribus audiũt: Tanta paſſi eſtis ſine cauſa. *Tom. 5. Commentariorum in caput primum Aggæi.*

*Pſal. 104.* — *Hæretici abutuntur traditionibus Apoſtolorum* — *Galat. 3.*

*Articulus IIII. Et ſi omnis creatura bona ſit, tamen propter obedientiam, vel aliorum infirmitatem à carnibus, vel alijs cibis, ac vino Chriſtiano abſtinendum eſſe.*

QVID memorem clementiam & ſedulitatem in ægrotantes, quas miris obſequijs & miniſterijs confouebat? cumq́ue alijs languentibus largè præberet omnia, & eſum quoque exhiberet carnium; ſi quando ipſa ægrotaſſet, ſibi nõ indulgebat; & in eo inæqualis videbatur, quod in alijs clementiam, in ſe duritiam commutabat. Nulla iuuenum puellarum, ſano & vegeto corpore, tantæ ſe dederat continentiæ, quantæ ipſa fracto & ſenili, debilitatoq́ue corpuſculo. Fateor in hac re fuit pertinacior, vt ſibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Referam quod expertus ſum. Menſe Iulio feruentiſſimis æſtibus incidit in ardorem febris: & poſt deſperationem cum Dei miſericordia reſpiraſſet; & medici perſuaderent, ob refectionem corporis, vino opus eſſe tenui & parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur; & ego clam Beatum Papam Epiphanium rogarem, vt eam moneret, immo compelleret vinum bibere; illa, vt erat prudens, & ſolertis ingenij, ſtatim ſenſit inſidias; & ſubridens, meum eſſe, quod ille diceret, intimauit. Quid plura? cùm Beatus Pontifex poſt multa hortamenta exiſſet foras, quærenti mihi quid egiſſet, reſpondit: Tantum profecit, vt ſeni homini penè perſuaſerit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quod inconſideranter, & vltra vires ſumpta onera probem, monente Scriptura: Super te onus non leuaueris: ſed quod mentis eius ardorem, & deſiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perſeuerantia decantantis: Sitiuit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea. Difficile eſt modum tenere in omnibus. Et verè iuxta Philoſophorum ſententiam, μεσότης ἡ ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ πέλετα, id eſt, modus virtus eſt, vitium nimietas reputatur. Quod nos vna & breui ſententiola exprimere poſſumus: Ne quid nimis. Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam; in luctu mitis erat, &c. *Tom. 1. Epiſtola 27. cap. 10.*

*Paula ne ægra quidem carnibus veſcebantur.* — *Paula ne ægrota quidẽ vinum ſumebat.* — *Onera vltra vires non aſſumebat. Prou. 13. c.*

IN ipſo conuiuio vt veſcaris carnibus quaſi inuita cogeris, Vt vinum bibas, Dei laudabitur creatura, &c. *Tomo 1. Epiſtola 47. De vitando ſuſpecto contubernio.*

LOCVS, in quo habitabat in deſerto Hilarion, habebat pomaria plurima, quorũ tamen fructum nunquam in cibo ſumpſit. *Tomo primo in vita Hilarionis.*

IACOB frater Domini de vtero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, nec vnctus vnguento, nec vſus balneo. *Tomo primo, libro de Viris Illuſtribus in Iacobo. Vide Tomo ſecundo, libro ſecundo contra Iouinianum capite ſexto in fine, locus hoc titulo artic. 2. aſſcriptus.*

*Iacobus Nazaræus.*

CHAEREMON Stoicus vir eloquentiſſimus, narrat de vita antiquorum Aegypti Sacerdotum quod ex quo cœpiſſent diuino cultui inſeruire, carnibus & vino ſe ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſus, & vertiginem capitis, quã ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione naſcuntur. Pane raró veſcebantur ne onerarent ſtomachum: & ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſopum ſumebant in cibo, vt eſcam grauiorem illius calore decoquerent: oleum tantum in oleribus nouerant, verum & ipſum propter nauſeam, & aſperitatem guſtus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ouum

*Abſtinentia Sacerdotum Aegypti.*



quoque, pro carnibus vitauerint, & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant, colore mutato. Ioſephus in ſecunda Iudaicæ captiuitatis Hiſtoria, & in octauo decimo Antiquitatum libro, & contra Appionem duobus Voluminibus, tria deſcribit dogmata Iudæorum, Phariſæos, Sadducæos, Eſſenos: quorum nouiſſimos miris effert laudibus, quod & ab vxoribus, & vino, & carnibus abſtinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. Super quorum vita & Philo vir doctiſſimus, proprium Volumen edidit. Eantes Cizycemus, & Aſclepiades Cyprus, ætate, qua Pygmaleon in Oriente regnabat, ſcribunt eſum carnium non fuiſſe. Eubulus quoque, qui Hiſtoriam Mithræ multis Voluminibus explicuit, narrat apud Perſas tria genera Magorum; quorum primos, qui ſint doctiſſimi, & eloquentiſſimi, excepta farina, & holore, nihil amplius in cibo ſumere. Apud Eleuſinam etiam volucribus & piſcibus, & quibuſdam pomis abſtinere, ſolenne eſt. Bardeſanes vir Babylonius in duo dogmata apud Indos Gymnoſophiſtas diuidit: quorum alterum appellat Bragmanas: alterum Samanæos; qui tantæ continentiæ ſint, vt vel pomis arborum iuxta Gangen fluuium, vel publico orizæ, vel farinæ alantur; & cum Rex ad eos venerit, adorare illos ſolitus ſit, pacemq́ue ſuæ prouinciæ in illorum precibus arbitrari ſitam. Euripides in Creta Iouis Prophetas non ſolum carnibus, ſed & coctis cibis abſtinuiſſe refert. Xenocrates Philoſophus de Triptolemi legibus apud Athenienſes tria tantum præcepta in templo Eleuſinæ reſidere ſcribit, honorandos parentes, venerandos deos, carnibus nõ veſcendum. Orpheus in carmine ſuo eſum carnium deteſtatur. *Tomo ſecundo, libro ſecundo contra Iouinianum capite nono.*

*Abſtinentia à lacticinijs* — *Eſſenorum continentia.* — *Delectus cibi & potus apud diuerſos populos & gentes.*

HAEC de argumentis Philoſophorum, exempliſq́ue diſſerui, nunc ad exordium generis humani, id eſt, ad noſtra tranſiens, docebo primum Adam in Paradiſo accepiſſe præceptum, vt cætera poma comedens, ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo paradiſi abſq; abſtinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit; in paradiſo fuit: comedit, & eiectus eſt: eiectus ſtatim vxorẽ duxit. Qui ieiunus in paradiſo virgo fuerat, ſatur in terra matrimonio copulatur: & tamẽ eiectus nõ protinus accepit licentiã carnium veſcendarum, ſed tantum poma arborum, & fruges ſegetum, & herbarum holera ei traduntur in cibũ: vt exul quoq; paradiſi, non carnibus, quæ in paradiſo nõ erant, ſed in ſimilitudine frugum paradiſi veſceretur. Poſtea verò videns Deus, quod diligenter appoſitum eſſet ad malitiam cor hominis ab adoleſcentia, & ſpiritus eius in his permanere non poſſet, quia caro erant, opera carnis diluuio condemnauit; & auidiſſimam hominum gulam, probans, dedit eis licentiam comedendarum carnium: vt dum ſibi intelligunt licere omnia, non deſiderẽt magnopere quod licebat; ne mandatum verterẽt in cauſam præuaricationis. Quanquam & tunc ex parte imperatum ieiunium ſit, nam cum alia mũda dicantur, alia immunda; & in arca Nohe de immundis bina, de mundis introducuntur imparia; & vtiq; immundorum eſus ſit ablatus, ne ſine cauſa dicerentur immunda: ex parte ieiunium dedicatum eſt, docens abſtinentiam omniũ in quorundam reciſione. Cur perdidit Eſau primogenita? nonne ob cibum? impatientiamq́ue gulæ lachrymis emendare non potuit. Eiectus de Aegypto populus Iſrael, & in terram repromiſſionis lacte & melle manantem introducendus, Aegyptias carnes, & pepones, alliaq́ue deſiderat. Vtinam, inquit, obiſſemus percuſſi à DEO in terra Aegypti, quando ſuper ollas carnium ſedebamus. Et iterum. Quis nos paſcet carnibus? Venerunt in mentem nobis piſces, quos in Aegypto comedebamus gratis, & cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia: at nunc anima noſtra arida, nihil niſi manna oculi noſtri conſpiciunt. Angelorum cibum contemnentes, carnes Aegyptias ſuſpirabant. Moyſes quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina, etiam tunc probans, non in pane ſolo viuere hominem, ſed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur: populus autem ſatur, idola fabricatur. Ille, vacuo ventre, legem accepit, ſcriptam digito Dei; iſte manducans & bibens, conſurgensq́ue ludere, aurum conflat in vitulum & Aegyptium bouem præfert Domini maieſtati, tot dierum labor vnius horæ ſatietate perit. Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio; & paſti leguminibus, pulchriores ſunt, & prudentiores ijs, qui de menſa regis carnibus veſcebantur. Deinde ſcriptum eſt, quod Daniel tribus hebdomatibus ieiunauerit, panem ſuauem non comederit; caro & vinum non intrauerit os eius; oleo vnctus non ſit; & venerit ad eum angelus, dicens: Daniel homo miſerabilis es. Qui Deo miſerabilis apparuerat, poſt ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Samſon & Samuel vinum & ſiceram non bibunt: erant enim filij repromiſſionis, & per abſtinẽtiam ieiuniumq́ue cõcepti. Aaron & cæteri Sacerdotes ingreſſuri tẽplum, omne quod poteſt inebriare, non potant, ne moriantur, ex quo intelligimus mori eos, qui in eccleſia non ſobrij miniſtrarint. Quamobrem exprobratur Iſraeli, potum dabatis Nazaræis meis vinum. Ionadab, filijs Rechab præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum vſque in æternum. Quibus cum offerret Hieremias vinum, vt biberent; & illi bibere noluiſſent; loquitur Dominus per Prophetam. Quia obediſtis præcepto Ionadad patris veſtri, nõ deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. *Tomo ſecundo, libro ſecundo contra Iouinianum capite decimo. vide plura toto ſeq. capite vndecimo libr. 2. contra Iouinianum.*

*Abſtinentia Adami.* — *Ab exordio generis humani repetit originem delectus ciborũ* — *Geneſ. 6.* — *Geneſ. 9.* — *Geneſ. 6.* — *Geneſ. 25.* — *Exod. 16. c.* — *Num. 11.* — *Pſal. 77.* — *Exod. 24.* — *Deut. 8.* — *Exod. 32.* — *Daniel. 1.* — *Daniel. 10.* — *Iudic. 13.* — *1. Reg. 1.* — *Leuit. 10.* — *Amos 2.* — *Hier. 35.*

MAGNARVM carnium Aegypti eſſe dicuntur, ſiue ob turpitudinis magnitudinem, ſiue ob peccatorum deformitatem. Vnde ſanctus carnium dicitur paruularum: quæ in eo decreſcunt quotidie, & per virtutes attenuantur, ita vt nequaquam caro appelletur, ſed ſpiritus, & loquatur in Pſalmo. Sitiuit anima mea ad te DEVS, quam multipliciter tibi caro mea, ſiue (vt quædam exemplaria habent) quomodo conſumpta eſt caro mea. Quamobrem & Corinthius fornicator traditur in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. De hac carne ſcriptum eſt. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Aruit fœnum & flos eius decidit: verbum autem DOMINI manet in æternum. De qua & Apoſtolus loquebatur: Caro & ſanguis Dei regnum non poſſidebunt. Et in Geneſi loquitur Deus: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt: & ad credentes dicitur: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Alia autem caro

*Sancti paruularum carnium impij magnarum carnium eſſe dicuntur.* — *Pſal. 62.* — *1. Cor. 5.* — *Eſaiæ 40.* — *Eſaiæ 40.* — *1. Cor. 15.* — *Geneſ. 6.* — *Rom. 8.*

Sanctorum eſt, de qua ſcriptum eſt: Omnis caro videbit ſalutare Dei. *Tom. 4. lib. 5. Commentarior. in cap. 16. Ezechielis.* *Eſaiæ 40.*

*Abſtinentia vini.* VINVM non ſolùm in miniſterio Sacerdotes atque Leuitæ non bibēt, ſed ne ingreſſuri quidem ſancta ſanctorum: ne opprimatur mens & ſenſus craſſior fiat. Vnde & Apoſtolus: Bonum eſt, inquit, vinum non bibere, & carnem non mãducare. *Roman. 14.* Et in alio loco: Et vinum in quo eſt luxuria. *Epheſ. 5.* Manducauit enim populus & bibit, & ſurrexerunt ludere. Quodque concedit Timotheo, vt vini paululum bibat: *1. Timot. 5.* perſpicuè demonſtrabat cur hoc conceſſerit; propter ſtomachum, inquit, & frequentes infirmitates. *Nemo gentilium vino abſtinet.* Vino autem, quantum ad meam notitiam pertinet, non reor aliquem ſe abſtinere gentilium. *Tom. 4. lib. 3. Comm. in cap. 44. Ezechielis.*

PORRO quod ait. Vt omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius, vinum non bibat: perſpicuum eſt ebrietate & ſicera ſtatum mētis euerti, & non plenè nos ſapere, cum vini ſatietate animus occupatur. *Ebrietas propria & metaphorica.* Ebrietas autem non ſolùm in potione vini, ſed in omnibus rebus oſtenditur; quibus & in contractibus, & in negotijs ſęculi, & damnis ac lucris, amore, & odio mens inebriatur, & fluctuat, & ſtatum ſuum tenere non poteſt. Et quia fragili carne circundamur, & cogimur pro victu atque veſtitu, & neceſſarijs, quæ ad corpus pertinent, aliqua facere, quæ facere non debemus: ſaltem hoc à nobis exigitur, vt quando in nos reuertimur, & ſcimus cur nati ſumus, & interiora atque adyta templi ingredimur, recedamus à vitijs ſæculi, & ne minima quidem peccata faciamus. Per quæ oſtenditur, & peccare nos pro neceſſitatibus carnis peccata leuia: & rurſum eſſe tempus, quando atrium ingredientes interius, ab omni ebrietate mundi atque alieni eſſe debemus. *Tom. quarto, lib. 13. Commentarior. in cap. 44. Ezechielis. vide Tom. 5. lib. 1. Commentariorum in cap. 2. Amos. Fol. 97. fac. 2.*

EGO Apoſtolum ſequor: in vino eſſe luxuriam: in vino ebrietatem. Ebrietatem autem & luxuriam inter carnis opera numerari, nec ille poteſt negare, qui eiſdem paſſionibus vincitur. *Adoleſcētulæ fugient vinum tan. quam venenum.* Et licet me quidam in eo libro, quem de ſeruanda virginitate ſcripſi, reprehendendum putent, quod dixerim adoleſcentulas ita debere vinum fugere vt venenum, non me ſententiæ pœnitebit. Opus quippè ibi magis vini, quàm Dei à nobis creatura damnata eſt: & licentiam tulimus virgini proprio ætatis calore feruenti, ne ſub occaſione parum bibendi plus biberet, & periret. Alioquin ſciebamus & in Chriſti ſanguinem vinum conſecrari, & Timotheo vinum vt biberet, imperatum. *1. Tim. 5. c.* Ebrietas autem tam ex vino, quàm ex cæteris bibendi generibus, quæ vario modo conficiuntur, poteſt accidere: ex quo de ſancto dicitur. Vinum & ſiceram non bibet. Sicera interpretatur ebrietas. Et ne quis vinum non bibens aliud ſibi putaret bibendum: excluſa cauſatio eſt, dum omne quod inebriare poteſt, cum vino pariter aufertur. *Tomo ſexto, lib. 2. Commentar. in cap. 5. ad Galatas.*

### *Articulus V. Ab idolothytis etiam quandoque abſtinendum eſſe Chriſtiano, quamuis ex ſua natura bona ſint.*

OPPONAT prudens Lector, & dicat. Si quod intrat in os non coinquinat hominem: quare idolothytis non veſcimur? *1. Cor. 10.* Et Apoſtolus ſcribit: Non poteſt calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum? *Dæmonū inuocatio facit creaturam immundam.* Sciendum igitur quod ipſi quidem cibi, & Dei creatura, per ſe omnis munda ſit, ſed idolorum ac dæmonum inuocatio facit ea immunda. *Tomo ſecundo, lib. 1. Commentar. in cap. 15. Matthæi, Can. 30.*

SED conſiderandum ne iſta tractantes & dicentes. Omnia munda eſſe mundis pro qualitate tamen veſcentium munda conſcientia, occaſionem illi hæreſi demus, quæ iuxta Apocalypſin, & ipſum quoque Apoſtolum Paulum ſcribētem ad Corinthios, putat de idolothytis eſſe veſcendum: *Apoc. 2. 1. Cor. 8.* quia omnia munda ſunt mundis. Nunc enim Apoſtolo non fuit propoſitum, de his, quæ immolantur dæmonibus diſputare: ſed aduerſus Iudæos, qui ſecundum legis abolitę diſciplinam, quædam munda, quædam arbitrabantur immunda. *Delectum ciborum Iudaicorum Paulus ſuſtulit.* Non enim, inquit, poſſumus menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum: nec valemus ſimul bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum. In nobis itaque eſt comedere munda vel immunda. Si enim mundi ſumus, eſt nobis munda creatura. Si autem immundi & infideles, fiunt nobis vniuerſa communia, ſiue per inhabitātem in cordibus noſtris hæreſin, ſiue per cōſcientiam delictorum. *Tom. 7. lib. 1. Comm. in cap. 1. ad Titum.*

### *Articulus VI Quomodo ſit illud intelligendum: Omnia munda nobis.*

QVIA ſuperius dixerat: Sunt enim multi & non ſubditi, vaniloqui & deceptores, maximè qui de circunciſione ſunt, & de his, qui ab eis decepti fuerant, cōſequenter addiderat: Increpa illos acriter vt ſani ſint in fide, non intendētes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantiū veritatem. *Sublatæ diſcretio ciborū Iudaicorum vide. Leui. 11. Rom. 14. Galat. 2.* Et quomodo ad Romanos & Galatas pleniſſimè diſputatur, putabant inter cibos eſſe diſtantiam, cū aliqui mundi, aliqui videbātur eſſe immundi: propterea nunc infert. Omnia munda mundis, his videlicet qui Chriſto credunt, & ſciunt omnem creaturā bonam eſſe, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Coinquinatis autem & infidelibus nihil mūdum: quia polluta eſt eorum mens & cōſcientia. *Tom. 6. lib. 1. Comm. in cap. 1. ad Titum.*

### *Articulus VII. Obiectiones contra ieiunium & delectum ciborum quomodo diluat Hieronymus.*

TANDEM peruenimus ad cibos, & tertiæ quęſtionis nobis opponitur difficultas: ad hoc creata eſſe omnia, vt vſui mortalium deſeruirēt: & quomodo homo rationale animal, quaſi quidā habitator & poſſeſſor mundi, Deo ſubiacet, & ſuum veneratur authorem; *Prima obiectio à fine creati.* ita cuncta animātia, aut in cibos hominum, aut in veſtitū, aut ad ſcindendam terram, aut ad vectionē frugum, aut ipſius hominis eſſe creata; vnde & iumenta ab eo qđ iuuent, appellentur. Quid eſt, ait Dauid, homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? *Pſal. 8.* Minuiſti eum paulò minus ab Angelis; gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuū tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedib9 eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Eſto, inquit, bos ad



bos ad arandum, ad ſedendum equus, canis ad venandum, capræ ad lac, oues ad lanitia conditæ ſint? quis vſus porcorum abſque eſu carniū? quid capreæ, quid ceruuli, damulæ, apri, lepores, & huiuſmodi venatio? quid anſeres ſylueſtres & domeſtici? quid anates? quid ficedulæ? quid attagen? quid fulica, quid turdus? cur in domibus gallina diſcurrit? ſi non comeduntur hæc omnia, fruſtra à Deo creata ſunt. *Geneſ. 9. Secunda obiectio ex locis Scripturæ accommodatis.* Verùm quid opus eſt argumentis: cum manifeſtiſſimè ſcriptura doceat, omne qđ mouetur, ſicut olera herbarum, data nobis in eſcam: & Apoſtolus clamitet: Omnia munda mundis: & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: *Tit. 1. 1. Tim. 4.* & venturos in nouiſſimo, qui prohibeant nubere, & veſci cibis, quos Deus creauit ad vtendum. *Luc. 7. Luc. 19.* Ipſe Dominus vini potator & vorator à Phariſæis nuncupatur, & publicanorum conuiua, & peccatorum, Zachæi prandium non recuſans, vadens ad nuptiarum epulas. Porrò aliud eſt, ſi ſtulta contentione dicitis eum iſſe ad nuptias ieiunaturum, & impoſtorum more dixiſſe: hoc comedo, illud non comedo: nolo vinum bibere, quod ex aquis creaui. In typo ſanguinis ſui non obtulit aquam, ſed vinum. *Luc. 24. Act. 10. Act. 27.* Poſt reſurrectionem piſcem, & fauum comedit, non ſeſama, nuces, & ſorbitiunculas. Petrus Apoſtolus non expectans ſtellam more Iudaico, ſed hora ſexta in ſolarium pranſurus aſcendit. Paulus in naui panem frangit, non carycas. Timotheo dolenti ſtomachum, vinum ſuadet bibere, non piracium. De ciborum ſibi placent abſtinentia, quaſi non & ſuperſtitio gentilium coſſum matris Deum obſeruet, & Iſidis. *Tom. 2. libr. 2. contra Iouinianum capite quarto.*

SEQVAR veſtigia propoſitionis expoſitæ; & antequam ad Scripturas veniam, doceamque ex eis Deo grata ieiunia, & acceptabilem continentiam, argumentis Philoſophorum argumenta componam: & probabò. non Empedoclis & Pythagoræ nos ſectari dogma, qui propter μετεμψύχωσιν, omne quod mouetur & viuit, edendum non putant; *Primæ obiectionis confutatio ex alio propoſito fine ciborum.* & eiuſdem criminis reos arbitrantur, qui abietem & quercum ſucciderint, cuius parricidæ ſunt, & venefici; ſed venerari conditorem noſtrum, qui in vſum noſtrum cuncta creauit, & quomodo bos ad arandum, equus ad ſedendum, canes ad ſeruandum, capræ ad lac, oues ad lanitia conditæ ſunt; ita ſues, ceruos, & capras, & lepores, & cætera: ſed illa non ſtatim ad comedendum creata eſſe, ſed in alios vſus hominum, ſi enim, omne quod mouetur & viuit, ad veſcendum factum eſt, & gulæ præparatum: reſpondeant mihi: cur elephanti, cur leones, vrſi, leopardi, lupi, cur viperæ, ſcorpij, cimices, culices, pulicesque; cur vultur, aquila, coruus, accipiter, cur ceti, delphines, phocæ, minutæque cochleolæ, conditæ ſint? *Multæ beſtiæ non ad cibos, ſed ad medicinas ſunt creatæ.* quis noſtrum leonem, quis viperam, quis vulturem, quis ciconiam, quis miluum, quis reptantes in littoribus vermiculos vnquam comedit? Sicut igitur hæc proprios vſus habent: ita poſſumus dicere & cæteras beſtias, piſces, aues, non ad eſum, ſed ad medicinas creatas. Denique carnes viperæ, vnde theriace conficitur, quantis rebus aptæ ſint, norunt medici. Segmenta eboris in medelas varias aſſumuntur. Fel hyenæ oculorum reſtituit claritatem, & ſtercus eius, & canum putrida curat vulnera. Et, quod forſitan legenti ſit mirum, hominis fimus quantis curationibus proficiat, Gallenus ἐν ἁπλοῖς docet. Aiunt Phyſici, quod pellis colubri, qua exuitur, decocta in oleo, mirè dolorem aurium mitiget. Quid ita inutile videtur neſcientibus, vt cimices? Si ſanguiſuga faucibus hæſerit; fumo eius excepto, ſtatim euomitur: & difficultas vrinæ huius appoſitione laxatur. *Probat ex Medicis & Phyſicis quæ naturalia medicinæ inſeruiant.* Porcorum autem & anſerum & gallinarum, phaſianorumque adipes, quid commodi habeant, omnes Medicorum declarant libri: quos ſi legeris, videbis tot curationes eſſe in vulture, quot membra ſunt. Paui fimus podagræ feruorem mitigat, Gruis, ciconiæ fel, aquilæ, ſanguis accipitris, ſtrutiocamelus, ranæ, chamaleontes, hirundinis ſtercus, & carnes, quibus morbis aptę ſint, dicerem, ſi mihi propoſitum eſſet de medela corporum diſputare. Legat, qui vult, Ariſtotelem & Theophraſtum proſa, Marcellum Siderem, & noſtrum Flauium hexametris verſibus differentes, Plinium quoque ſecundum & Dioſcoridem, & cæteros, tam Phyſicos, quàm Medicos, qui nullam herbam, nullum lapidem, nullum animal, tam reptile, quàm volatile & natatile non ad artis ſuæ vtilitatem referunt. Igitur cum mihi dixeris, cur porcus creatus eſt? ſtatim tibi reſpondebo puerorum more certātium, cur viperæ, cur ſcorpij? nec Deum ſuperfluorum iudicabis artificem, quia plurimæ & beſtiæ ſunt, & volucres, quas tuæ fauces recuſent. Sed ne contentioſum hoc & pugnax magis videatur eſſe, quàm verum; audi idcirco ſues, & apros, & ceruos, & reliquas animantes creatas, vt milites & athletæ, & nautæ, ſectores, metallorumque foſſores, & cæteri duro operi mancipati haberent cibos, quibus fortitudo corporum eſt neceſſaria; qui portant arma & cibaria, qui pugnis & calcibus ſua inuicem membra debilitant; qui remos trahunt; quorum lateres ad clamandum, dicendumque ſunt valida, qui ſubuertunt montes, & ſub dio & imbribus dormiunt. *Diſſimilitudo perfecti Chriſtiani et athletæ, militis ſeu foſſorum.* Cæterùm noſtra religio non πύκτην, non athletam, non nautas, non milites, non foſſores, ſed ſapientiæ erudit ſectatorem; qui ſe Dei cultui dedicauit; & ſcit, cur ſit creatus, cur verſetur in mundo, quò abire feſtinet, vnde & Apoſtolus loquitur: Quando infirmor, tūc fortior ſum. *2. Cor. 12.* Et, Si exterior noſter homo corrūpitur, ſed interior renouatur de die in diē. *2. Cor. 4.* Et: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. *Philip. 1.* Et: carnis curam ne feceritis in deſiderijs. *Roman. 13.* Nunquid omnibus præceptum eſt, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, æs in zona, virgam in manu, calciamentum in pedibus; *Matt. 10. c.* vt vendant vniuerſa, quæ habent, dentque pauperibus, & ſequantur Ieſum? ſed de ijs vtique, qui volūt eſſe perfecti, alioquin à Ioanne Baptiſta aliud præcipitur militibus, aliud publicanis. *Luc. 3.* Dominus autem dicit in Euangelio ad eum, qui ſe iactauerat legis vniuerſa compleſſe: Si vis perfectus eſſe, vade & vende vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ne graue onus nolenti videretur imponere, in propria audientis voluntate demiſit, dicēs: Si vis perfectus eſſe. Quamobrem & ego tibi dicam: Si vis perfectus eſſe, bonum eſt vinum non bibere, & carnem non manducare. Si vis eſſe perfectus, melius eſt ſaginare animam, quàm corpus. Si autem adhuc paruulus es, & coquorum iura te delectant; nemo eripet faucibus tuis eſculentas dapes. Manduca & bibe: & ſi tibi placet, cum Iſrahele lude conſurgens & canito: manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *1. Cor. 15.* Manducet & bibat, qui poſt cibos expectat interitum: qui cum

*1.Cor. 6.* Epicuro dicit: poſt mortem nihil eſt, & mors ipſa nihil. Nos Paulo credimus intonanti: Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem hunc & illam deſtruet. *Tomo ſecundo, libro ſecundo capite quinto aduerſus Iouinianum.*

*Vide latè Tertullianũ de ieiunijs contra Phyſicos, c. 2. & paßim quem imitatur B. Hieronymus vide in iſtũ librum Tertulliani annotationes Pamelij.*

### *Articulus VIII. Manichæos & Hæreticos idem olim Catholicis obiecisse, quod nunc à recentioribus Hæreticis obijcitur, & quid eis Hieronymus reſponderit.*

*1.Tim. 4.*
*Deſignat Marcionẽ et Tatianũ non Catholicos.*

REPROBAT quidem Apoſtolus eos, qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abſtinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: ſed Marcionem deſignat & Tatianum, & cæteros Hæreticos, qui abſtinentiam inducunt perpetuam, ad deſtruenda & contemnenda, & abominanda opera creatoris. Nos autem & omnem Dei creaturam laudamus; & maciem ſaginæ, & abſtinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus ſaturitati. Vir quippe in laboribus laborat ſibi, & vim facit in interitum ſuum. Et à diebus Ioannis Baptiſtæ, ieiunatoris & virginis, regnum cęlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. *Matth. 11.* Timemus enim, ne ab aduentu æterni iudicis, ſicut in diebus diluuij, & euerſionis Sodomæ, & Gomorræ, deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes; *Luc. 17.* nam & diluuium, & ignis de cœlo, ſaturitatem pariter & nuptias, quas deleret, inuenit, nec mirum ſi omne, quod in macello venditur, Apoſtolus Paulus emi iubeat, & comedi: *2.Cor. 10:* *Paulus cum ſuſtulit delectum ciborũ contra Iudaizantes eſt loquutus.* cum idololatris, adhuc in templis idolorum quaſi idolothyta veſcentibus, pro ſumma abſtinentia fuerit, cibis tantùm abſtinere gentilium. Quod ſi loquitur ad Romanos: *Rom. 14.* Is qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem nõ iudicet: non inter ieiunia & ſaturitatem æqualia merita diſpenſat; ſed contra eos loquitur, qui in Chriſtum credentes, adhuc Iudaizabant; & eos, qui ex gentibus crediderant, monet, vt ne ſcandalizent illos cibo ſuo, qui adhuc in fide erant infirmiores. Denique in conſequentibus hoc ipſum ſonat. Scio & confido in Domino Ieſu, quod nihil commune per ſeipſum eſt, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt, ſi enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo eſt Chriſtus mortuus. *Rom. 14.* *De ſuperſtitione Iudaica loquitur.* Non ergo blaſphemetur nomen noſtrum. Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus. Ac ne quis putaret hoc de ieiunijs dici, & non de ſuperſtitione Iudaica, ſtatim ediſſerit: Alius credit manducare omnia, qui autem infirmus eſt, holera manducat. Et rurſum: Alius iudicat diem plus, quàm diem, alius iudicat omnem diem. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Domino ſapit: & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo, & qui non mãducat Domino non manducet, & gratias agit Deo. Qui enim adhuc infirmi erant in fide; & alias carnes mundas, alias arbitrabantur immundas; & inter diem & diem aliquid eſſe exiſtimabant verbi gratia, ſanctius eſſe ſabbathum, & neomenias, & ſcenophegiam, quam reliquos dies; *Reſpondet ad alteram obiectionem, quæ erat ex Scripturis cõglomeratis.* iubentur holera manducare, quæ indifferẽter comeduntur ab omnibus, qui verò firmioris erant fidei; omnes carnes, & omnes dies æquales eſſe credebant. Illud autem quod proponere aduerſarius auſus eſt, Dominum voratorem & potatorem vini à Phariſæis appellatum, *Matt. 11.* & quia ad epulas ierit nuptiarum, *Ioan. 2.* & conuiuia non deſpexerit peccatorum, exiſtimo quod nobiſcum faciat. Iſte eſt Dominus, vt arbitraris, vorator: *Matt. 4.* qui quadraginta diebus Chriſtianorum ieiunium ſanctificauit: qui beatos appellat eſurientes & ſitientes: qui eſcam habere ſe dicit, non quam diſcipuli ſuſpicabantur, ſed quæ in perpetuum non periret: qui de die craſtino cogitare prohibet: qui cum eſuriſſe & ſitiſſe dicatur, & iiſſe frequenter ad prandia, excepto myſterio, quod in typum ſuæ paſſionis expreſſit; *Matt. 20.* *Luc. 16.* & probandi corporis veritate, nec gulæ ſcribitur ſeruiſſe, nec ventri: qui diuitem purpuratum propter epulas narrat in tartaro, & Lazarum pauperem ob inediam dicit eſſe in ſinu Abrahæ: qui quando ieiunamus, *Matt 6.* *Luc. 24.* vngi caput, & lauari faciem præcipit; vt non gloriæ hominum, ſed Domino ieiunemus: qui comedit quidem poſt reſurrectionem partem piſcis aſſi, & fauum, non propter eſuriem, & gutturis ſuauitatem, *Matt. 5.* ſed vt veritatem ſui corporis comprobaret, nam quotieſcunque mortuum ſuſcitauit, iuſſit ei dari manducare, ne reſurrectio phantaſma putaretur. Et Lazarus, poſt reſurrectionem, ob hanc cauſſam ſcribitur, cum Domino iniſſe conuiuium. Nec hoc dicimus, quod negemus piſces, & cætera, ſi voluntas fuerit in cibo eſſe ſumenda: ſed quomodo nuptijs virginitatem, ita ſaturitati & carnibus ieiunia ſpiritumque pręferimus. *Vt nuptijs virginitatẽ: ſic carnibus & ſaturitati ieiunia præferimus.* Si autem Petrus hora ſexta pranſurus, *Act. 10.* aſcendit in cœnaculum, fortuita eſuries non facit præiudicium ieiuniorum, hoc enim modo & Dominus, quia ad puteum Samariæ hora ſexta feſſus reſedit, & bibere voluit, omnibus incumbet neceſſitas, velint nolint, hoc tempore bibendi. Potuit autem fieri, vt vel ſabbathum eſſet, vel dies Dominicus; & poſt bidui triduique ieiunium, hora ſexta eſurierit, nunquam enim crediderim, Apoſtolum, ſi ante vnam diem cœnauerat, epuliſque diſtentus fuerat, alterius die eſuriſſe meridie, quod ſi cœnauit pridie, & ſequenti die eſuriuit ante prandium: non exiſtimo, quod vſque ad ſatietatem comederit, qui tam citò potuit eſurire. Porrò, ſi per Eſaiam loquitur Deus, *Eſaiæ 58.* *Eſaias nõ reprobat ieiunium ſed qualitatem veri ieiunij oſtendit.* quod non tale ieiunium elegerit, dicens: In diebus ieiuniorum veſtrorum inueniuntur voluntates veſtræ; & ſubiectos percutitis; & in iudicia, & in lites ieiunatis, & cæditis pugnis: non tale ieiunium elegi dicit Dominus, quale elegerit docet. Frange eſurienti panem tuum, & pauperes ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti et domeſticos ſeminis tui ne deſpicias. Non igitur ieiunium reprobauit, ſed quale vellet, oſtendit. Neque enim ventris eſuries accepta eſt Deo, quàm lites, & rapinæ, & luxuria deſtruunt. Si non vult ieiunium Deus, *Ieiunij neceſſitas & vtilitas probatur ex ſacris literis.* quomodo in Leuitico præcipit, vt ſeptimo menſe, decima menſis, omnis populus ieiunet vſque ad veſperam; & qui non afflixerit animam ſuam, moriatur, & exterminetur de populo ſuo? *Leuit. 16.* Quare ſepulchra concupiſcentiæ, vbi carnibus deditus populus ruit, vſque hodie in ſolitudine perſeuerant? Et craſſus populus ortygometram ſcribitur ad choleram vſque ructaſſe? *Num. 11.* Cur homo Dei ad cuius Prophetiam manus aruerat Regis Hieroboam; *3. Reg. 13.* quia manducauit contra edictum Dei, ilicò percuſſus eſt; & leo, qui aſinam reliquit intactam Prophetæ



prophetæ leuanti ſe de prandio non pepercit? Qui ieiunus miracula fecerat, pranſus ilicò ſaturitatis pœnas luit. Sed & Ioël clamitat: Sanctificate ieiunium: prædicate curationem; vt monſtraretur ieiunium ſanctificari cæteris operibus, & ſanctificatum ieiunium, curationi proficere peccatorum, quomodo autem virginitati veræ non præiudicat imitatio virginum diaboli: *Ficta & falſa ac diabolica veris nõ præiudicant.* ita nec veris ieiunijs cum Coſſorum Iſidis, & Cybelis, & quorundam ciborum in æternum abſtinentia; maximè cum apud illos ieiunium panis, ſagina carnium compenſetur. Et ſicut ſigna quæ faciebat Moyſes, *Exod. 7.* imitabantur ſigna Aegyptiorum, ſed non erant in veritate: nam virga Moyſi virgas Magorum deuorabat: ita per omnia, quæ in æmulationem Dei facit Diabolus, non religionis noſtræ ſuperſtitio, ſed noſtra arguitur negligentia, id nolentium facere, quod bonum eſſe, etiam ſæculi homines non ignorant. *Tom. 2. lib. 2. contra Iouinianum cap. 11.*

## *Caput Sextum. De cœlibatu.*

### *Articulus I. Bonam eſſe caſtitatem coniugum, meliorem viduarum, optimam verò virginum.*

*Vita angelica in carne ſine carne viuere.*

NVTRIATVR in Monaſterio, ſit inter virginum choros, iurare nõ diſcat, mentiri ſacrilegium putet: neſciat ſæculum, viuat angelicè, ſit in carne ſine carne, omne hominum genus ſui ſimile putet. Et, vt cætera taceam, certè te liberet ſeruandi difficultate, & cuſtodiæ periculo. Melius tibi eſt deſiderare abſentem, quam pauere ad ſingula, quid loquatur, cum quo loquatur, cui annuat, quem libenter aſpiciat. Trade Euſtochio paruulam, cuius nunc & ipſe vagitus pro te oratio eſt, trade comitem ſanctitatis, futuram hæredem, illam videat, illam amet, illam primis mereatur ab annis, cuius & ſermo & inceſſus & habitus doctrina virtutum eſt. Sit in gremio auiæ, quæ repetat in nepte, quidquid præmiſit in filia, quæ longo vſu didicit nutrire, ſeruare, docere virgines, in cuius coronam centenarij quotidie numeri caſtitas texitur. Felix virgo, fœlix Paula Toxotij, quę per auię amitęq; virtutes nobilior eſt ſãctitate, quam genere. O ſi tibi contingeret videre ſocrum & cognatam tuam, & in paruis corpuſculis ingentes animos intueri: pro inſita tibi pudicitia non ambigerem, quin præcederes filiam, & primam Dei ſententiam ſecunda Euangelij lege mutares: *Prima ſentẽtia Dei ſecũda Euangelij lege mutata.* nec tu paruipenderes aliorum deſideria liberorum, ſed teipſam magis offerres Deo. Sed quia tempus eſt amplexandi, & tempus longe fieri à complexibus, *Eccle. 3.* *1.Cor. 7.* & vxor non habet poteſtatem corporis ſui, & vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat in Domino, & qui ſub iugo eſt, ita debet currere, ne in luto comitem derelinquat: totum redde in ſobole quod interim diſtuliſti. *1. Reg. 1.* *Tomo primo Epiſtol. 7. ad Lætam capite ſexto.*

AVDI Apoſtolum commonentem: *1. Tim. 5.* Vidua eligatur non minus annorum ſexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor, in bonis operibus habens teſtimonium, ſi filios educauit, ſi hoſpitalis fuit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi afflictis abundanter præbuit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. *Vidua poſſidet ſecundũ pudicitiæ gradum.* Didiciſti cathalogum virtutum tuarum, quid debeas nomini tuo, quibus meritis ſecundum pudicitiæ gradum poſſideas. *Tom. 1. Epiſtola nona ad Saluiam capite quarto.*

NESCIAT vidua digamiæ indulgentiam, nec nouerit illud Apoſtoli, Melius eſt nubere, quàm vri. *1. Cor. 7.* Tolle quod prius eſt, vri & per ſe bonum nõ erit, nubere. Procul ſint hæreticorum calumnię. *Heb. 13.* Scimus honorabiles nuptias, & cubile immaculatum. *Gen. 3.* Etiam de Paradyſo expulſus Adam vnã, vxorem habuit. Primus Lamech maledictus, & ſanguinarius, *Gen. 4.* & de Cain ſtirpe deſcendens, vnam coſtam diuiſit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluuij pęna ſubuertit. Vnde illud Apoſtoli, quod fornicationis metu indulgere compellitur, ſcribens ad Timotheum: *1. Tim. 5.* Volo adoleſcentulas nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti cauſa. *Viduitatis præſtãtiam.* Cur indulſerit ſtatim ſubijcit: Iam enim quædam declinauerunt poſt ſathanam. Ex quo intelligimus, illum non ſtantibus coronam, ſed iacentibus manum porrigere. Vide, qualia ſunt ſecunda matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur, quia declinauerunt quædam poſt ſatanam. Ideo adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam diabolum. Pulchra nimirum & appetenda res quæ ſatanæ comparatione ſuſcipitur. Fornicata eſt quondam & Hieruſalem, & diuaricauit pedes ſuos omni tranſeunti. In Aegypto primum deuirginata eſt, & ibi fractæ ſunt mammæ eius. *Exod. 32.* Cumque ad deſerta veniſſet & morarum Moyſi ductoris impatiens, quaſi oſtro libidinis furibunda dixiſſet: *Ezech. 20.* Iſti ſunt dij tui Iſrahel, qui te eduxerunt de terra Aegypti: accepit præcepta non bona, & iuſtificationes peſſimas, in quibus non viueret, ſed puniretur. *Viduis ex indulgẽtia alia matrimonia conceduntur non ex præcepto.* Quid ergo mirum, ſi & laſciuientibus viduis, de quibus in alio loco Apoſtolus dixerat: Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt? conceſſit bigamiæ præcepta non bona & iuſtificationes peſſimas, ita ſecundum indulgens maritum, vt & tertium, ſi liberet etiam viceſimum: vt ſcirent ſibi non tam viros datos quam adulteros amputatos? Hæc, filia in Chriſto chariſſima, inculco, & crebrius repeto, vt poſteriorum oblita, in priora te extendas, habens tui ordinis quas ſequaris, Iudith de hebræa hiſtoria, *Iudith. 9.* *Luc. 2.* & Annam filiam Phanuelis de Euangelij claritate, quæ diebus ac noctibus verſabantur in templo, & orationibus atque ieiunijs theſaurum pudicitiæ conſeruabant, vnde & altera in typo Eccleſiæ, diabolum capite truncauit, altera Saluatorem mundi prima ſuſcepit, ſacramentorum conſcia futurorum. *Tomo 1. Epiſt. nona ad Saluiam cap. 6.*

VOLVMVS ſcire, quales eſſe debeant viduæ. *Luc. 2.* Legamus Euangelium ſecundũ Lucam: Et erat inquit, Anna propheiſſa, filia Phanuelis de tribu Aſer. Anna interpretatur gratia: Phanuel in lingua noſtra reſonat, vultũ Dei: Aſer, vel in beatitudinem, vel in diuitias vertitur. *Quales eſſe debeant viduæ.* Quia igitur ab adoleſcẽtia vſq; ad octoginta quatuor annos viduitatis onus ſuſtinuerat, & non recedebat de tẽplo, dieb. ac noctibus inſiſtens ieiunijs, & obſecrationibus, idcirco meruit gratiam ſpiritualem, &

nuncupari filia vultus Dei, & ataui beatitudine
*3.Reg.17.* diuitijſque cenſeri. Recordemur viduæ Sarepta-
nȩ, quæ & ſuæ, & filiorum ſaluti, heliæ prætulit
famem, vt in ipſa nocte moritura cum filio ſuper
ſtitem hoſpitem relinqueret, malens vitam per-
dere, quam elæmoſynam, & in pugillo farinæ,
ſeminarium ſibi meſſis dominicæ præparauit.
*Ioan.12.* Farina ſeritur, & olei capſaces naſcitur. In Iudæa
frumenti eſt penuria. granũ enim tritici ibi mor-
tuum fuerat, & in gentium vidua olei fluenta ma
*Iudith 10.* nabant. Legimus in Iudith (ſi cui tamen placet
volumen recipere) viduam confectam ieiunijs,
& habitu lugubri ſordidatam, quæ non lugebat
mortuum virum, ſed ſqualore corporis, ſponſi
quærebat aduentum. Vide armatam gladio ma-
num, cruentam dexteram. recognoſce caput Ho-
lophernis, de medijs hoſtibus reportatum. Vincit
viros fœmina, & caſtitas truncat libidinẽ: habitu
que repẽte mutato ad victrices ſordes redit, om-
nib. ſȩculi cultibus mũdiores. Quidã imperitè &
*Iud.4.* Deborã inter viduas numerãt, ducemque Barach
arbitrãtur Deboræ filiũ, cum aliud ſcriptura cõ-
memoret. Nobis ad hoc nominabitur, quod pro-
phetiſſa fuerit, & in ordine Iudicum ſupputetur.
Et quia dicere poterat: Quam dulcia gutturi
meo eloquia tua: ſuper mel & fauum ori meo:
*Pſal.118.* Apis nomen accepit, ſcripturarum floribus pa-
*Exẽpla quædam inſigniũ viduarum.* ſta, ſpiritus ſancti odore perfuſa & dulces ambro
ſiæ ſuccos prophetali ore componẽs. Noemi quæ
*Ruth.1.* nobis ſonat παρακεκλημένη, quam interpretari
poſſumus, conſolatã. marito & filijs peregrè mor
tuis, pudicitiam reportauit in patriam, & hoc ſu-
ſtentata viatico nurum Moabitidem tenuit, vt
*Eſaiæ.16.* illud Eſaiæ vaticinium compleretur: Emitte ag-
num Domine dominatorem terræ, de petra de-
*Luc.21.* ſerti ad montem filiæ Sion. Venio ad viduam de
*Marc.12.* Euangelio, viduam pauperculam, omni Iſrahe-
*Luc.13.* litico populo ditiorem, quæ accipiens granum
Sinapis & mittens fermentum, in farinæ ſatis tri-
bus, patris & filij confeſſionem ſpiritus ſancti gra
tia temperauit, & duo minuta miſit in gazophila
ciũ id eſt, quicqd habere poterat in ſubſtantia ſua
vniuerſaſq; diuitias in vtroq; fidei ſuæ obtulit te
ſtamento. Hæc ſunt duo Seraphin ter glorificã-
tia trinitatem & in theſauros Eccleſiæ condita.
*Eſaiæ.6.* Vnde & forcipe vtriuſq; teſtamenti, ardens car-
bo comprehenſus, Purgat labia peccatoris. Quid
vetera repetam, & virtutes fœminarum de libris
proferam, cum poſſis multas ante oculos tibi pro
*Comparatio, viduæ Marcellæ et Annæ.* ponere in vrbe, qua viuis, quarum imitari exem-
plum debeas? Et ne videar adulatione per ſingu-
las currere, ſufficit tibi ſancta Marcella, quæ reſ-
*Luc.2.* pondens generi ſuo, aliquid nobis de Euangelio
retulit. Anna ſeptem annis à virginitate vixerat
cum marito, iſta ſeptem menſibus. Illa CHRISTI
expectabat aduentum, iſta tenet, quem illa ſuſce-
perat. Illa vagientem canebat: iſta prædicat tri-
umphantem. Illa loquebatur de eo omnibus qui
expectabant redemptionem Iſrahel: hæc cũ re-
demptis gentib. clamitat. Frater non redimit re-
*Pſalm.48.* dimet homo. Et in alio Pſalmo. Homo natus eſt
*Pſalm 86.* in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Scio me an-
te hoc ferme biennium edidiſſe libros contra
Iouinianum, quibus venientes è contrario quæ-
ſtiones, vbi Apoſtolus concedit ſecunda matri-
monia, ſcripturarum auctoritate contriui. & nõ
eſt neceſſe eadem ex integro ſcribere, cum poſſis
inde, quæ ſcripta ſunt, mutuari. *Tom.1. Epiſtol.10. ad Furiam cap.6.*

IN vetere via nouam ſemitam quærimus, &
in antiqua detritaq; materia rudem artis excogi-
tamus elegantiam: vt nec eadem ſint, & eadem
ſint. Vnum iter & perueniendi quo cupias mul-
ta compendia. Sæpè ad viduas ſcripſimus in ex
hortationem earum multa de ſcripturis ſanctis
exempla repetentes. Varios teſtimoniorũ flores
in vnam pudicitiæ coronam texuimus. Nunc ad
Ageruchiam nobis ſermo eſt, quæ, quodam va- *Frequens exhortatio viduitatis in B. Hieronymo.*
ticinio futurorum, ac Dei præſidentis auxilio,
nomen accepit. quam auiæ, matris, amitæque,
probatarum in Chriſto fœminarum nobilis tur-
ba circumſtat: quarum auia Metronia, per qua- *Luc 2.*
draginta annos vidua perſeuerans, Annam no-
bis filiam Phanuelis de Euangelio retulit. Be-
nigna mater, quartum & decimum viduitatis
implens annum, centenario virginum choro
cingitur. Soror Celerini patris Ageruchia, quæ
paruulam nutriuit infantem, & in ſuo natam
ſuſcepit gremio per annos viginti mariti ſola-
tio deſtituta, erudit neptem, docẽs quod à matre
didicit. Hæc breui ſermone perſtrinxi, vt oſten-
dam adoleſcentulã & eam nõ præſtare monoga-
miã generi ſuo, ſed reddere, nec tam laudandam
eſſe, ſi tribuas, quam omnibus execrandam, ſi ne-
gare tentauerit, præſertim cum poſthumus eius
Simplicius nomen patris referat, & nulla ſit ex-
cuſatio deſertæ ac ſine hærede domus, ſub quo-
rum patrocinio interdum ſibi libido blanditur,
vt quod propter intemperantiam ſuam faciunt,
videantur facere deſiderio liberorum. Sed quid
ego quaſi ad retrectantem loquor cum audiam
eam multos palatij proceres Eccleſiæ vitare præ- *Obiectio propoſita ex Paulo refellitur.*
ſidio, quos certatim Diabolus inflammat vt vi-
duæ noſtræ caſtitatem probent, quam & nobili-
tas & forma, & ætas, & opes faciunt cunctis appe-
tibilem, & quanto plura ſunt quæ impugnant
pudicitiam, tanto victricis maiora ſunt præmia?
Et quia nobis de portu egredientibus quaſi qui-
dam ſcopulus opponitur, ne poſſimus ad pelagi
tuta decurrere, & Apoſtoli Pauli ſcribẽtis ad Ti- *1.Tim.5.*
motheum profertur auctoritas, in qua de viduis
diſputãs, ait: Volo autẽ iuniores nubere, filios p-
creare, matres familias eſſe, nullam occaſionẽ da-
re aduerſario, maledicti gratia: iã enim retro ab-
ierunt poſt ſathanam: oportet primum ſenſum
tractare præcepti, & omnem loci huius continen
tiam diſcutere, atque ita Apoſtolicis veſtigijs in-
ſiſtentem, ne tranſuerſum quidem vt dici ſolet,
vnguem in partem alteram declinare. Supra ſcri
pſerat, qualis vidua eſſe deberet: vnius viri vx-
or quæ liberos educauit, quæ in bonis operibus
habuit teſtimonium, quæ tribulatis de ſua ſub- *Contraria cõſilia Pauli, ſed de diuerſo genere viduarum.*
ſtantiola ſubminiſtrauit, cuius ſpes Deus eſt, &
quæ permanet in obſecratione & orationib. no-
cte & die. Poſt quȩ iungit cõtraria. Quȩ autem in
delicijs eſt, viuens mortua eſt. Statimque infert,
vt diſcipulum ſuum muniat omni arte doctri-
næ: Adoleſcentiores autem viduas deuita: quæ
cum laſciuierint in CHRISTO, nubere volunt,
habentes damnationẽ quod primam fidem irri-
tam fecerunt. Propter has igitur, quæ fornicatæ
ſunt in iniuriam viri ſui Chriſti (hoc enim κα-
ταςρηνιάσωσιν Græcus ſermo ſignificat) vult Apo
ſtolus alterum matrimonium, præferens digami
am fornicationi, ſecundũ indulgentiã duntaxat,
non ſecundum imperiũ. Simulq; ſingula teſtimo
nij verba tractanda ſunt. Volo inqt, adoleſcẽtu-
las nubere. Cur quȩſo? qa nolo adoleſcẽtulas for-
nicari.



nicari. Procreare filios, quam ob cauſam? Ne me-
tu partus ex adulterio filios necare cogãtur. Ma-
tres familias eſſe. Quare obſecro? Quia multo to-
lerabilius eſt, digamam eſſe, quam ſcortum, & ſe-
cundum habere virum quã adulteros plures, in
altero enim miſeriarũ conſolatio, in altero pœna
peccati eſt. Sequitur: Nullam occaſionẽ dare ad-
uerſario maledicti gratia, in quo breui accincto-
que præcepto multa ſimul monita continẽtur.
Ne propoſitũ viduæ exquiſitior cultus infamet.
Ne oculorũ nutibus & hilaritate vultus iuuenũ
poſt ſe greges trahat. Ne aliud verbo, aliud habi-
tu polliceatur, & conueniat ei verſiculus ille vul
gatus: Riſit, & arguto quiddam promiſit ocello.
Atq; vt omnes nubendi cauſas breui ſermone cõ
cluderet, cur hoc præcepiſſet, oſtendit dicens: Iã
enim quædam abierunt retro poſt ſathanam. *To.*
*Monogamia præfertur digamiæ.* *1. Epiſt.11.ad Ageruchiam cap.1.*

QVID igitur? Damnamus ſecunda matrimo-
nia? minime, ſed prima laudamus. Abijcimus de
*Geneſ.7.* Eccleſia digamos? Abſit: ſed monogamos ad cõ-
tinentiam prouocamus. In arca Noë non ſolum
*2.Tim.2.* munda ſed & immunda fuerunt animalia. habu
it homines, habuit & ſerpentes. In domo quoque
magna vaſa diuerſa ſunt: alia in honorem, alia in
*Matt.13.* contumeliam, eſt & crater ad bibendũ, & eſt ma-
tula ad ſecretiora naturæ. Nam cum in ſemente
terræ bonæ, centeſimum & ſexageſimum & tri-
*Primus virginitatis gradus, alter viduitatis, tertius nuptiarum.* geſimum fructum, Euangelia doceant, & cen-
tenarius pro virginitatis corona, primum gradũ
teneat, ſexagenarius pro labore viduarum, in ſe-
cundo ſit numero, tricenarius fœdera nuptia-
rum ipſa digitorum coniunctione teſtetur: di-
gamia in quo erit numero? immò extra nume-
rum, certe in bona terra non oritur, ſed in vepri
bus, & ſpinetis vulpium, quæ Herodi impijſſimo
comparantur, vt in eo ſe putet eſſe laudabilem,
ſi ſcortis melior ſit, ſi publicarum libidinum vi-
*Mat 15.* ctimas ſuperet, ſi vni ſit proſtituta non pluribus.
*Officiũ Hieronymi apud Damaſum præeſſe chartis eccleſiaſticis, et ſynodicis conſultationib. reſpondere.* Rem dicturus ſum incredibilem, ſed multorum
teſtimonijs approbatam. Ante annos plurimos,
cum in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum
Romanæ vrbis Epiſcopum, & orientis atque oc-
cidentis ſynodicis conſultationibus reſponde-
rem, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum è ple-
be hominum comparata, vnum qui viginti ſe-
peliſſet vxores, alteram quæ viceſimum ſecun-
dum habuiſſet maritum, extremo ſibi, & ipſi pu-
tabant, matrimonio copulatos, ſumma omni-
um expectatio, virorum pariter & fœminarum,
poſt tantas rudes quis quem prius offerret: vicit
maritus, & totius vrbis populo confluente coro-
natus & palmam tenens, adoreamque per ſingu-
los ſibi acclamantes, vxoris multinubȩ feretrum
*Ioan.4.* præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? nem-
pe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti
duos habuiſti maritos, & iſte, à quo ſepelieris nõ
eſt tuus. Itaque obſecro te religioſa in Chriſto
filia, vt teſtimonia iſta non noueris, quibus in-
continentibus & miſeris ſubuenitur, ſed illi po-
*Adhortatio ad ſeruandã viduitatem.* tius lectites, quibus pudicitia coronatur. Suffi-
cit tibi, quod primum perdidiſti virginitatis gra
dum, & per tertium veniſti ad ſecundum, id eſt,
per officium coniugale ad viduitatis inconti-
nentiam. Extrema immò abiecta, ne cogites: nec
aliena & longe poſita exempla perquiras. habes
*1.Cor.6.* auiam, matrem & amitã, quarum tibi abundans
imitatio atque doctrina, & præcepta viuẽdi nor-
ma virtutũ eſt. Si enim multæ in coniugio viuen
tibus adhuc viris intelligunt illud Apoſtoli: O- *Matt.19.*
mnia licent, ſed non omnia expediunt & caſtrãt
ſe propter regna cælorum, vel à ſecunda natiuita
te poſt lauacrum ex conſenſu, vel poſt nuptias
ex ardore fidei: cur vidua quæ iudicio Dei virũ
habere deſijt, non illud lætabunda congeminet: *Iob.1.*
Dominus dedit, Dominus abſtulit: & oblatã oc-
caſionem arripiat libertatis, vt ſui corporis habe-
at poteſtatem, nec rurſum ancilla fiat hominis?
Et certè multo laborioſius eſt, non frui eo, quod
habeas, quam deſiderare quod amiſeris. Vnde &
virginitas in eo facilior eſt, quod carnis incenti-
ua non nouit, & viduitas in eo ſolicitior, quod
prȩteritas animo recolit voluptates, maxime ſi ſe
virum putet perdidiſſe, nõ præmiſiſſe, quorũ al-
terum doloris, alterum gaudij eſt. *Tom.1 Epi.11.ad Ageruchium cap 3.*

PRIMI hominis creatura nos doceat, plures *Monogamia ſuadetur & digamia diſſuadetur.*
nuptias refutare. Vnus Adam & vna Eua, immò
vna ex eo coſta, ſeparatur in fœminam. rurſum-
que quod diuiſum fuerat, nuptijs copulatur, di- *Matt.19.*
cente ſcriptura: Erunt duo in carnem vnam: nõ
in duas, nec in tres. Propter quod relinquet ho-
mo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.
certè non vxoribus. Quod teſtimonium Paulus
ediſſerens, ad Chriſtum refert, & ad Eccleſiam,
vt primus Adam in carne, ſecundus in ſpiritu mo
nogamus ſit. Sit vna Eua, mater cunctorum vi- *Ephe.5.*
uentium, & vna Eccleſia, parens omniũ Chriſtia- *Geneſ.4.*
norum. Sicut illam maledictus Lamech in duas
diuiſit vxores: ſic hanc hæretici in plures Eccle- *Apoc.2.*
ſias lacerant, quæ iuxta Apocalypſim Ioannis
ſynagogȩ magis Diaboli appellandæ ſunt quam *Cant.6.*
Chriſti conciliabula. Legimus in carminum li-
bro: Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concu-
binæ, & adoleſcentulæ, quarum non eſt nume-
rus. Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt
matri ſuæ, electa genetrici ſuæ. Ad quam ſcribit
idem Ioannes Epiſtolam. Senior electæ Domi- *2.Ioan 1.*
næ & filijs eius. Sed & in Arcam, quam Petrus A- *1 Pet.3.*
poſtolus ſub typo interpretatur eccleſiȩ. Noë cũ *Gen.7.*
tribus filijs, ſingulas, non binas vxores introdu-
xit: Etiam de immundis animalibus bina ſumun
tur, maſculus & fœmina: vt ne in beſtijs quidem,
ſerpentibuſque, crocodilis, ac lacertis digamia
habeat locum. Quod ſi de mundis ſeptena po-
nuntur, id eſt, imparia, & in hoc virginitatis ac
pudicitiæ palma monſtratur. Egreſſus enim de *Gen.8.*
arca Noë, DEO victimas immolauit: non vti-
que de pari, ſed de impari numero, quia alterum
fetibus, atque coniugio, alterum ſacrificio prȩpa
ratum eſt. Atqui Patriarchȩ non ſingulas habue-
runt vxores, imo & cõcubinas habuere plurimas.
Et ne hoc parum ſit: Dauid multas, & Salomon
habuit innumerabiles. Iudas ad Thamar, quaſi *1.Reg.25.*
ad ſcortum, ingreditur. Et iuxta occidentem lit- *3 Reg.11.*
teram. Oſee propheta non ſolum meretrici, ſed *Gen.38.*
etiam adulteræ copulatur. Quod ſi & nobis iure *Oſee 1.*
conceditur: Adhinniamus ad omnes fœminas, &
in exemplũ Sodomæ, & Gomorræ ab vltimo die *Matt.24.*
deprehẽdamur vendentes & emẽtes, nubentes &
nuptui tradentes: vt tũc ſit finis cõiugij, quando
terminus vitȩ. Quod & ſi poſt diluuiũ & ante di- *Gen.1.8.*
luuiũ viguit iſta ſententia: Creſcite & multipli-
camini, & replete terrã: quid ad nos: in quos fines
ſæculorum decurrerunt, quib. dicitur: Tempus *1.Cor.7.*
breue eſt, & iam ſecuris ad radices arborum po- *Matt.3.*
ſita eſt. quæ ſyluam legis & nuptiarum Euange-
lica caſtitate ſuccidat; Tẽpus amplexãdi, & tẽpus
longe

longe fieri ab amplexibus. Hieremias captiuitate *Eccle. 3. Hier. 16.* propinqua, vxorem prohibetur accipere. Ezechiel in Babylone. Mortua eſt, inquit, vxor mea, *Ezech. 24.* & apertum eſt os meum. Nec ducturus vxorem, nec ille qui duxerat poſſunt in opere coniugali *Pſal. 143.* liberè prophetare. Olim gloriæ erat, illum audire verſiculum. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, *2. Corint. 6.* in circuitu menſæ tuæ. Et videas filios filiorum *Pſalm 61.* tuorum. nunc de continentibus dicitur: Qui ad-*Exod. 21.* hæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Et adhæſit ani-*Matt. 5.* ma mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua. Tunc oculum pro oculo; nunc verberanti maxillā præ-*Pſalm 44.* bemus & alteram. Illo tempore bellatoribus di-*Ioan. 18.* *Matt 26.* cebatur: Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuū potentiſsime: modo audit Petrus: Conde gladiū *Lex & Euāgelium non ſeparanda.* tuum in vaginam, qui enim gladio percutit, gladio morietur. Hæc dicimus non ſeparātes legem & Euangelium, vt Marcion calumniatur: ſed vnum atque eundem ſuſcipientes Deum, qui pro varietate temporum atque cauſarum Principiū & finis: ſerit vt metat: plantat vt habeat quod ſuccidat: iacit fundamentum, vt ædificationi conſummato ſæculo culmē imponat. Alioquin ſi ad ſacramēta veniamus, & futurorum typos, nō noſtro arbitrio, ſed Apoſtolo diſſerēte cōſiderem⁹. *Gal. 4.* Agar & Sara, vel mōs Sina & Sion duo teſtamen-*Gen. 29.* ta ſignificant. Lia lippientibus oculis, & Rachel, *1. Reg 1.* quam Iacob amabat plurimum, ſynagogā Eccle-*Gen. 25.* ſiamque teſtantur. Vnde & Anna prius ſterilis, Fenennæ vbertate fecundior eſt. Licet monogamia nos in Iſaac & Rebecca præceſſerit: cuius ſo-*Gen. 38.* lius partus Domini reuelatio eſt. Nec vlla alia fœminarū Deum per ſeipſam cōſulit. Quid loquar de Thamar, quę Saram & Phares geminos fudit infantes, in quorū natiuitate diuiſa maceria duos populos ſeparauit, & ligata manus coccino, cōſci-*Oſee. 1.* entiam Iudæorum iam tunc Chriſti paſſione reſperſit. Ac de ſcorto prophetico? cuius ſimilitudo Eccleſiam ſignificat de gentibus congregatā, vel quod ipſi loco magis conuenit, ſynagogam primū aſſumptam de idololatris per Abrahamū: & Moyſen, poſt deinde adulterium & negationem Saluatoris ſedentem plurimo tempore ſine altari, ſacerdotib. ac prophetis, & viri priſtini cōſortium præſtolantem, vt poſtquam ſubintraue-*Rom. 21.* rit plenitudo gentiū, tūc omnis Iſrahel ſalu⁹ fiat. Quaſi in breui tabella latiſſimos terrarum ſitus oſtendere volui, vt pergam ad alias quæſtiunculas: quarum prima de Annæ conſilio eſt. Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta? Nec dulces natos Veneris nec præmia noris? Id cinerem aut manes credis curare ſepultos? Cui breuiter reſpondeat ipſa quæ paſſa eſt: Tu lachrymis euicta meis, tu prima furentem, His germana malis oneras, atque obijcis hoſti. Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam, Degere more feræ, tales nec tangere curas. Non ſeruata fides cineri promiſſa Sichæi. *Ibid. Epiſt. 11. cap. 4.*

SED abſit, vt de te talia ſentiā, vt ſiniſtrū quippiam ſuſpicer de ea, quæ ſuam Domino animā *1. Tim. 5.* conſecrauit. Non tam tibi quam ſub tuo nomine *Epheſ 3.* alijs ſum locutus quæ otioſè, & curioſè atq; verboſè domos circumeunt matronarum: quarum Deus venter eſt, & gloria in cōfuſione earum, q̄ nihil aliud de ſcripturis, niſi digamiæ præcepta nouerunt: q̄ in alieno corpore ſua deſideria conſolantur, vt q̄ ipſe fecerunt, alias facere videāt & malarum ſocietate palpentur, quarū cum impudentiam, & propoſitiones Apoſtol. ſententiarum interpretatione contriueris, legito quo modo tibi in viduitate ſeruanda viuendum ſit, librū ad *Epiſtolæ Hieronymi legēdæ de viduitate & virginitate ſeruanda.* Euſtochiū de virginitate ſeruanda, & alios ad Furiā atque Saluinā: quarum altera Probi quondam conſulis nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia eſt, hic libell⁹ de monogamia, ſub nomine tuo, titulum poſſidebit. *Ibid. cap. 7. f.*

PRAETERMITTO, quod in matris vtero benedicitur ei, antequam naſcatur, quod in Phiala nitentis vitri & omni ſpeculo purioris patri virgo traditur per quietem quod adhuc infantię inuoluta pannis, & vix annum decimum ætatis excedens honore futuræ beatitudinis conſecratur. *Hier. 1.* Sit gratiæ omne, quod ante laborē fuit licet Deus *Luc. 1.* præſcius futurorū & Hieremiam ſanctificet in v-*Rom. 1.* tero, & Ioannem in aluo matris faciat exultare & *Vnius cellulæ clauſa anguſtijs latitudine paradiſi fruebatur.* Paulū ante conſtitutionem mundi ſeparet in euāgelium filij ſui. Ad ea venio, quę poſt duodecimū annum ſudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, impleuit. Vnius cellulæ clauſa anguſtijs, latitudine paradiſi fruebatur. *Tom. 1. Epiſtola. 15. ad Marcellam.*

ORBATA patris morte, viro quoq; poſt nuptias ſeptimo menſe priuata eſt. Cumq; eam Cerealis, cuius clarū inter conſules nomē eſt, propter ętatem & antiquitatem familię, & inſignem, quod maximè viris placere cōſueuit, decorem corporis ac morū temperantiā ambitioſus peteret, ſuaſque lōgęuus polliceretur diuitias, & non quaſi in vxorem, ſed quaſi in filiam vellet donationem *Nuptiæ repudiatæ.* transfundere: Albinaq; mater tam clarū pręſidiū viduatę domus vltro appeteret, illa reſpondit. Si vellem nubere, & non æternæ me cuperē pudicitiæ dedicare, vtique maritum quęrerem, non hæreditatem. Illoq; mandante, poſſe & ſenes diu viuere, & iuuenes cito mori, eleganter luſit, iuuenis quidem poteſt cito mori, ſed ſenex diu viuere nō poteſt, qua ſentētia repudiatus, exemplo cæteris fuit, vt eius nuptias deſperarent. Legimus in Euā-*Luc 2.* gelio ſecūdum Lucam. Et erat Anna propheteſſa filia Phanuelis de tribu Aſer: Et hæc prouectæ ætatis in diebus plurimis. Vixeratq; cū viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & erat vidua annis octoginta quatuor, non recedebat de templo ieiunijs & obſecrationibus Domino ſeruiens die ac nocte. Nec mirū ſi videre meruit Saluatorem, quem tanto labore quærebat. Conferamus ſeptem annos ſeptem menſibus, ſperare Chriſtum & tenere, natum confiteri & in crucifixum credere, paruulum non negare, & virum gaudere regnantem. *Tom. 1. Epiſtola 16. ad Principiam cap. 1. Fol. 48. facie prima.*

AB hac primum confuſa gentilitas eſt, dum o-*Chriſtianæ viduæ ſimplex veſtitus, non fucatus.* mnibus patuit, quæ eſſet viduitas Chriſtiana, quā & conſcientia & habitu promittebat. Illæ enim ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretioſiſsima grana ſuſpendere, fragrare muſco mure, maritos ita deplangere, vt tandem do-*1. Pet. 3.* minatu eorum ſe caruiſſe lætentur, quærantque alios, non quibus iuxta Dei ſententiam ſeruiant, ſed quibus imperent. Vnde & pauperes eligunt vt nomen tantum virorum habere videantur, qui patienter riuales ſuſtineant, ſi muſſitauerint ilico proijciendi. Noſtra vidua talibus vſa eſt veſtibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret, aurum vſque ad annuli ſignaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quam



quam in marſupijs recondens. *Ibidem cap. 2.*

*Ab exemplis Euangelicis ſe purgat quod laudibus mulierū immoretur.* RIDEAT forſan infidelis lector, me in mulicrcularum laudibus immorari: qui ſi recordetur ſanctas fœminas, comites Domini Saluatoris, quę miniſtrabant de ſua ſubſtantia, & tres Marias ſtā-*Matt. 27. Ioan. 19. & 20.* tes ante crucem Mariamque propriè Magdalene, quæ ob ſedulitatem & ardorem fidei Turritę nomen accepit, & prima ante Apoſtolos Chriſtum videre meruit reſurgentem ſe potius ſuperbiæ, quam nos condemnabit ineptiarum, qui virtutes nō ſexu, ſed animo iudicamus, contemtęq; no-*Ioan. 18.* bilitatis ac diuitiarū maiorē gloriam ducimus. Vnde & Ieſus Ioannem Euangeliſtam amabat plurimum, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorum inſidias non timebat, in tantum vt Petrū induceret in atrium & ſtaret ſolus Apoſtolorum ante crucem, matremque ſaluatoris in ſua reciperet, vt hæreditatem virginis Domini, virginem matrem filius virgo ſuſciperet. *Ibid. cap. 3.*

VT abſentiam corporum ſpiritus confabula-*Myſteria munerum velatarum virginum.* tione ſolemur, facit vnuſquiſque quod pręualet. Vos dona tranſmittitis: nos Epiſtolas remittim⁹ gratiarum, ita tamē, vt quia velatarum virginum munus eſt, aliqua in ipſis munuſculis eſſe myſteria demonſtremus. Saccus orationis ſignum atq; ieiunij eſt, ſella vt foras pedes virgo non moueat. *Tom. 1. Epiſt. 19. ad Marcellam.*

EXPLOSIS igitur, vt exterminatis his, quę nolunt eſſe virgines, ſed videri, nunc ad te omnis mihi dirigatur oratio. quæ quanto prima Romanæ vrbis virgo nobilis eſſe cœpiſti, tanto tibi amplius laborandum eſt, ne & præſentibus bonis ca-*Laus Euſtochij virginis* reas & futuris. Et quidem moleſtias nuptiarum, & incerta coniugij, domeſtico exemplo didiciſti, cum ſoror tua Beſilla, ætate maior, ſed propoſito minor, poſt acceptum maritum ſeptimo mēſe viduata eſt. O infœlix humana conditio, & futuri neſcia. Et virginitatis coronam, & nuptiarū perdidit voluptatem. Et quamquam ſecundum pudicitiæ gradum teneat viduitas, tamen quas illam per momenta ſuſtinere exiſtimas cruces, ſpectantem, quotidie in ſorore, quod ipſa perdiderit, & cū difficilius experta careat voluptate, minorem continentiæ habere mercedem: Sit tamen & illa ſecura, ſit gaudens. Centeſimus & ſexageſimus fructus de vno ſunt ſemine caſtitatis. Nolo habeas conſortium Matronarum, nolo ad nobilium domos accedas, nolo te frequenter videre, *Quarum conſortio vti debeat Euſtochium.* quod contemnens virgo eſſe voluiſti. Sic ſibi ſolent applaudere mulierculæ de iudicibus viris, & in aliqua poſitis dignitate. Sed ad imperatoris vxorem concurrit ambitio ſalutantium, cur tu facis iniuriam viro tuo? Ad hominis coniugē Dei ſponſa quid properas? Diſce in hac parte ſuperbiam ſanctam: ſcito te illis eſſe meliorem. Neque vero earum tantum te cupio declinare congreſſus, quæ maritorū inflantur honoribus, quas Eunuchorum greges ſepiunt, & in quarum veſtibus attenuata in filium auri metalla texuntur: ſed etiam eas fuge, quas viduas neceſſitas fecit, non voluntas, non quod mortem optauerint maritorum, ſed quod datam occaſionem pudicitiæ non libenter acceperint. Nunc verò tantum veſte mutata priſtina non mutatur ambitio. Præcedit caueas Baſternarum ordo ſemiuirorum, & rubentibus buccis, cutis farta diſtenditur, vt eas putes maritos non amiſiſſe, ſed quęrere. Plena adulatoribus domus, plena cōuiuis. Clerici ipſi, quos & magiſterio eſſe oportuerat pariter & ti-*Clericorum mala conſuetudo.* mori, oſculantur capita matronarum, & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, ſi neſcias, pretia accipiunt ſalutandi. Illæ interim quæ ſacerdotes ſuo viderint indigere præſidio, eriguntur *Ficta & ſimulatæ viduæ ac Nonnæ.* in ſuperbiam: & quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis pręferunt libertatem, caſtæ vocantur & Nonnę, & poſt cœnam dubiam Apoſtolos ſomniant. Sint tibi ſociæ, quas ieiunia tenuant, quibus pallor in facie eſt, quas & ætas probauit & vita, quæ quotidie in cordib. ſuis canunt: Vbi paſcis? Vbi cubas in meridie? Quæ ex affectu *Cant. 1. Phil. 1.* dicunt: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Eſto ſubiecta parentibus, imitare ſponſum tuum. Rarus ſit egreſſus in publicum: Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. nunquā cauſa deerit procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis. *Tom. 1. epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 6.*

TVNC centum quadraginta quatuor millia *Apoc. 14.* in conſpectu throni & ſeniorum tenebūt cytharas, & cantabunt canticum nouum. Et nemo poterit dicere Canticum illud niſi numerus definitus. Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non conquinauerunt: virgines enim permanſerunt. Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunq; vadit. *Ibid. ca. 18. ad Euſtochium.*

IN agro terræ bonæ tres fructus legimus, cen-*Luc. 8.* teſimū ſexageſimum & triceſimum. In trib. mulieribus & ſanguine & virtute coniunctis, tria *Tria præmia in tribus mulieribus.* Chriſti præmia recognoſco. Euſtochium virginitatis flores metit. Paula laborioſā viduitatis aream terit. Paulina caſtum matrimonij cubile ſeruat. Tali filiarum mater fulta comitatu, totum ſibi in terris vindicat, quod Chriſtus promiſit in cælo Et vt quadrigam domus vna emitteret ſan-*Quadriga ſanctitatis.* ctitatis, vt fœminarum virtutibus reſponderent viri additur comes Pammachius, verum Ezechie-*Ezech. 10. 11.* lis Cherubin cognatus, gener maritus immò frater amantiſſimus, quia ſancta conſortia ſpiritus vocabula non tenent nuptiarum. Huic quadrigæ Ieſus præſidet. De his equis & Abacuc canit: *Abac 3.* Aſcende ſuper equos tuos & equitatio tua ſalus. Impari curſu, pari animo ad palmam tenditur. Diſcolores equi, ſed voluntate concordes, vnum aurigæ iugū trahunt, non expectantes flagelli verbera, ſed ad vocis hortamenta feruentes. *Tom. 1. Epiſt. 26. ad Pammach.*

QVAE prima Chriſtianorum virtus eſt, tanta ſe humilitate deiecit, vt qui eam non vidiſſet, & pro celebritate nominis videre geſtiſſet, ipſā eſſe nō crederet, ſed ancillularum vltimā. Et cum frequentibus choris virginū cingeretur & veſte, *Virorum conſortia fugiāt virgines.* & voce, & habitu, & inceſſu minima omniū erat. Nunquam poſt viri mortem vſq; ad diem dormitionis ſuæ cum vllo comedit viro, quamuis eū ſanctum & in pontificali ſciret culmine conſtitutum. *Tom. 1. Epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 7.*

QVOD ſi oppoſueris: quo modo ergo erimus *Virgines & ſancti quo modo ſimiles angelis.* ſimiles angelorum, cū inter angelos non ſit maſculus & fœmina? breuiter auſculta. Non ſubſtantiam nobis angelorum, ſed conuerſationē & bea-*Luc. 7.* titudinem Dominus repromittit: quo modo & Ioannes Baptiſta, antequam decollaretur, angelus appellatus eſt, & omnes ſancti ac virgines Dei, etiam in iſto ſæculo vitam in ſe exponunt angelorum: quando enim dicitur: Eritis ſimiles angelorum, ſimilitudo promittitur, non natura mutatur. *Ibid. cap. 11.*

FERVNTVR eius aduerſum gentes duo libri, & contra

& contra Valentem & Vrſatium vnus, & de virginitate. *To.1.de viris Illuſt. in Athanaſio.*

BASILIVS, Ancyranus Epiſcopus, artis Medicinæ, ſcripſit contra Marcellum, & de virginitate librum. *Ibid. in Baſilio.*

*Prolepſis ſiue præoccupatio ante tractationẽ de comparatiõe virginitatis & nuptiarum.*

QVIA de comparatione virginitatis & nuptiarum ſum aliqua dicturus, obſecro lecturos, ne me putent nuptijs detraxiſſe in virginum laude, & aliquam feciſſe diſtantiam inter ſanctos veteris teſtamenti & noui, id eſt, inter eos, qui habuere cõiugia, & eos qui à complexu mulierum penitus receſſerunt, verum pro conditione temporum alij eos tunc ſubiacuiſſe ſentẽtiæ, & alij nos, in quos fines ſæculorum decurrerunt.

*1. Cor. 10. Geneſ. 18. Exod 23. Deut. 7. 1. Cor. 7. 2. Cor. 6. 1. Cor. 7.*

Quamdiu lex illa permanſit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Et maledicta ſterilis, quæ non parit ſemen in Iſrahel: Nubebãt omnes & nubebantur, & derelictis parentibus, fiebãt vna caro, quãdo vero vox illa pertonuit: Tempus breuiatum eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, ſic ſint, quaſi non habeant, adhærentes Domino: vnus cũ eo efficimur ſpirit⁹. Quare? Quia qui ſine vxore eſt, cogitat ea, quæ Dei ſunt, quo modo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt huius mundi, quo modo placeat vxori. Et diuiſa eſt mulier & virgo. Quæ non eſt nupta cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nam quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quo modo placeat viro. Quid oblatras? Quid repugnas? Vas electionis hæc loquitur. Diuiſa eſt, dicens mulier & virgo. Vide quantæ fœlicitatis ſit, quæ & nomen ſexus amiſerit. Virgo iam mulier non vocatur. Quæ non eſt nupta cogitat quæ ſunt Domini vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu.

*Virginis definitio.*

Virginis definitio, ſanctam eſſe corpore & ſpiritu, quia nihil proſit carnem habere virginem, ſi mente quis nupſerit. Quæ verò nupta eſt, cogitat quæ ſunt mũdi, quo modo placeat viro. Idem tu putas eſſe, diebus ac noctibus vacare orationi, vacare ieiunijs, & ad aduentum mariti expolire faciem, greſſum frangere, ſimulare blanditias.

*Maritatæ varia cura mũdana.*

Illa hoc agit vt turpior appareat, & naturæ bonum infuſcet iniuria: hæc ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe, quam nata eſt. Inde infantes garriunt: familia perſtrepit: liberi ab oſculis & ab ore dependent: computantur ſumptus, impendia præparantur, hinc cocorum accincta manus carnes terit: hinc textricum turba commurmurat, nunciatur interim vir venire cum ſocijs. Illa ad hyrundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia, ſi totus rigeat, ſi pauimenta verrerint, ſi ornata ſint pocula, ſi prandium præparatum. Reſponde quæſo inter iſta vbi ſit Dei cogitatio? Et hæ fœlices domus. Cæterum vbi tympana ſonat, tybia clamitat, lyra garrit, cymbabalum concrepat, quis ibi Dei timor?

*Amplificat late quod virgines deo nuptæ mũdo ſeruiant.*

Paraſitus in contumelijs gloriatur: ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ: & tenuitate veſtiũ nudæ impudicis oculis ingeruntur, his infælix vxor aut lætatur, & perit: aut offenditur, & maritus in iurgia concitatur, hinc diſcordia, ſeminarium repudij. Aut ſi aliqua inuenitur domus, in qua iſta nõ fiant, quæ rara auis eſt, tamen iſta diſpenſatio domus, liberorum educatio, neceſſitas mariti, correctio ſeruulorum, quam à Dei cogitatione non auocent?

*Gen 18. Gen. 12.*

Deſierunt inquit, ſcriptura, Sarę fieri muliebria: poſt quod dicitur ad Abraham: Omnia quæcunque dicit tibi Sara, audi vocẽ eius. Quæ non eſt in partus anxietatibus & dolore, quæ deficientibus menſtrui cruoris officijs, mulier eſſe deſijt, à Dei maledictione ſit libera, nec eſt ad virum conuerſio eius, ſed è contrario vir ſubijcitur ei, & Domini voce præcipitur: Omnia quæcunq; dicit tibi Sara, audi vocem eius, & ſic incipiunt vacare orationi: quia quamdiu in coniugio debitum ſoluitur, orandi præteritur inſtantia.

*Geneſ. 3.*

Non negamus viduas, non negamus maritatas, ſanctas mulieres inueniri, ſed quæ vxores eſſe deſierint, quæ in ipſa neceſſitate coniugij, virginũ imitentur caſtitatem. Hoc eſt, quod Apoſtolus breuiter Chirſto in ſe loquente, teſtatus eſt: Innupta cogitat quæ Dei ſunt, quo modo placeat Deo: Nupta vero cogitat quæ ſunt mundi, quò modo placeat viro: nobis ſuper campum intelligentiæ derelinquens. Neque tamen alicui neceſſitatem imponit aut laqueum, ſed id quod honeſtũ eſt, ſuadens, volẽs omnes eſſe ſicut ſeipſum. Et quamquam de virginitate Domini præceptum non habeat: quia vltra homines eſt, & quodam modo impudentis erat, aduerſum naturam cogere, alioque modo dicere, volo vos eſſe, quod angeli ſunt: vnde & virgo maioris eſt meriti, dũ id contemnit, quod ſi fecerit, non delinquit, nihilominus in cohærentibus infert: Conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonũ eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quia bonũ eſt homini ſic eſſe.

*1. Cor. 7. Matt. 14.*

Quæ eſt iſta neceſſitas? Væ pregnantibus, & nutrientibus in illa die. Ideo ſylua ſuccreſcit, vt poſtea recidatur, ideo ager ſeritur, vt metatur. Iam plenus eſt orbis, terra nos nõ capit. Quotidie bella nos ſecant morbi ſubtrahunt naufragia abſorbent, & nihilo minus de terminis litigamus? De hoc numero ſunt illi, qui agnũ ſequuntur, qui veſtimenta ſua non coinquinauerunt, virgines enim permanſerũt.

*Apo 14.*

Obſerua quid ſignificent. Non coinquinauerunt, ego non audeo exponere, ne Heluidius calumnietur.

*Tabernariæ virgines & adulteri monachi & clerici caupones non officiunt bonis.*

Quod autem ais: Quaſdam eſſe virgines tabernarias: ego tibi plus dico, eſſe in his & adulteras, & quo magis mireris, clericos eſſe caupones, & monachos impudicos, ſed quis non ſtatim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum Monachũ nec clericum poſſe eſſe cauponem? Nunquid virginitatis eſt culpa ſi ſimulator virginitatis in crimine eſt? Ego certe, vt alijs perſonis prætermiſſis ad virginem veniam, quæ inſtitorias exercet artes, neſcio an corpore, quod ſcio, ſpiritu virgo nõ permanet. *Tomo prima, Epioſtla aduerſus Heluidium capite 10.*

*Heb. 13. Gen. 1.*

NON ignoramus honorabiles nuptias & thorũ immaculatum. Legimus primam Dei ſententiam: Creſcite & multiplicamini, & replete terrã: ſed ita nuptias recipimus, vt virginitatem quę de nuptijs naſcitur præferamus.

*Virginitatẽ nuptijs præferendam latiſſimè probatur. Matt. 13.*

Nunquid argentũ non erit argentum, ſi aurum argento precioſius eſt? Aut arboris & ſegetis contumelia eſt, ſi radici & folijs, culmo & ariſtis, poma præferantur & fructus? Vt poma ex arbore, frumentum è ſtipula, ita virginitas è nuptijs. Centeſimus & ſaxageſimus & trecenteſimus fructus, quamquã de vna terra & de vno ſemente naſcatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipſa digitorum coniunctio, quaſi molli ſe amplexans oſculo & fœderans, maritum pingit & coniugem. Sexaginta verò ad viduas, eò q͛d in anguſtia & tribulatiõe ſunt poſitę. Vnde & ſuperiori



periori digito deprimuntur: quantoq; maior eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecibris abſtinere, tantò maius eſt prœmium: Porrò centeſimus numerus, diligenter quæſo lector attende, de ſiniſtra transfertur ad dextram, & eiſdẽ quidem digitis, ſed non eadem manu, quibus in leua nuptæ ſignificantur, & viduæ: circulum faciens exprimit virginitatis coronam. *To.2. aduerſus Iouinianũ. lib.1.ca.1.*

ALIOS Eunuchos natura facit, alios vis hominum. Mihi illi Eunuchi, quos caſtrauit nõ neceſsitas, ſed voluntas. Libenter illos in meos ſinus recipio, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, & ob mei cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt.

*Eunuchorũ genera diuerſa.*

Simulq; tractanda ſententia: Qui ſe, inquit, caſtrauerunt, propter regnum cælorum. Si caſtrati mercedem habent regnum cælorum, ergo qui ſe non caſtrauerunt, locum non poſſunt accipere caſtratorum. Qui poteſt, inquit, capere, capiat. Grandis fidei eſt, grandiſq; virtutis Dei templum eſſe puriſsimum, totum ſe holocauſtũ offerre Domino, & iuxta eundem Apoſtolum, eſſe ſanctum & corpore & ſpiritu.

*1. Cor 7. Eſa. 56. Hierem. 38. Actor. 8. Philip. 4.*

Hi ſunt Eunuchi, qui ſe lignum aridum putantes ob ſterilitatem, audiunt per Eſaiam, quod pro filijs & filiabus locum in cælis habeant paratum. Horum typus eſt Abdemelech eunuchus in Hieremia, & ſpado ille reginę Candaces in Actis Apoſtolum, qui ob robur fidei, viri nomen obtinuit. Ad hos & Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri, cuius Paulus Apoſtolus meminit, ſcribit epiſtolas, omnemque penè ſermonem ſuum, de virginitatis puritate contexuit, & deinceps multi Apoſtolici & martyres, & illuſtres, tam ſanctitate, quàm eloquentia viri, quos ex proprijs ſcriptis noſſe perfacile eſt. *Ibidẽ lib.1. aduerſus Iouinianum capitè ſeptimo & paſſim ſequẽtibus. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 29. capitibus. Et Tomo 2. in Apologia ad Pammachium. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. capitib. per totam epiſtolam.*

EGO puto de iſtis virginibus, quæ ſequuntur Eccleſiam, & in primo ponuntur gradu, & te eſſe, & omnes, qui in virginitate corporis & animæ perſeuerant, primas autem & amicas viduas eſſe, & in matrimonio continentes: quæ omnes cũ lætitia & exultatione ducuntur ad templum, & in thalamum regis, in templũ, quaſi ſacerdotes Dei, in thalamum, quaſi ſponſę regis, & ſponſi.

*Apoc. 21. Pſalm 26. Pſal. 25. Pſalm. 41.*

Hoc templũ & Ioannes vidit in Apocalyp. & propheta deſiderat: Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnib. diebus vitæ meæ: Et iterum. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Et in alio loco: Quia tranſibo in locũ tabernaculi admirabilis, vſq; ad domũ Dei, in voce exultationis & confeſsionis, ſonitus feſta celebrantiũ. Scutulata aũt, quibus ſpõſo ſuo regina cõponitur, ipſa ſunt, quæ in ſeptuaginta legimus, circũamicta varietate. *To.3 epiſt. 140. ad Principiam fol. 398. fac. 1.*

VNDE & Apoſtoli grauẽ coniugij ſarcinã intelligentes: Si ita eſt, inquiũt, non expedit homini vxorẽ accipere: Ad quos Dñs: Qui poteſt, inquit, capere, capiat.

*Matth 19. Virginitatis beatitudo.*

Statimq; ſub exẽplo trium eunuchorum, virginitatis infert beatitudinem, quę nulla carnis lege retinetur. *To.3. epiſt. 147 ad Amandum.*

PRIMVM debemus audire, deinde intelligere, & poſt intelligentiã fructus reddere doctrinarum, & facere, vel centeſimum fructum, vel ſexageſimum, vel triceſimum, de quibus plenius in lib. contra Iouinianum diximus, & nũc breuiter perſtringimus: Centeſimum fructum virginib. ſexageſimum viduis & continentibus: triceſimũ caſto matrimonio deputãtes.

*Hebr. 13.*

Honorabiles enim nuptiæ, & cubile immaculatum. Quidam noſtrorum, centeſimum fructum ad martyres referunt: quod ſi ita eſt, ſancta conſortia nuptiarum excluduntur à fructu bono. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 13. Matthæi Canon. 25. fac. 1.*

TITVS filius Veſpaſiani, qui in vltionem dominici ſanguinis ſubuerſis Hieroſolymis Romã victor ingreſſus eſt, tantę dicitur fuiſſe bonitatis, vt cũ quadam nocte recordaretur in cœna, quod nihil boni illa die feciſſet, dixerit amicis: Hodie diem perdidi.

*Matth. 12. A gentibus laudata virginitas.*

Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cũ otioſum verbum loquimur, pro quo reddituri ſumus rationem in die iudicij? Quod ſi hoc ille, ſine lege, ſine Euangelio, ſine Saluatoris & Apoſtolorũ doctrina, naturaliter, & dixit, & fecit, quid nos oportet facere, in quorum condemnationem habet & Iuno vniuiras, & Veſta virgines, & alia idola continentes? *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 6. ab Galatas fol. 158. fac. 1.*

SOLENT hæ ætates, quia corporis frixere luxuriam (licet ſint plurimę, quæ nec canos nõ erubeſcant, & ante gregem nepotum trementes virgunculæ componantur) vino ſe dedere pro libidine, & cũ inter pocula ſibi prudentes viſę fuerint & facundę: morum quaſi auſteritatem aſſumere, loquentes hoc, quod ſibi videntur eſſe, & non recordantes hoc, quod fuerunt.

*Vitia anuũ vetularum.*

A vini ergo nimio potu anus prohibeantur: quoniam, quod in adoleſcẽtib. libido, hoc in ſenib. ebrietas eſt. Aut quomodo poteſt docere anus adoleſcẽtulas caſtitatẽ: cũ ſi ebrietatẽ vetulę mulieris adoleſcentula fuerit imitata, pudica eſſe non poſsit.

*Ebriæ vetulæ ſunt & impudicæ.*

Signanter autẽ expreſsit, non vino multo ſeruientes. Seruitus enim quędam eſt & extrema conditio, vino ſenſus hominis occupari, & non ſuum eſſe, ſed vini. *To. 6. lib. 1. Com. in cap. 2. ad Titum. fol. 204. fac. 1.*

NVNC conſequenter doctrinę eis frena permittit, vt cũ tales fuerint, docendi habeãt libertatẽ, vt ſcilicet doceãt ea, quæ bona ſunt. Licet. n. in alio loco dixerit: Docere aũt mulierib. non pmitto: ſic intelligendũ eſt, vt in viros ſit illis doctrina ſublata.

*1. Tim 2. Primam doceant virgines caſtitatẽ.*

Cęterũ adoleſcentulas doceãt, quaſi filias ſuas. Primũ caſtitatẽ: quia aduerſus hanc magis in ætate florẽti pugnat inimicus, & virtus eiuſdẽ omnis cõtra fœminas in vmbilico vẽtris eſt. *Ibid. f. 1.*

DICAMVS eſſe aliquem dominum ditiſsimum. Iſte habet familiam, habet & ſeruos, qui ſibi miniſtrant.

*Protaſis ſimilitudinis.*

Nunquid tantam habent fiduciã ſerui, qui in villis ſunt: quantã illi, qui quotidie miniſtrant? Illis magna dignitas eſt, qui faciem vident Domini, & miniſtrant. Denique cęteri ſerui, qui faciem non vident Domini ſui, ſi voluerint aliquid impetrare, conſeruos petunt. Hoc totum quare dixi? Dominus noſter Ieſus habet & ipſe multam familiam, habet, quaſi ad faciem ſuam, qui ſibi miniſtrãt: habet alios in agris.

*Apodoſis: Monachi & virgines ad faciem Domino miniſtrant.*

Monachos & virgines, ego puto illos eſſe, qui ad faciem miniſtrant Domino ſuo: ſeculares autem qui ſunt quaſi in agro, de familia ſua. Deniq; illi qui ſunt in agris, iſtos poſtulant, vt rogent Dominum, ſi quid neceſſarium habent. Quantam habẽt ergo dignitatem, qui quotidie vident faciem Domini: tantã habent pœnã, qui negligunt miniſteriũ Domini. Solẽt enim mali ſerui, quãdo ſunt in agris, magis timere Dominũ: quia non vident:

Si autem quotidie cœperint videre, contemnunt, & familiaritas ſuperbiam facit. Et nos igitur non debemus de conſuetudine contemnere bonitatem Dei noſtri. *Tomo 7. Comment. in Pſalmum 133. fol. 168. fac. 1.*

## *Articulus II. Virginitati Deo ſacratæ æquare nuptias hæreſim fuiſſe Iouiniani.*

*Iouinianus æquat opera nuptiarum continentiæ.*

APOSTOLICAE doctrinæ regula, nec cum Iouiniano æqua continentiæ opera nuptiarum, nec cum Manichæo coniugia condemnat. *Tom. 1. Epiſt. 14. ad Cælantiam cap. 8.*

*Hebr. 13. Gen. 1. Virginitas nuptijs longè præferenda.*

LEGIMVS primam Dei ſententiam: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs naſcitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, ſi aurum argento pretioſius eſt? Aut arboris & ſegetis contumelia eſt, ſi radici & folijs, culmo & ariſtis, poma præferantur & fructus? *Tomo. 2. lib. 1. contra Iouianum cap. 1.*

*Diuerſi merui virgines viduæ & maritatæ.*

DICIT virgines, viduas, maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus, eiuſdem eſſe meriti. *Ibidem capite ſecundo. p.*

*Eccle. 7.*

FINITA diſputatione coniugiorum & virginitatis, & inter vtrumque cauto moderamine præceptorũ, vt nec ad ſiniſtram, nec ad dexteram diuerteret, ſed via regia graderetur, & illud impleret: Ne ſis iuſtus multum: rurſus Monogamiã Digamiæ comparat, & quo modo nuptias ſubdiderat virginitati, ita digamiã primis nuptijs ſubijcit. *Ibidem ca. octauo.*

*Docet caſtitatem ſemper operi nuptiarum fuiſſe prælatam. Gen. 2.*

QVONIAM ad vetus nos retrahit teſtamentum, & incipiens ab Adam, ad Zachariam, Et Elizabeth peruenit, ac deinde opponit Petrum & cæteros Apoſtolos habuiſſe vxores: nos quoque debemus per eadem currere veſtigia quæſtionũ, & docere, caſtitatem ſemper operi nuptiarũ fuiſſe prælatam. Ac de Adam quidem & Eua illud dicendum, quod ante offenſam in paradyſo virgines fuerint, poſt peccatum autem, & extra paradyſum protinus nuptiæ: Deinde, quod hoc ipſum interpretetur Apoſtolus: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Statimque ſubiungat: Sacramentum hoc magnum eſt: ego aũt dico in Chriſto, & in Eccleſia. Chriſtus in carne virgo, in ſpiritu monogamus. Vnam enim habet Eccleſiam, de qua idem Apoſtolus: Viri, inquit, Diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiã. Si Chriſtus ſanctè, & ſi caſtè, ſi abſque vlla macula Eccleſiam diligit: viri quoq; in caſtitate vxores ſuas diligant, & ſciat vnuſquiſq; vas ſuum poſsidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quę ignorant Deũ. Neq; enim vocauit nos Deus in immunditiã, ſed in ſanctificationem, exuentes nos veterem hominem, cũ actibus ſuis, & induentes nouũ, qui renouatur in cognitionem ſecundum imaginem creatoris ſui, vbi non eſt maſculus & fœmina. Græcus & Iudæus, Circũciſio & præputium, Barbarus & Schyta, ſeruus & liber, ſed eſt omnia in omnibus Chriſtus. Imago creatoris non habet copulam nuptiarum. Vbi diuerſitas ſexus aufertur, & veteri homini exuimur, & induimur nouo, ibi in Chriſtũ renaſcimur, virginem, qui & natus ex virgine, & renatus per virginem eſt. Quod autem ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: neceſſe fuit prius plantare ſyluã, & creſcere, vt eſſet, quod poſtea poſſet excidi: ſimulq; conſiderãda vis verbi, Et replete terram. Nuptiæ terram replent, virginitas paradyſum. Sed & hoc intuendum duntaxat iuxta Hebraicã veritatem, quod cũ ſcriptura in primo & tertio, quarto, & ſexto die expletis operibus ſingulorum, dixerit: Et vidit Deus, quia bonũ eſt: in ſecundo die hoc omnino ſubtraxit, nobis intelligentiam derelinquens, non eſſe bonum duplicem numerũ, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum. Vnde & in arca Noe, omnia animalia, quæcunq; bina ingrediuntur, immunda ſunt. Impar numerus eſt mundus. Quanquam duplici numero oſtendatur & aliud ſacramentum, quod ne in beſtijs quidem, & in immundis auibus Digamia comprobata ſit, bina enim ingrediuntur immunda, & ſeptena, quæ munda ſunt, vt haberet Noé poſt diluuiũ quod de impari numero ſtatim Deo poſſet offerre. Si autem transfertur Enoch, & ſeruatur in diluuio Noe: non reor idcircò translatum Enoch, quod vxorem habuerit, ſed quod primus inuocauerit Deum, & crediderit in Saluatorem: de quo Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos pleniſſimè docet. Porrò Noe, qui quaſi ſecunda radix humano generi ſeruabatur, vtiq; cum vxore & filijs debuit reſeruari, quamquam in hoc myſteriũ ſcripturarum ſit. Arca illa, iuxta Apoſtolum Petrum typus Eccleſiæ fuit, in qua octo animæ ſaluę factæ ſunt. Quando ingreditur in eam Noe, tam ipſe, quã filij eius ab vxoribus ſeparantur: quando verò ingreditur in terram, iunguntur paria, & quod in arca, id eſt, in Eccleſia fuerat ſeparatum in mundi cõuerſatione ſociatur. Simulque, ſi arca plures habuit manſiones, & nidulos, & bicamerata, & tricamerata, & diuerſas beſtias, & pro qualitate animalium, habitationes quoque vel maiores vel minores, exiſtimo, quod diuerſitas illa manſionum præfigurauerit Eccleſiæ varietatem. *Ibidem cap. 9.*

*Ephes. 5. 1. Teſſal. 4. Col. 3. Obiectio refellitur. Gen. 1. Gen. 7. Gen. 5. Hebr. 11. 1. Petr. 13. Gen. 9. Gen. 6.*

*Quæ ſit cõtentio inter Iouinianum et Catholicos.*

EGO ſi benè problematis memini inter Iouinanum, & nos iſta cõtentio eſt, quòd ille exæquet virginitati nuptias, nos ſubijciamus, ille parũ vel nihil, nos multum intereſſe dicamus. Deniq; idcircò, te poſt Dominum faciente, damnatus eſt, quod auſus perpetuæ virginitati matrimonium comparare. Aut ſi idipſum virgo putatur, & nupta: cur piaculum vocis huius Romæ Victorinus audire non potuit? Virgo à viro, non vir à virgine, generatur. Medium eſſe nihil poteſt: aut mea ſẽtẽtia ſequenda eſt, aut Iouiniani. Si reprehendor, quod nuptias virginitati ſubiicio: Laudetur ipſe, qui comparat, ſi autem damnatus eſt, qui æquales putabat: damnatio eius, mei operis teſtimonium ſit. Si ſæculi homines indignantur in minori gradu ſe eſſe, quã virgines: miror clericos, & monachos, & continentes, id nõ laudare, quod faciunt. Caſtrant ſe ab vxoribus ſuis, vt imitentur virginum caſtitatem: & idipſum volunt eſſe maritatas, quòd virgines? Aut iungantur itaq; vxorib. ſuis, quibus renunciauerant, aut ſi ſe abſtinuerint, etiam tacentes confitebuntur melius eſſe, quod nuptiarum operi prætulerunt. *Tom. 2. in Apologia ad Pammachium cap. 1.*

*Dilemmate conſtringit aduerſarios.*

ROGO, quæ eſt iſta contentio, claudere oculos, nec apertiſsimum lumen aſpicere? In Eccleſia diximus eſſe dona diuerſa, & aliud donum virginitatis, & aliud nuptiarum. Et poſt paululum: Concedo & nuptias eſſe donum Dei: ſed inter donum & donum magna diuerſitas eſt.





Et, quod Dei donum voce apertiſsimà pronunciamus, damnare dicimur? Porrò ſi Ioſeph in typo Domini accipitur, tunica eius varia atque diſtincta in virginibus, viduis, continentibus, ac maritatis eſt. Et poteſt videri, quaſi alienus, qui de tunica Chriſti eſt, cùm & ipſam reginam, hóc eſt, Eccleſiam Saluatoris in veſtitu deaurato, eadem varietate circundatam dixerimus? *Ibid. ca. 2.*

*Tunica diſtincta Ioſeph varia deſignant dona. Pſalm. 44.*

*Eſa. 7.*

PORRO in conſequentibus, cùm dicimus: Finita diſputatione coniugiorum & virginitatis, vt inter vtrumque cauto moderamine præceptorũ, nec ad ſiniſtrã, nec ad dexterã reuerteret, ſed via regia graderetur, & illud impleret: Ne ſis multũ iuſtus, rurſus Monogamiam digamiæ cõparat: & quo modo nuptias ſubdiderat virginitati, ita Digamiã nuptijs ſubijcit: Nonne perſpicuè oſtendimus, quæ ſit in ſcripturis ſanctis ſiniſtra, quæ dextra, & quid ſignificet: Ne ſis multũ iuſtus? Quod videlicet ſiniſtra ſit, & ſuperæſtuemus ad coitũ, dextra, ſi Manichæorum ſequamur errorem, & ſimulata pudicitia impudicitiæ ritibus implicemur: Via autẽ regia ſit, ita appetere virginitatem, ne nuptiæ cõdemnentur. *Ibidem cap. 3.*

*Quæ in hac quæſtione ſit via dextra, quæ ſiniſtra, quæ via regia.*

EXORTVS eſt ſubitò Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum, & martyrum neget ſepulchra veneranda, damnandas dicat eſſe vigilias, nunquam, niſi in Paſcha Alleluya cantandum, continentiam, hæreſim, pudicitiam, libidinis ſeminarium. Et quo modo Euphorbus in Pythagora renatus eſſe perhibetur, ſic in iſto Iouiniani mens praua ſurrexit: Vt in illo & in hoc diaboli reſpondere cogamur inſidijs. Cui iure dicetur: Semen peſsimum. Para filios tuos occiſioni peccatis patris tui. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 1.*

## *Articulus III. Caſtitatem eſſe donum Dei, quod tamen rectè petenti nunquam denegetur.*

*Eccle. 10.*

SI ſpiritus poteſtatem, habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Poſt quod ſequitur: Quia curatio quieſcere facit maxima. Qui verſiculus hunc habet ſenſum: Si in cogitationes tuas coluber aſcenderit, omni cuſtodia ſerua cor tuum. Et cum Dauid canito: Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce ſeruo tuo: & ad peccatum maximum, quod opere perpetratur, nequaquam peruenies, ſed incentiua vitiorũ ſtatim in mente iugulabis, & paruulos Babylonis allides ad petram: in qua ſerpentis veſtigia non reperiuntur: cauteque Domino promittes: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. *Tom. 1. epiſt. 8. ad Demetriadem cap. 5.*

*Pſalm. 18. Principijs tẽtationum occurrendum. Pſal. 136. 18.*

HAEC moneo, frater chariſsime, pietate, qua te diligo, vt non ſolũ pecuniã, ſed & teipſum Chriſto offeras hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, rationabile obſequium tuum, & imiteris filium hominis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, &: quod patriarcha alienis, hoc diſcipulis, & ſeruis magiſter exhibuit, & Dominus. Coriũ pro corio, & omnia, quæ homo poſsidet, dare poteſt pro anima ſua. Sed tange, inquit, diabolus, carnes eius, niſi in faciẽ benedixerit tibi. Scit hoſtis antiquus, maius cõtinentiæ, quã nummorum eſſe certamen. Facilè abijcitur, quod hæret extrinſecus: inteſtinũ bellum periculoſiùs eſt: coniuncta diſglutinamus, vnita diſſuimus. *Tom. 1. epiſt. 26. ad Pammachium cap. 5.*

*Rom. 12. Matth. 20. Ioan 13. Iob. 2. Quàm graue & periculoſum certamen continẽtia.*

HABET & ſeruata pudicitia ſuũm martyriũ, iaceat inſepultus Chriſti teſtis in eremo: ipſę mihi ero perſecutor & martyr. Sic fatus, eduxi in tenebris quoque micantem gladium, & acumine cõtra me verſo. Vale, inquam, infęlix mulier: habeto me martyrem potiùs, quàm maritum. *Tom. 1. in vita Malchi, fol. 117. fac. 1.*

*Virginitas quoddã ſpirituale martyrium.*

SALVTA reliquum caſtitatis chorum, & domeſticam tuam Eccleſiam, cui omnia etiam, quę tuta ſunt timeo, ne dormiente patre familias, inimicus homo zizania ſuperſeminet, quãuis enim dicere audeant: ego ciuitas firma, ciuitas, quæ nõ oppugnatur: nullus, hoſtili obſidente exercitu ſecurus eſt: nemo, vt beatus Cyprianus ait, ſatis tutus, periculo proximus. *To. 3. epiſt. 155. ad Paulã f.*

*Matth. 13. Omnia tuta timenda caſtis.*

NON omnes cupiunt.] Nemo putet ſub hoc verbo, vel fatum vel fortunam introduci: quod hi ſint virgines, quibus à Deo datũ ſit: apud quos quidam ad hoc caſus adduxerit: ſed his datum eſt, qui petierunt, qui voluerunt, qui, vt acciperent, laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quęrens inueniet, & pulſanti aperitur. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 19. Matthæi Canon. 39. fac. 2.*

*Omnibus petentibus datur caſtitatis donum.*

QVI poteſt capere, capiat: vt vnuſquiſq; conſideret vires ſuas, vtrum poſsit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per ſe enim caſtitas blanda eſt: & quemlibet ad ſe alliciens. Sed conſiderandæ ſunt vires, vt qui poteſt capere, capiat. Quaſi hortantis vox Domini eſt, & milites ſuos ad pudicitiæ prœmium concitantis. Qui poteſt capere, capiat, qui poteſt pugnare pugnet, ſuperet ac triumphet. *Ibidem fac. 2. inf.*

*Vox Domini hortantis eſt.*

## *Articulus IIII. Caſtitatem rectè promitti ac voueri Deo, illud votum fideliter ſeruandum eſſe.*

*Matth. 19. Lucæ 23. Dan 4.*

HOC Læta, religioſiſsima in Chriſto filia dictum ſit, vt non deſperes parentis ſalutem, & eadem fide quã meruiſti filiam, & patrem recipias, totiuſq; domus beatitudine perfruaris, ſciẽs illud à Domino repromiſſum: Quæ apud homines impoſsibilia, apud Deum poſsibilia ſunt. Nũquam eſt ſera conuerſio. Latro de cruce tranſijt in paradyſum: Nabuchodonoſor, rex Babylonis, poſt efferationem corporis, & cordis, & belluarũ in eremo conuictum, mentem recepit humanã. Et, vt omittã vetera, ne apud incredulos nimis fabuloſa videãtur, ante paucos annos propinquus veſter Gracchus, nobilitatem patriciam ſonans nomine, cũ præfecturam gereret vrbanam, nonne ſpecum Mithræ, & omnia portentuoſa ſimulachra, quib. Chorax, Niphus, Miles, Leo, Perſes, Helios, Bromius pater initiantur, ſubuertit, fregit, excuſsit, & his, quaſi obſidibus ante præmiſsis, impetrauit baptiſmum Chriſti? Solitudinem patitur, & in vrbe gentilitas. Dij quondam nationum cũ bubonibus & noctuis in ſolis culminib. remanſerunt, vexilla militũ crucis inſignia ſunt. Regum purpuras & ardentes Diadematũ gemmas patibuli Saluatoris pictura condecorat. Iam & Aegyptius Serapis Chriſtianus factus eſt: Marnas Gazæ luget incluſus, & euerſionem templi iugiter pertremiſcit. De India, Perſide, Aethiopia monachorũ quotidie turmas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius: Huni diſcũt Pſalterium: Schytiæ frigora feruent calore fidei: Gætarũ rutilus & flauus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria: &

ideò forſitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religioni confidunt. Penè lapſus ſum ad aliã materiam, & currente rota, dum vrceũ facere cogito, amphoram finxit manus. Propoſitum enim mihi erat, ſanctæ Marcellæ & tuis precibus inuitatum, ad matrem, id eſt, ad te ſermonem dirigere, & docere, quo modo inſtituere Paulam noſtrã debeas: quæ prius Chriſto conſecrata eſt, quam genita, quam ante votis, quam vtero concepiſti. *Tom.1. Epiſt.7. ad Lætam cap.2.*

*Paula Chriſto conſecrata.*

Offerre, necne, filiam, poteſtatis tuæ fuit, quãquam alia ſit tua conditio, quæ prius eam vouiſti, quam conciperes: vt autem oblatam nõ negligas, ad periculum tuum pertinet. *Ibidem ca.4.*

*Semel Deo oblata filia non poteſt reuocari.*

Qvae nata eſt ex promiſsione, ſic viuat, vt illi vixerunt qui de promiſsione generati ſunt, æqua gratia, æquam habeat & laborem. *Ibidem capit 5.*

*Vota promiſſionis.*

Felix morte ſua, qui non vidit patriam corruentẽ, imò felicior ſobole, qui Demetriadis proauię nobilitatẽ inſigniorẽ reddidit, Demetriadis filiæ perpetua caſtitate. *To.1. Epiſt.8. ad Demet. c.2.*

*Perpetua caſtitas Demetriadis.*

Qvae virginum Chriſti, non tuum, Iuliana, beatum clamauit vterum? Incerta apud infideles ſint præmia futurorum. Plus interim recepiſti virgo, quàm obtuliſti. Quam ſponſam hominis vna tantum prouincia nouerat, virginem Chriſti totus orbis audiuit. *Ibidem cap.3.*

*Præmia ſeruati voti.*

Exceptis epiſtolis ignoramus alterutrum. Solaque cauſa pietatis eſt, vbi nulla carnis notitia eſt. Honora patrem tuum; ſed ſi te à vero patre non ſeparat. Tamdiu ſcito ſanguinis copulã, quamdiu ille ſuum nouerit creatorem: alioquin Dauid protinùs tibi canit: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuũ, & domum patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum, quoniã ipſe eſt Dominus Deus tuus: Grande pręmium parentis obliti: Concupiſcet rex decorem tuum: quia audiſti, quia vidiſti, quia inclinaſti aurem tuam, & populi tui, domuſque patris tui oblita es, idcircò concupiſcet rex decorẽ tuum, & dicet tibi: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quid pulchriùs anima, quę Dei filia appellatur, & nullos extrinſecus quærit ornatus? Credit in Chriſtum, & hac ambitione pergit ad ſponſum, eundem habens Dominum, quem & virum. Quid anguſtiarum habent nuptiæ, didiciſti in ipſis nuptijs: & quaſi coturnicũ carnibus, vſq; ad nauſeam ſaturata es: amariſſimam cholerã tuæ ſenſere fauces. Egeſsiſti aceſcentes & morbidos cibos: releuaſti æſtuantẽ ſtomachum, quid vis rurſum ingerere, quod tibi noxium fuit? Canis reuertens ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum luti, bruta quoq; animalia, & vagæ aues in eaſdem pedicas retiaq; non incidunt. *Tom.1. epiſt.10. ad Furiam, cap.1.*

*Pſalm.44.*

*Præmia caſtitatis.*

*Cant.4.*

*Non redeundum viduis ad matrimonium.*

Haec locutus ſum in Chriſto filia, non dubitans de propoſito tuo: nunquã enim exhortatorias literas poſtulares, ſi ambigeres de bono monogamiæ, ſed vt nequitiã ſeruulorũ, qui te venalem portant, & inſidias affiniũ, ac pium parentis errorẽ intelligeres: cui vt amorẽ in te tribuam, amoris ſcientiã non concedo, dicens aliquid cũ Apoſtolo: Confiteor, zelũ Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiã. Imitare potiùs (crebro enim idipſum repetã) ſanctam matrem tuam: cuius ego, quoties recordor, venit in mentem ardor eius in Chriſtum, pallor ex ieiunijs, eleemoſynę in pauperes, obſequium in ſeruos Dei, humilitas veſtium & cordis, atque in cunctis ſermo moderatus. Pater tuus, quem honoris cauſà nomino, non quia conſularis & patricius, ſed quia Chriſtianus eſt, impleat nomen ſuum, lætetur filiam genuiſſe Chriſto, non ſeculo: quin potius doleat, quod & virginitatem fruſtra amiſeris, & fructus perdideris nuptiarum. Vbi eſt maritus, quem tibi dedit? Etiam ſi amabilis, etiam ſi bonus fuiſſet, mors rapuiſſet omnia, & copulam carnis ſoluiſſet interitus. Arripe quæſo occaſionem, & fac de neceſsitate virtutem. Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis *Ibidem cap.2.*

*Exhortatoriæ literæ Hieronymi, de bono monogamiæ.*

*Rom.10.*

Solent quædam, cùm futuram virginem ſpoſponderint pulla tunica eã induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in collo nihil in capite auri ſinere: reuera bono conſilio, ne habere diſcat in tenero, quod poſtea ponere compellatur. *Tom.1. epiſt.12. ad Gaudenſium cap.1.*

*Spondebantur futuræ virgines.*

Moris eſt in Aegypti & Syriæ monaſterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quę ſe Deo vouerint, & ſęculo renunciantes, omnes delicias ſęculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandam, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter & velato. Ne hoc quiſpiam, præter tondentes, nouit, & tonſas, niſi quod quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam de conſuetudine verſum eſt in naturam, vel quia lauacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à paruis animalibus, quæ inter cutem & crinẽ gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur. Videamus igitur, tu vir bone, inter iſta, quid feceris futuro matrimonio, in ſpelunca illa venerabili, quaſi quoſdam obſides accipis capillos, ſudariola infelicis, & cingulum dotale pignus deportas, iurans ei, te nullam ſimiliter amaturum. Deinde curris ad paſtorum locũ, & angelorum deſuper ſtrepitu concinẽte, in eadem verba teſtaris. Nihil dico amplius, quod in oſcula rueris, quod amplexatus ſis. Totũ quidẽ de te credi poteſt, ſed veneratio pręſepis, & campi non me ſinunt plus credere, quàm te voluntate tantum & animo corruiſſe. Miſer, nonne quando in ſpelunca cum virgine ſtare cœpiſti, caligauerunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutauit inceſſus? Poſt Apoſtoli Petri baſilicam, in qua Chriſti flammeo conſecrata eſt, poſt crucis & reſurrectionis & aſcenſionis dominicæ ſacramenta, in quib. rurſum ſe in monaſterio victuram ſpoſponderat, audes crinem accipere tecum noctibus dormiturę, quem Chriſto meſſuerat in ſpelunca? *Tom.1. Epiſt.48. ad Sabinianum cap.3.*

*Virgines & viduæ Deo ſe vouebant*

*Acris inuectiua in concubinarium.*

Cvm votum voueris Deo, ne moreris reddere illud, &c.] Simplex intelligẽtia interpretatiõe non indiget. Melius eſt, non promittere, quã promiſſa non facere, quia diſpliceãt Deo, & inter inſipientes computentur, qui vota non expleant. *Tom.5. Com. in cap.5. Eccleſiaſt. fol.13. fac.2.*

Vt reddam vota mea de die in diem.] Vt reddam vota mea, id eſt, quicquid ſpoſpondimus Deo, cuſtodire. De die in diem, hoc eſt, & hic te ſemper laudare, & in futuro ſine fine. *To.7. in Pſal. 60. fol.74. fac.1.*

## *Articulus V. Caſtitatem Deo vouere, conſilij atque ſupererogationis eſſe opus.*

Qvicqvid poteſt cogitare animus, quicquid ſermo



ſermo poteſt explicare, illo in tempore factum eſt. Certatim in oſcula neptis, & filiæ mater, & auia ruunt, vbertim flere præ gaudio, iacentẽ manu attollere, amplexariq; trepidantem: agnoſcere in illius propoſito mentem ſuam, & gratulari, quod nobilẽ familiã virgo virginitate ſua nobiliorẽ faceret: inueniſſe eã, quod præſtaret generi, quod Romanę vrbis cineres mitigaret. Ieſu bone, quod illud in tota domo exultationis fuit? Quaſi ex radice fœcũda multæ ſimul virgines pullularũt: exemplumq; patronæ: & dominæ ſecuta eſt clientũ turba atq; famularũ. Per oẽs domos feruebat virginitatis profeſsio, quarũ, cùm impar eſſet in carne cõditio, vnũ erat præmiũ caſtitatis, parum loquor. Cunctæ per Aphricã Eccleſiæ quodã exultauere tripudio, non ſolũ ad vrbes, oppida, viculoſq;, ſed ad ipſa quoq; magalia celebris fama penetrauit. oẽs inter Aphricã Italiãq; inſulæ hoc rumore repletę ſunt, & inoffenſo pede longiùs gaudia cucurrere. Tunc lugubres veſtes Italia mutàuit, & ſemiruta vrbis Romę mœnia, priſtinũ ex parte fulgorẽ, propitiũ ſibi exiſtimantes Deũ, in alũnæ cõuerſione perfecta. *Tom.1. epiſt.8. ad Demetriadem cap.3.*

*Summũ gaudium ob profeſſam virginitatem Demetriadis*

Et quia penè oblitus ſum, quod in principio debui dicere, cũ primum hoc propoſitũ arripuit, aurum colli ſui, quod quidẽ murenulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, abſq; parentibus vendidit, & tunicam fuſciorem, quã à matre impetrare nõ poterat, induta, pio negotiationis auſpicio, ſe repentè Domino conſecrauit, vt intelligeret vniuerſa cognatio, non poſſe aliud extorquere ei, quę iam ſæculum damnaſſet in veſtibus. *Tom.1. Epiſt.15. ad Marcellam.*

*Arripuit propoſitum caſtitatis.*

Non debeo ſilentio præterire, quanto exultauerit gaudio, quod Paulã neptam ſuã, ex Læta & Toxotio genitam, imò voto & futuræ virginitatis repromiſsione conceptã, audierat in canis, & crepitaculis balbutiente lingua, alleluya cantare, auiæq; & amitæ nomina dimidiatis verbis frangere. In hoc ſolo patrię deſiderium habuit, vt filiũ, nurum, neptẽ, renunciaſſe ſæculo & Chriſto ſeruire cognoſceret, quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Chriſti flammeo reſeruatur: nurus ęternæ ſe tradens pudicitiæ, ſocrus opera fide & eleemoſynis ſequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Hieroſolymis illa compleuit. *Tom.1. epiſt.27. ad Euſtochium cap.12.*

*Paula voto & futuræ virginitatis repromiſsione cõcepta.*

*Neptis Chriſti flammeo reſeruatur.*

Non ſolum effuſio ſanguinis in confeſsione reputatur, ſed deuotæ quoq; mentis ſeruitus immaculata quotidianum martyrium eſt. Illa corona de roſis & violis plectitur, iſta de lilijs: Vnde & in Cantico ſcribitur Canticorum. Fratruelis meus candidus & rubicundus, & in pace & in bello eadem præmia vincentib. tribuens. Mater, inquam, tua audiuit cum Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quàm oſtendam tibi: Et per Hieremiam Dominum præcipientem: Fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras. Hæc autem exijt de terra ſua, & vſq; ad diẽ mortis ſuę nõ eſt reuerſa in Chaldeam, nec ollas Aegypti, & virulentias carnium deſiderauit, ſed choris comitata virgineis, cuius eſt Saluatoris effecta, de paruula Bethlehem, cæleſtia regna conſcendens, dicit ad veram Noemi: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. *Ibidem cap.14.*

*Virginitas quotidianũ martyrium.*

*Cant.5. Gen.12. Hier.50.48.*

Matrem communem, quæ cum vobis ſanctitate ſocietur, in eo vos præuenit, quia tales genuit, cuius verè venter aureus poteſt dici, eo ſalutamus honore; quo noſtis: vna quoq; ſuſcipiendas cunctis ſorores, quæ ſexum vicere cũ ſæculo, quæ oleo ad lampades largiter præparato, ſponſi operiuntur aduentum. O beata domus, in qua morãtur Anna vidua, virgines prophetiſſæ, geminus Samuel nutritus in templo, ô tecta felicia, in quibus cernimus Machabęorum martyrum coronis cinctam martyrum matrem. Nam licet quotidie Chriſtum confiteamini, dum eius præcepta ſeruatis: tamen ad priuatam gloriam publica hęc acceſsit vobis & aperta confeſsio, quod per vos ab vrbe veſtra Ariani quondam dogmatis virus excluſum eſt. *Tom.1. epiſt.43. ad Chromatium.*

*Venter aureus.*

*Matth.25.*

Sed Dominum audies tibi reſpondentem: Qui poteſt capere, capiat: Et, Si vis eſſe perfecta, non tibi iugum neceſsitatis imponit, ſed poteſtati tuæ liberum concedit arbitrium. *Tom.3. epiſt. 150. ad Hedibiam fol.416.*

*Matth.19. Virginitas eſt liberi arbitrij.*

Qvi præſumit de eo, quem rogaturus eſt: ipſa quodammodo præſumptione præiudicat, ne ei negare liceat, quod rogatur. Porrò ſi ſcit ille, quod poſtulat pluſquam rogauit, rogatum eſſe facturum: ideò minora petit, vt habeat rogatus voluntariam & maiorem præſtatione mercedem. Si autem Philemon hæc ad hominis præceptum facit: quantò magis faciet ob dilectionem Dei: Vnde meritò Apoſtoli voce laudatur, quod mandata eius opere peruertat, & poſsit dicere: Voluntaria oris mei complaceant tibi Domine: plus faciens, quàm præceptum eſt, vincat eos, qui tantummodò imperata fecerunt: & iubentur dicere: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Virginitas quoq; propterea maiori prœmio coronatur: quia præceptum Dñi non eſt, & vltra imperata ſe tendit. *Tom.6. lib.1. Com. in ca.1. ad Philemonem, fol.215. fac.2.*

*Opera ſupererogationis.*

*Pſal.118. Qui plus faciunt, quàm eſt præceptũ vincunt eos, qui tantum imperata, faciunt.*

*Lucæ 17. Virginitas conſilij eſt, & non præcepti, & vltra imperata ſe extendit.*

## *Articulus VI. Caſtitatis Deo per votum conſecratæ, ſingularem eſſe prærogatiuam.*

Anna, filium quem Deo vouerat, poſtquã obtulit in tabernaculo nũquam recepit; indecens abitrata, vt futurus propheta in eius domo creſceret, quæ adhuc alios filios habere cupiebat. Deniq; poſtquam concepit, & peperit, nõ eſt auſa ad templum accedere, & vacua apparere coram Domino, niſi prius redderet, quod debebat: taliq; immolato ſacrificio, reuerſa domum, quinque liberos ſibi genuit, quia primogenitum Deo pepererat. Miraris felicitatẽ ſanctæ mulieris? imitare fidem, ipſe ſi Paulam miſeris, & magiſtrũ me & nutriciũ ſpondeo. Geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multò glorioſior mũdi philoſopho, qui non regẽ Macedonum, Babylonio periturũ veneno, ſed ancillã & ſpõſam Chriſti erudiam, regnis cæleſtibus offerendã. *To.1. epiſtola 7. ad Lætam ca.6.*

*Annæ magna fœlicitas, quod Deo Samuelem obtulerit.*

Annae filiæ Phanuelis mirabatur ardorẽ, quæ orationibus atq; ieiunijs vſq; ad vltimã ſenectutẽ in templo Dñi ſeruiebat. Quatuor virginũ filiarũ Philippi deſiderabat chorum, & vnam ſe illarum eſſe cupiebat, quę pudicitia virginali prophetię gratiã conſecutę ſunt. His & huiuſcemodi cogitationib. paſcebat animã, nihil ita metuẽs, quã auiã matremq; offendere, quarum cũ incitaretur exẽplo, voluntate & ſtudijs terrebatur, non quò diſpliceret eis ſanctũ propoſitum, ſed quod pro rei magnitudine, optare id, & appetere nõ auderent:

*Lucæ 2. Actor.21. Quatuor filiæ Philippi virgines pudicitia virginali prophetiæ gratiam conſequuta. Sanctũ propoſitum virginitatis.*

*Heſter 2.15.*

Aeſtuabat Chriſti tyruncula, oderat ornatũ ſuũ: & cùm Heſter loquebatur ad Dominum. Tu noſti quod oderim inſigne capitis mei, hoc eſt diadema, quò vtebatur quaſi regina, & tantæ ducam immunditiæ, velut pannum menſtruatæ. *Tom. 1. Epiſtolâ 8. ad Demetriadem cap. 2.*

QVID vltra differo? Cùm iam nuptiarum appropinquaret dies, & matrimonio thalamus pararetur, ſecreto & abſque arbitris, noctemq; habens pro ſolatio, talib. ſe fertur armaſſe conſilijs: Quid agis Demetrias? Cur pudicitiã tanto pauore defendis? libertate opus eſt, & audacia. quæ ſic in pace metuis, quid faceres in martyrio perpetiendo? quæ tuorum vultum ferre non potes, quomodo ſuſtineres tribunalia perſecutorum? ſi te virorũ exempla nõ prouocant, hortetur, faciatq; ſecuram beata martyr Agnes, quæ & ætatem vicit, & tyrannum, & titulum caſtitatis matyrio cõſecrauit. Neſcis miſera, neſcis cui virginitatem tuam debeas. Dudum inter barbaras tremuiſti manus, auiæ, matriſque ſinu, & pallijs tegebaris. Vidiſti te captiuam, & pudicitiam tuam, non tuæ poteſtatis: horruiſti truces hoſtium vultus: raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti. Vrbs tua quondam orbis caput, Romani populi ſepulchrũ eſt, & tu in Lybico littore, exulem virum exul ipſa accipies? quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ, procacia tibi Feſcennina cantabit. Rumpe moras omnes. Perfecta Dei dilectio foras mittit timorem. Aſſume ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ, galeam ſalutis: procede ad prælium. Habet & pudicitia ſeruata martyrium ſuum. Quid metuis animã? quid formidas parentem? forſitan & ipſi velint, quod te velle non credunt. *Ibidem.*

*Laus B. Agnetis.* *Raptæ virgines.* *1. Ioan. 4.* *Ephes. 6.*

NVNC quia ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt baptiſmum gradu, iniſti pactum cum aduerſario tuo, dicens ei: Renuncio tibi, diabole, & ſæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: ſerua fœdus, quod pepigiſti, & eſto conſentiens, pactũque cuſtodiens cum aduerſario tuo. *Tom. 1. epiſtola 8. ad Demetriadem cap. 5.*

*Virginitatis votum & pactum ſecũdus poſt baptiſmum gradus.*

SED tibi aliud propoſitum eſt. Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus, ſuſcipere in his, qui tecto indigent, & maximè in domeſticis fidei, virginum alere monaſteria, ſeruorum Dei, & pauperum ſpiritu habere curam, qui diebus & noctibus ſeruiũt Domino tuo, qui in terra poſiti, imitantur angelorum conuerſationem, & nihil aliud loquũtur, niſi quod ad laudes Dei pertinet, habenteſque victum & veſtitum, his gaudent diuitijs, qui plus habere nolunt, ſi tamen ſeruant propoſitum, alioquin ſi amplius deſiderant, his quoque, quæ neceſſaria ſunt, probantur indigni. *Ibidem cap. 7. f.*

*Virginum alere monaſteria eſt laudabile.* *Virgines imitantur angelorum conuerſationem.* *Propoſitum virginale.*

QVID Euſtochio fortiùs, quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis conſularis, virginali propoſito fregerit, & in vrbe prima, primum genus ſubiugauerit pudicitiæ? *To. 1. epiſt. 26. ad Pammachium cap. 1.*

*Apoc. 7. 14.* *Ioan. 14.* *4. Cor. 1. 5.*

FRVATVR ille virtutis corona, & ob quotidiana martyria ſtolatus agnum ſequatur. Multæ. n. ſunt manſiones apud patrẽ. Et Stella à ſtella differt in claritate. Mihi cõcede, vt inter ſanctorũ calcanea caput poſſim leuare, vt cũ ego voluerim, ille perfecerit, mihi ignoſcas, quia implere non potui, illi tribuas prœmiũ, quod meretur. *To. 1. epiſt. 41. f.*

*Conſecratio virginum.*

NON tibi diſpliceat eius conuerſatio, quæ te ſponſo tuo virginẽ conſecrauit. *To. 1. epiſt. 47. ca. 2.*

ETENIM in Aſia elementa maxima dormierunt, quæ reſurgent in die Domini, quando venturus eſt de cælis in maieſtate ſua, & ſuſcitaturus omnes ſanctos. Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines ſenuerunt, & aliam eius filiam, quæ ſpiritu ſancto plena, in Epheſo occubuit. *To. 1. de viris illuſtribus in Polycrate.*

*Virgines filiæ Philippi. Actor. 21.* *Ioan. 21.*

IN Leuitico de ſeptẽ tantum ſcriptũ eſt: & refertur, quo modo Moyſes fratrem ſuũ Aaron illis induerit: de ſolis fœminalib. nihil dicitur, hac, vt arbitror, cauſa, ꝙ ad genitalia noſtra & verenda lex nõ mittit manũ, ſed ipſi ſecretiora noſtra, & confuſione digna, tegere & velare debemus, & conſcientiã puritatis fœminũ Deo iudici reſeruare. De cæteris virtutib. verbi gratia, ſapientia, fortitudine, iuſtitia, temperantia, humilitate, mãſuetudine, liberalitate, poſſunt & alij iudicare: pudicitiam ſolam nouit conſcientia, & humani oculi huius rei certi iudices eſſe non poſſunt: abſq; his, qui paſſim in morem brutorũ animalium libidini expoſiti ſunt. Vnde & Apoſtolus de virginib. inquit, præceptum Dñi non habeo: quaſi Moyſes loquatur: fœminalibus ego non veſtio, nec impono alicui neceſſitatum: qui vult ſacerdos eſſe, ipſe ſe veſtiat. O quantæ virgines & quantorũ ſperata pudicitia in die iudicij dehoneſtabitur: quantorum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur. Ipſi igitur aſſumamus fœminalia: ipſi noſtra verenda operiamus: non quæramus alienos oculos, ita tegantur genitalia, vt nullorum oculis pateant, ne quando intramus ſancta ſanctorum, ſi qua apparuerit turpitudo, morte moriamur. *To. 3. epiſt. 128. ad Fabiolam fol. 369. fac. 1.*

*Leuit. 8.* *Conſcientia puritatis et caſtitatis Deo iudici reſeruanda.* *1. Cor 7.* *Ficta caſtitas in die iudicij dehoneſtabitur.*

QVAM multæ Suſannæ, quod interpretatur lilium, quæ candore pudicitiæ ſponſo ſerta componunt, & coronam ſpineam mutant in gloriam triumphantis. Habes ibi in ſtudio ſcripturarum, & in ſanctimonia mentis & corporis Marcellam & Aſellam: quarum altera te per prata virentia, & varios diuinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in Cantico: Ego flos campi, & liliũ conuallium: altera, ipſa flos Domini tecum mereatur audire: Vt lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum. Et quia de floribus & lilijs loqui cœpimus, ſemperque virginitas floribus comparatur, oportunum mihi videtur, vt ad florem Chriſti ſcribens, de multis floribus diſputẽ. *To. 3. epiſt. 140. ad Principiam fo. 393. f. 2.*

*Cant. 2.*

IN Hebrȩo: Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuũ fortiſſime. Gloria & decore tuo. Iſtũ arbitror te locũ optimè intelligere, & accinctã Chriſti gladio militare; Vt aũt ſcias, ſemper virginitatẽ gladium habere pudicitiæ, per quẽ trũcat opera carnis, & ſuperet voluptates: gentilis quoque error deas virgines finxit armatas, Accinxit & Petrus lumbos ſuos, & ardentem lucernã habuit in manibus ſuis. *Ibidem fol. 395. fac. 1.*

*Gladium hãbet virginitas.* *Virgines deæ armatæ.*

GLORIA ergo & decore ſuo, ſiue ſpecie & pulchritudine diuinitatis ſuȩ, carnis opera mortificans, & natus ex virgine futuris virginibus virginitatis princeps fuit. *Ibidem.*

PRAEFATIO ipſa te docuit, idcircò me hũc Pſal. explanare voluiſſe, quia ad virginẽ ſcribẽs pro lilijs & floribus titulũ reperi, itaq; cõſequenter & iſtos verſiculos ad te referã, cui volumẽ hoc ſcribitur. Mortificaſti mẽbra tua ſuper terrã, & quotidie Chriſto offers Myrrhã, Chriſti bonꝰ odores, & propterea ſtacten, id eſt, ſtillã vel guttã exhibes Domino.

*Quæ ſunt indumenta & veſtimenta ſponſæ.*



Dño. Narrãt & ij, qui aromatũ nouere virtutes, ſtacten florem eſſe Myrrhȩ. Quod autem autem ſequitur, Caſia, eſt ipſa, quæ ab alijs, σύριγξ, id eſt, fiſtula nuncupatur, vocabulis in laudes Dei, & omnes pituitates & rheumata voluptatum ſuo calore excoquens: Vbi in noſtris codicibus ſcriptum eſt, gutta, vel ſtacte in Hebraico ahaloth legitur. Vnde & Nicodemus centum libras myrrhæ & aloes ad ſepeliendum Dominum præparauit. Et ſponſus loquitur ad ſponſam: Myrrha & aloe cum omnibus vnguentis primis: Et illa reſpondet: Manus meæ ſtillauerunt myrrham: digiti mei myrrha pleni. Proijce & tu mortis opera, Chriſto in baptiſmate conſepulta, & huic mundo mortua eſto: & nihil aliud niſi de cœleſtibus cogitans, loquere ad ſponſum tuũ: Manus meæ diſtillauerunt myrrham: Digiti mei myrrha pleni. Legimus & vnguentum ſacerdotale, cuius & Dauid meminit: Sicut vnguentũ in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius. In quo, cum cæteris aromatibus miſcetur & ſtacte. Offerunt & Magi myrrham. Et in præſenti loco: initium veſtimentorum Chriſti, eſt ſuſcipere mortem illius, & in ſua carne monſtrare. Hæc indumenta para ſponſo tuo, his à te veſtibus comptus incedat. Cumque ei huiuſcemodi texueris veſtimenta, efficieris ipſa templum Dei, & lætificabis eum de domibus eburneis, ſiue vt melius in Hebraico ſcribitur, de templo dentium: & laudes Domino canes: totaque ſæculo mortua angelorum imitaberis choros. Ebur enim & dentes, inſigne eſſe mortis & vocis ipſa nominum natura teſtatur. *Ibidem, fol. 396. facie 1.*

*Ioan. 19.* *Cant. 4.* *Leuit. 8.* *Pſal. 132.* *Matth. 2.* *Sponſo Chriſto qualia veſtimenta texenda à ſponſa.*

GRATVLOR tibi, & ſanctæ atque venerabili ſorori tuæ Serenillæ, quæ feronymos, calcatis fluctibus ſæculi ad Chriſti tranquilla peruenit. *Tom. 3. Epiſtola 154. ad Deſiderium.*

ET ad mortuum hominem, &c.] Adhuc ſacerdotibus præcipitur. In quibus obſeruandum, quod non dixerit abſolutè: & ſabbatha ſanctificabunt, vel iuxta Eſaiam: Neomenias & ſabbatha veſtra odit anima mea, ſed cum diſtinctione ſabbatha mea. Vnde & in Euangelio ſcriptum eſt: Sacerdotes in templo ſabbathum violant, & abſque culpa ſunt: non ſabbathum Dei, ſed ſabbathum litteræ, ſabbathum Iudæorum: quod recte violant, qui ſunt genus electum, regale, ſacerdotale. Porrò ſabbathum quod ſanctificatum eſt, illud intelligamus, quod Apoſtolus docet rectum eſſe populo Dei, de quo dicitur: Si intrabunt in requiem meam: quod Hebraicè ſabbathum nominatur. Sanctificat autem ſabbathum Dei, qui non portat onus peccati in ſabbatho, nec dicit: Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Qui talis eſt, non colligit ligna in ſabbatho, nec ſuperædificat fundamento Ieſu Chriſti, ligna, fœnũ, ſtipulã, nec accendit ignem qui inutilem conſumat materiam: & die ſabbathi in vno permanet loco, nec foras egreditur, ſed quaſi columna in templo Dei poſitus permanet, ſuper quo Iohannes ſcribit in Apocalypſi: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Quodq; ſequitur: & ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur: propriè ſacerdotalis officij eſt, morticinia non tangere, vt qui pro aliorum vitijs deprecatur, ipſe ad altare mundus accedat. De quibus mortuis Saluator loquitur in Euangelio. Dimitte mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos. Iſti contaminantur in patre mortuo, quando relinquũt creatorem ſuum, & in matre mortua, de Eccleſia, recedentes, in filio quoq; & filia, quod aliud ad cogitationes aliud ad opera pertinet, quod ſignificantius græcè dicitur: τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητὰ, fratrem quoque & ſororem, qui eodem renatus eſt ſpiritu, ſi putauerit mortuum, contaminatur in eo: ita duntaxat: ſi ſoror virgo permamſerit, nec vllius viri fuerit maculata complexu. Ex quibus intelligimus priuilegium virginale, quod cuiuslibet viri contactus perfectam auferat puritatem. *Tom. 4. lib. 13 Com. in cap. 44. Ezechiel. fol. 478. fac. 1.*

*Eſaiæ 1.* *Matth. 12.* *1. Petr. 2.* *Heb. 4.* *Pſal. 94.* *Pſal. 37.* *Num 15.* *1. Cor. 3.* *Exod. 35.* *Apocal. 3.* *Sacerdos cur ad altare mundus accedere debeat.* *Matth. 8.* *Priuilegium virginale.*

IN illo tempore, deficient animæ virginales, quas incorruptas Apoſtolus nominat, & cupit æternam pudicitiam poſſidere, ſcribens ad Corinthios: deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtitia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. Et ſi eſſent omnes virgines pulchræ vel bonæ, nunquam dixiſſet, deficient virgines bonæ: ſed ad diſtinctionem malarum virginum bonas poſuit, quæ ſunt ſanctæ corpore & ſpiritu? Malæ virgines quinque ſunt ſtultæ, quæ lampadibus ſuis oleum non parauerunt. Bonæ & ſpecioſæ virgines illȩ ſunt, quæ lumen habuerunt virtutum, & ſponſi thalamum ingreſſæ ſunt. Deficient autem virgines, quia verbum Domini non inuenient: Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Eccleſijs, perire pudicitiam, caſtitatem mori, omnes abire virtutes: quia non comederunt verbum Domini: quod qui comederit ſaginatus eius cibo, audiet per Salomonem: Iuſtus comedens ſaturat animam ſuam: animæ autem impiorum eſurient. Et Dauid qui ad ſenectutem peruenerat Abraham, liberè decantabat: Iuuenis fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quȩrens panem. Quanti martyres in perſecutionibus perierunt fame & indiguerunt frumento alimentiſque iſtis corporum. Ergo de eo dicit pane, qui de cœlo deſcendit: quem qui comederit nec eſurire poterit nec ſitire. Deficientibus autem virginibus, & adoleſcentes deficient, qui prius vicerant mundũ, & idcirco deficient, quia iurant in idolos Samariæ, quam in hæreticorum perſona ſemper accipimus: dicente hoc eodem Propheta. Vȩ qui deſpiciunt Sion confidunt in monte Samariæ. *Tom. 5. libr. 3. Commentariorum, in cap. 8. Amos, fol. 122. fac. 1.*

*2. Cor. 11.* *Matth. 25.* *Quanta incommoda oriantur ex defectu doctrinæ in Eccleſia.* *Prouerb. 13.* *Pſal 36.*

QVICQVID dicitur de membris, refertur ad corpus, & noſtri profectus, Domini victoria eſt. Cumq; nos peruenerimus in virum perfectum in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti: ille iudicabit domum Dei: ſecundum id quod Apoſtolus dixit: Chriſtus autem ſicut filius ſuper domum eius cuius domus ſumus nos. Et ad Timotheum: Si tardauero, vt ſcias quomodo debeas in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis. Et non ſolum iudicabit domum eius, ſed cuſtodiet atria Domini: de quibus ſcriptum eſt. Adorate Dominum in atrio ſancto eius. Iudicabit autem ſiue dijudicabit domum eius, & pro meritis ſingulorum, alij dans decem ciuitates, & alij quinque, & alios in Eccleſia conſtituens prophe-

*Regula ſcripturæ.* *2. Cor. 8.* *Epheſ. 4.* *Heb. 3.* *1. Tim. 3.* *Pſal 28.* *Lucæ 19.*

*Epheſ. 4. 1. Cor. 12. Pſal. 81. Philip 3.*

tas, alios Apoſtolos, alios doctores, alios ſigna facientes, alios pro oculis habens alios pro manibus, alios pro pedib. iuxta illud q legimus: Deus ſtetit in ſynagoga Deorū, in medio autem Deos dijudicat. Dedit quoq; ei de angelorum numero miniſtros: qui in carne conſtituti, ſimiles angelorum ſunt, & de quibus Apoſtolus loquebatur: Noſter municipatus in cœleſtibus eſt. Si enim angeli non nubunt neque nubuntur, & qui in virginali continentia perſeuerant, ſimiles angelorum ſunt. Cur non putemus angelicæ dignitatis Apoſtolos & ſanctos quoſque datos Ieſu: qui aſsiſtant ei in Eccleſia, & nunquam fluctuantes habeant pedes, ſed cum ſtante ſtent Domino. *Tomo 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Zachariæ. fol. 239. fac. 1.*

*Matth 22. Qui in continentiæ virginali perſeuerant ſimiles angelorū ſunt.*

*Pſal. 103. 2 Cor. 7. Pſal. 44.*

QVI frumentum eſt electorum ſiue iuuenum, ipſe eſt & vinum quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ ſunt ſanctæ & corpore & ſpiritu: vt inebriatæ atque gaudentes ſequantur Eccleſiam, & dicatur de eis: Adducentur regi vigines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. afferentur in lætitia & exultatione. Quo modo enim lætitiam non habebunt quæ inebriatę poculo Saluatoris generantur in virgines & audent dicere: Introducite me in cellulam vini: confortate me in vnguentis? vinum hoc boni odoris eſt: vnde in eodem carmine dicitur: Potabis me de vino vnguentarij, de riuis malo granatorum tuorum. Hoc vino inebriati ſunt, qui ſequuntur agnum Dei, quocunque vadit, veſtiti candidis veſtibus: quia ſe cum mulieribus non coinquinauerunt: virgines enim permanſerunt *Tom. 5. lib 2. Commentarium, in cap. 9. Zachariæ, folio 257. fac. 1.*

*Cant. 2. Vinum myſticum in ſacrificio. Ib. d. 8. Apocal. 24.*

*Triplex genus Eunuchorum & qui ſint vere Euangelici.*

TRIPLEX genus eſt Eunuchorum, duorum carnalium, & tertij ſpiritualis. Alij ſunt qui de matris vtero ſic naſcuntur. Alij quos vel captiuitas facit. vel deliciæ matronales. Tertij ſunt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorū, & qui cum poſsint eſſe viri, propter Chriſtū Eunuchi fiunt: iſtis promittitur præmium ſuperioribus autē, quibus caſtimonię neceſsitas eſt non voluntas, nihil omninò debetur. Poſſumus & aliter dicere. Eunuchi ſunt ex matris vtero, qui frigidioris naturæ ſunt, nec libidines appetentes: Et alij qui ab hominibus fiunt: quos aut Philoſophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas: vel perſuaſione hæretica ſimulant caſtitatem, vt mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum conſequitur regna cœlorum, niſi qui ſe caſtrauerit propter Chriſtum. Vnde & infert: Qui poteſt capere capiat: vt vnuſquiſque conſideret vires ſuas, vtrum poſsit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. *Tom. 6. libr. 3. Com. in cap. 19. Matthæi Cano. 39. fac. 2.*

*Quidam perſuaſione hæretica ſimulant caſtitatem.*

TOLLITE hoſtias & introite in atria eius. Hoſtiam ſanctam viuam, placentem Deo. Tollite hoſtias. Vos ipſi afferte hoſtias. Quas hoſtias? Vos ipſi æſtote hoſtiæ. Virginitas, holocauſtum Chriſti. Vniuerſa caſtitas, ſiue in virginitate, ſiue in viduitate, ſiue in continentia, hoſtia Chriſti eſt. Rem nouam loquor, hoſtia caſtitatis ipſa ſe portat. *Tom. 7. Com. in Pſal. 95. fol. 122. fac. 2.*

*Virginitas eſt holocauſtum Chriſti.*

### *Articulus VII. Votum virginitatis à Dei para virgine factum eſſe, & eam fuiſſe perpetuam virginem.*

PROPONE tibi beatam Mariam: quæ tantæ extitit puritatis, vt mater Domini eſſe mereretur. Ad quam cum angelus Gabriel in viri ſpecie deſcendiſſet, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum: conſternata & perterrita reſpondere non potuit, nunquam enim à viro fuerat ſalutata. Denique nuncium diſcit, & loquitur, & quæ hominem formidabat, cum angelo fabulabatur intrepida. *Tom. 1. Epiſtola 22. ad Euſtochium, cap. 16. De perpetua virginitate Mariæ vide Tomo 2. in Epiſtola aduerſus Heluidium cap. 1. latius 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ſequentibus.*

*Cant. 4. Maria hortus concluſus. Luc. 13. Cant. 4. Cant. 5.*

HORTVS concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus fons ſignatus. Quod clauſum eſt atque ſignatum, ſimilitudinem habet matris Domini, matris & virginis. Vnde & in ſepulchro Saluatoris nouo, quod in petra puriſsima fuerat exciſum, nec ante nec poſtea quiſquam poſitus eſt, & tamen hæc virgo perpetua multarum eſt mater virginum. Sequitur enim: Emiſsiones tuæ paradyſus malogranatorum cum fructu pomorum. In malogranatis & pomis omnium virtutum ſignificatur in virginitate concentus. Fratruelis meus candidus & rubicundus: candidus in virginitate, rubicundus in martyrio. Et quia rubicundus & candidus eſt, idcirco ſtatim additur: Guttur eius dulcedines, & totus concupiſcentia. Sponſus virgo laudatus à ſponſa virgine, laudat viciſsim virginem ſponſam & dicit ei: Specioſi facti ſunt greſſus tui in calciamentis filij Aminadab, quod interpretatur, populi ſponte offerentis. Virginitas enim voluntaria eſt, & ideo greſſus Eccleſiæ in caſtitatis pulchritudine collaudantur. Non eſt huius temporis in morem commentarij omnia de Cantico canticorum virginitatis pandere ſacramenta, quia & hæc ipſa faſtidioſo lectori nares contractura non ambigo. *Tom 2. lib. 1. contra Iouinianum, cap. 17. f.*

*Eſaiæ 7.*

LOQVATVR Eſaias, ſpei noſtræ fideiq; myſterium. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel. Scio Iudæos opponere ſolere, in hebręo verbum, עלמה Alma, non virginem ſonare, ſed adoleſcentulam. Et reuera virgo propriè bethula appellatur, adoleſcentula autem vel puella, non halma dicitur, ſed naara. Quid eſt igitur, quod ſignificat halma? Abſconditam virginem, id eſt, non ſolum virginem, ſed cum ἐπιτάσει virginem: quia non omnis virgo abſcondita eſt, nec ab hominum fortuito ſeparata conſpectu. Denique & Rebecca in Geneſi, ob nimiam caſtitatem & Eccleſiæ typum quem in ſua virginitate ſignabat, halma ſcribitur, non bethula: ſicut manifeſtum eſſe poterit ex ſermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Meſopotamia, & dicit: Domine Deus Domini mei Abraham, ſi tu dirigis viam meam, per quam ego ingredior, ecce dum ſtetero ſuper fontem aquæ, virgo, quæ egredietur vt hauriat aquã, & dixero ad eam: Da mihi paululum aquæ, vt bibam de hydria tua, & reſponderit, & tu bibe & camelis tuis hauriam, hæc erit vxor quam præparauit Dominus filio Domini mei. In eo enim loco, in quo ait: Virgo quæ egredietur, vt hauriat aquã, in hebraico ſcriptum eſt, halma, id eſt, virgo ſecreta, & nimia parentum diligentia cuſtodita. Aut certè oſtendant mihi, vbi hoc verbo appellentur & nuptæ, & imperitiã confitebor. Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium. *Ibid. cap. 18. p.*

*Maria virgo abſcondita. Geneſ. 24. Geneſ. 24. Halma eſt virgo ſecreta.*

OMNES hæretici errauerunt, non intelligentes myſterium natiuitatis eius, magiſque ad ſpecialem



cialem natiuitatem Saluatoris, quam ad omnium hominum referri poteſt hoc, quod dicitur: Qui aperit vuluam ſanctus vocabitur Domino. Solus enim Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt. *Tomo. 2. libr. 2. dialogorum aduerſus Pelagianos, cap. 2. fol. 282. fac. 1.*

*Maria porta Orientalis clauſa.*

*Cant. 1. Pſal. 23. Ezech. 44. Lucæ 1. Prouerb. 9.*

OSCVLETVR me oſculo oris ſui. Dominus & virtutum ipſe eſt rex gloriæ, ipſe deſcendet in vterum virginalem, & ingredietur & egredietur orientalem portam quæ ſemper clauſa eſt, de quo Gabriel dicit ad virginem. Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi, propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Et in Prouerbijs: Sapientia ædificauit ſibi domum. Quando autem dicitur: Dabit Dominus ipſe vobis ſignum, nouum debet eſſe atque mirabile. Sin autem iuuencula vel puella, vt Iudæi volunt, & non virgo pariat, quale ſignum poterit appellari, cum hoc nomen ætatis ſit, non integritatis. Et reuera, vt cum Iudęis conferamus pedem, & nequaquam contentioſo fune præbeamus eis riſum noſtræ imperitiæ, virgo hebraicè bethoula appellatur, quæ in præſenti loco non ſcribitur, ſed pro hoc verbo poſitum eſt, halma, quod præter LXX. qui poſuerunt ἡ παρθένος omnes adoleſcentulam tranſtulerunt: Porrò, alma apud eos verbum ambiguum eſt, dicitur enim & adoleſcentula, & abſcondita, id eſt; ἀποκρυφή. Vnde & in titulo Pſalmi noni, vbi in hebræo poſitum eſt, almout cæteri interpretes tranſtulerunt, pro adoleſcentia, quod ſeptuaginta interpretati ſunt, pro abſconditis. Et in Geneſi legimus, vbi Rebecca dicitur alma, Aquilam non adoleſcentulam nec puellam, ſed abſconditam tranſtuliſſe. Sunamitis quoque mulier amiſſo filio, cum Helizæi fuiſſet pedibus prouoluta, & prohiberet eam Iezi, audit à Propheta: Dimitte eam quia in dolore eſt, & Dominus abſcondit à me, in Hebræo ſcriptum eſt, heghlim. Ergo alma non ſolum puella vel virgo, ſed cum ἐπιτάσει virgo abſcondita dicitur & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Lingua quoque punica, quæ de hebræorum fontibus manare dicitur propriè virgo alma appellatur. Et vt riſum præbeamus Iudæis, noſtro quoque ſermone alma ſancta dicitur. Omniumque penè linguarum verbis vtuntur hebræi. Vt eſt illud in Cantico canticorum, de græco φορεῖον, id eſt, ferculum ſibi fecit Salomon, quod & in hebræo ita legimus. Verbum quoque, nugas & menſuram hebræi eodem modo, & eiſdem appellant ſenſibus. Et quantum cum mea pugno memoria, nunquã me arbitror alma in muliere nupta legiſſe, ſed in ea, quæ virgo eſt, vt non ſolum virgo ſit, ſed virgo iunioris ætatis, & in annis adoleſcentiæ. Poteſt enim fieri, vt virgo ſit vetula, iſta autem virgo erat in annis puellaribus. Vel certè virgo non puella & quæ adhuc virum noſſe non poſſet, ſed iam nubilis. Denique in Deuteronomio, ſub puellæ & adoleſcentulæ nomine, virgo intelligitur: Si inuenerit inquit homo, in campo puellam deſponſatam, & vi opprimens dormierit cum ea: interficietis virum ſolum, qui concubuit cum ea, & puellæ nihil facietis: non eſt adoleſcentulæ peccatũ mortis. Quia quomodo ſi quis in inſidijs inſurgat contra proximum ſuum, & interficiat animam eius, ſi hoc negotium accidit. In agro inuenit eam: clamauit puella deſponſata, & non eſt inuentus qui auxiliaretur ei. Et in Regum volumine legimus, quod quæſierint puellam virginem nomine Abiſag, & introduxerint ad Regem quæ dormiret cum eo, & foueret eum, & erat puella pulchra nimis, & miniſtrabat ei, & rex non cognouit eam. *Tom. 4. lib. 3. Comment. in cap. 7. Eſaiæ. fol. 28. fac. 1.*

*Cum Iudæis Hieronymus confert pedem. Geneſ. 14. 4. Reg. 4. Linguã punica de hebræorum fontibus manat. Cant. 3. Omnium pene linguarũ verbis vtuntur hebræi. Deut. 22. 3. Reg. 1.*

PVLCHRE quidam portam clauſam, per quam ſolus Dominus Deus Iſrahel ingreditur, & dux cui porta clauſa eſt, Mariam virginem intelligunt: quæ & ante partum & poſt partum virgo permanſit. Etenim tempore quo angelus loquebatur: Spiritus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit te: quod autem naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei: & quando natus eſt virgo permanſit æterna: ad confundendos eos, qui arbitrantur eam poſt natiuitatem Saluatoris habuiſſe de Ioſeph filios, & ex occaſione fratrum eius, qui vocantur in Euangelio Super quã quæſtiuncula. Romæ aduerſum Heluidium illius temporis hæreticum, in adoleſcentia non grandem librum ſcripſiſſe me noui. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 44. Ezechielis. fol. 474. fac. 1.*

*Porta clauſa Maria. Lucæ 1. Maria poſt natum ſaluatorem non habuit liberos de Ioſeph Marc. 3.*

HVNC ventum vrentem, qui ſiccet venas mortis, & fontes eius areſaciat, adducet Dominus de deſerto aſcendentem: De deſerto autem humani generis, in quo & diabolus quærens requiem inuenire non potuit. Siue deſertum intelligimus ſanctæ Mariæ vterum virginalem, quod abſque ſemine humano nullo frutice pullulauerit: ſed virgo ſimplex atque puriſsima, & vnione fœcunda ediderit eum florem, qui dicit in Cantico canticorum: Ego flos campi & lilium conuallium. Et pulchrè tam in Eſaia quam in præſenti loco, flos aſcendens dicitur: quia de humilitate carnis ad excelſa conſcendit & nos ſecum duxit ad patrem, dicens in Euangelio: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 13. Oſee, fol. 74. fac. 2.*

*Deſertum cur intelligamus vterum Mariæ. Cant. 2. Eſaiæ 11. Ioan. 12.*

QVARE non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata concipitur? Primum vt per generationem Ioſeph, origo Mariæ monſtraretur. Secundo ne lapidaretur à Iudæis, vt adultera. Tertio vt in Aegyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit: vt partus inquiens eius celaretur diabolo: Dum eum putat non de virgine, ſed de vxore generatum. *Tom. 6. Com. in cap. 1. Matthæi, Cano. 1. fac. 1.*

*Quatuor cauſæ cur de deſponſata virgine naſcatur.*

NON alio inuenta eſt niſi à Ioſeph, qui pene licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. Quod autem dicitur, antequam conuenirent: non ſequitur vt poſtea conuenerint: ſed ſcriptura quod factum non ſit oſtendit. *Ibidem.*

SI quis fornicariæ coniungitur, vnum corpus efficitur, & in lege præceptum eſt, non ſolum reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Ioſeph cum crimen celaret vxoris, iuſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat: celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat. *Ibidem.*

*Leuit. 5.*

ET accepit coniugem ſuam, & non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum.] Ex hoc loco quidam peruerſiſsimè ſuſpicantur, & alios filios habuiſſe Mariam, dicentes, primogenitum

*Primogenitus qui primus natus licet nullus ſequatur ex more ſcripturæ.*

genitum non dici, niſi qui habeat & fratres: cum hic mos ſit diuinarum ſcripturarum, vt primogenitum non eum vocent, quem fratres ſequantur, ſed eum qui primus natus ſit. Lege ſupradictum libellum aduerſum Heluidium. *Ibidem, Cano. 2. fac. 1 f. cap. 1.*

*Fratres Domini ſunt eius conſobrini. Marc. 6. & 16.*

QVIDAM fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes delyramenta Apochriphorum & quandam Eſcham mulierculam confingentes. Nos autem ſicut in libro quem contra Heluidium ſcripſimus continetur fratres Domini, non filios Ioſeph, ſed conſobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph & Iudæ, quos in alio Euangelij loco fratres Domini legimus appellatos: fratres autem conſobrinos dici, omnis ſcriptura demonſtrat. *Tom. 6. libr. 2. Com. in cap. 12. Matthæi, Canon. 23. fac. 2.*

*Nouum ſepulchrum Mariæ vterus.*

POTEST autem & nouum ſepulchrum, Mariæ virginalem vterum demonſtrare, ſaxumque oſtio appoſitum. & ſaxum magnum, oſtendere abſque auxilio plurimorum ſepulchrum non potuiſſe reſerari. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 27. Matthæi, Cano. 65. fac. 2.*

*Specialiter Iacobus præ cæteris frater Domini dictus. Ioan. 20.*

MEMINI me dum Romæ eſſem, impulſu fratrum librum de ſanctæ Mariæ virginitate edidiſſe perpetua. In quo mihi neceſſe fuit de his qui fratres Domini dicti ſunt, diutius diſputare. Vnde qualiacunque ſunt illa, quæ ſcripſimus, his contenti eſſe debemus. Nunc hoc ſufficiat, vt propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non modicam, frater dictus ſit Domini, & quod primus ei Eccleſiæ præfuerit, quæ prima in Chriſtum credens ex Iudæis fuerat congregata. Dicuntur quidem & cæteri Apoſtoli, fratres Domini, ſicut in Euangelio. Vade dic fratribus meis: Vado ad patrem meum, & ad patrem veſtrum: ad Deum meum, & ad Deũ veſtrum. Et in Pſalmo: Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ cantabo te. *(Pſal. 21.)* Sed præcipuè hic frater dicitur, cui filios matris ſuæ ad patrem vadens Dominus commendauerat. Et quomodo Iob & cæteri patriarchæ dicti ſunt quidem famuli Dei: ſed quaſi egregium quiddam Moyſes habuit, vt ſcriberetur de eo: Sed non ſicut Moyſes famulus meus: *(Hebr. 3.)* ſic & beatus Iacobus ſpecialiter frater Domini (vt ante diximus) appellatus eſt. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Galatas fol. 125. fac. 1.*

*Matth. 1. Ioan. 2.*

QVOD autem ſanctam ac beatam matrem Domini, mulierem non virginem nominauit, hoc idem & in Euangelio κατὰ ματθαῖον ſcriptum eſt, quando vxor appellatur Ioſeph, & ab ipſo Domino quaſi mulier increpatur. Non enim neceſſe erat ſemper quaſi cautè & timidè virginem dicere, cum mulier ſexum magis ſignificet, quam copulam viri, ſecundum intelligentiam Græcitatis γυνὴ tam vxor, quam mulier valeat interpretari. *Tom. 6. libr. 2. Comment. in cap. 4. ad Galatas. fol. 138. fac. 2.*

*Mulier magis ſexum ſignificat quã copulam viri.*

*Rom. 7.*

ET quo modo in cœnum & barathrum mortis propter nos deſcendit, qui orabamus dicentes: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Ita & ex muliere naſci voluit, & eſſe ſub lege: vt eos qui nati erant de muliere & ſub lege, ſaluaret. Et certè non eſt natus de muliere: id eſt, de nupta, ſed de virgine. Verum abuſiuè virgo mulier appellata eſt, propter eos, qui illam fuiſſe virginem neſciebant. Vt itaque propter illos qui ſanctam Mariam arbitrabantur maritum habere, mulier pro virgine poſita eſt: ſic propter eos, qui æſtimabant Chriſtum eſſe ſub lege, neſcientes quia factus eſſet, his qui erant ſub lege, quaſi ſub lege: Dicitur & ipſe factus eſſe ſub lege. *Tom. 6 lib. 3. Commentariorum, in cap. 5. ad Galatas, fol. 152. fac. 1.*

*Abuſiuè virgo eſt mulier appellata.*

## *Articulus VIII. Cœlibatus & Caſtitatis ſeruandæ atque viuendæ, Hieronymum ſedulum eſſe ſuaſorem.*

*Docet in præterita caſtitate non confidendum. Geneſ. 3.*

HOSPITIOLVM tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Nec ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauid, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod paradyſi colonum de poſſeſsione ſua mulier eiecerit. *Tom. 1. Epiſt. 2. ad Nepotianum, cap. 5.*

*Familiaria ſecreta virginum vitanda.*

AEGROTANTI tibi, quilibet ſanctus frater aſsiſtat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod ſi huiuſcemodi non fuerint conſanguinitatis caſtimoniæque perſonæ: multas anus nutrit Eccleſia, quæ & officium præbeant, & beneficiũ accipiant miniſtrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemoſynæ. Scio quoſdam conualuiſſe corpore, & animo ægrotare cœpiſſe. Periculosè tibi miniſtrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas. Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris. Si lector, ſi accolytus, ſi pſaltes te ſequitur: non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas; ſed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum ſola, ſecreto & abſque arbitro, vel teſte non ſedeas. Sed familiarius eſt aliquid loquendum: habet nutricem maiorem domus virginem viduam, vel maritatam: non eſt tam inhumana, vt nullum præter te habeat cui ſe audeat credere. Caueto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos ac deguſtatos cibos blandaſque & dulces litterulas, ſanctus amor non habeat. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comedijs erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur: quanto magis in Monachis & in clericis, quorum & ſacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem, ſed quod in omni propoſito, in omni gradu & ſexu, & boni, & mali reperiantur, malorumque condemnatio, laus bonorum ſit. *Ibidem, cap. 6.*

*Vrbanitates riſu dignas et ineptias deteſtamur maximè in Monachis & clericis.*

*Quarum & qualium conſortia virgo fugere debeat.*

SI quando ad ſuburbana pergis, domi filiam non relinquas: neſciat ſine te, nec poſsit viuere, & cum ſola fuerit pertimeſcat. Non habeat colloquia ſæcularium, & malarum virginum contubernia. Non interſit nuptijs ſeruulorum, neque familiæ perſtrepentis luſibus miſceatur. Scio præcepiſſe quoſdam, ne virgo Chriſti cum Eunuchis lauet, nec cum maritatis fœminis, quia alij non deponant animas virorum, aliæ tumentibus vteris præferant fœditatem, mihi omninò in adulta virgine lauacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere



*Balnea virginibus fugienda.*

erubeſcere & nudum videre non poſſe, ſi enim vigilijs & ieiunijs macerat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit, ſi flammam libidinis, & incentiua feruentis ætatis extinguere cupit continentiæ frigore, ſi appetitis ſordibus turpare feſtinat naturalem pulchritudinem, cur è contrario balnearum fomentis ſopitos ignes ſuſcitat? *Tom. 1. Epiſt. 7. ad Lætam. cap. 5.*

*Cum quibus caſtitatem ſeruatura virgo viuere debeat. Geneſ. 21. 4. Reg. 2.*

RESPONDEBIS: Quo modo hæc omnia mulier ſæcularis in tanta frequentia hominum, Romę cuſtodire potero? Noli ergo ſubire onus, quod ferre non potes, ſed poſtquam ablactaueris eam cum Iſaac, & veſtieris cum Samuele, mitte auiæ, & amitæ. Redde precioſiſsimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone. Nutriatur in monaſterio, ſit inter virginum choros, iurare non diſcat, mentiri ſacrilegium putet, neſciat ſæculum, viuat angelicè, ſit in carne ſine carne, omne hominum genus ſui ſimile putet. *Ibid. cap. 6. p.*

*Epheſ. 4. 2. Tim. 3.*

BONVM eſt obedire maioribus, parere præfectis, & poſt regulas ſcripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab alijs diſcere, nec præceptore vti peſsimo, ſcilicet præſumptione ſua. De talibus fœminis & Apoſtolus loquitur: Quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Matronarum maritis ac ſæculo ſeruientium, tibi conſortia declinentur, ne ſolicitetur animus, & audias, quid vel maritis vxori, vel vxor locuta ſit viro. Venenatæ ſunt huiuſcemodi confabulationes, ſuper quarum damnatione, ſæcularem verſum aſſumens Apoſtolus, fecit Eccleſiaſticum: Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ. Cuius iambici metrum, dum verbum ſeruat ex verbo, nequaquam expreſsit Latina translatio: Graues fœminæ & maximè viduæ ac virgines, tibi comites elegantur, quarum probata eſt conuerſatio, ſermo moderatus, ſancta verecundia. Fuge laſciuiam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, aſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine ruga, ſaccoſque criſpantes, vt ſub nomine virginali vendibilius pereant. Mores enim & ſtudia dominarum plerumque ex ancillarum & comitum moribus iudicantur, illa tibi ſit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter ſocias, quæ ſe neſcit eſſe pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus & colla denudat, nec pallio reuoluto ceruicem aperit, ſed quæ cœlat faciem, & vix vno oculo, qui viæ neceſſarius eſt, patente, ingreditur. Dubito an loquar: ſed ſi velim nolim, quia crebro fit, dicendum eſt: non quo hæc in te timere debeam; quæ iſta forſitan neſcias, nec vnquam audieris, ſed quo, per occaſionem tui, cæteræ præmonendæ ſint: Cincinnatulos pueros & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri eſt: Non bene olet, qui bene ſemper olet: quaſi quaſdam peſtes & venena pudicitiæ virgo deuitet, vt taceam de cęteris, quorum importuna viſitatio & ſe infamat, & alias: vt, etiam ſi nihil mali perpetretur, tamen hoc ſit, vel maximum malum, fruſtra patere maledictis & morſibus ethnicorum. Nec hoc de omnibus dicimus, ſed de his, quos Eccleſia ipſa reprehendit, quos interdum abijcit, in quos nonnunquam Epiſcoporum & presbyterorum cenſura deſęuit, & propè periculoſius ſit laſciuis puellis, ad loca religionis, quam ad publicum procedere. *Tom. 1. Epiſtola ad Demetriadem, cap. 10.*

*Quæ & quales comites ac ſociæ virginum eſſe debeant. 1. Cor. 15.*

*Adoleſcentes comptos fugient virgines.*

*Præcepta ſiue canones cuſtodiendæ caſtitatis.*

QVAE viuunt in Monaſterio & quarum ſimul magnus eſt numerus, nunquam ſolę, nunquam ſine matre procedant. De agmine columbarum crebro accipiter vnam ſeparat, quam ſtatim inuadat & laceret, cuius carnibus & cruore ſaturetur. Morbidę oues ſuum relinquunt regem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego ſanctas virgines, quę diebus feſtis, propter frequentiam populorum, pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando maior eſt adhibenda cuſtodia, & publicum penitus deuitandum. Annos ante circiter triginta de virginitate ſeruanda edidi librum, in quo neceſſe fuit mihi ire contra vitia, & propter inſtructionem virginis, quam monebam, diaboli inſidias patefacere, qui ſermo offendit plurimos, dum vnuſquiſque in ſe intelligens quod dicebatur, non quaſi monitorem libenter audiuit, ſed quaſi criminatorem ſui operis auerſatus eſt. Veruntamen quid profuit armaſſe exercitum reclamantium, & vulnus conſcientiæ dolore monſtraſſe? Liber manet, homines pręterierunt. Scripſi ad pleraſque virgines, ac viduas σπουδάσματα: & quicquid dici poterat, in illis opuſculis defloratum eſt: vt aut ſuperflua, eadem à nobis repetantur, aut nunc pretermiſſa plurimum noceant. Certè & beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, & multi alij, tam Latino ſermone, quam gręco. Omniumque gentium litteris atque linguis, pręcipuè in Eccleſijs, Agnes vita laudata eſt. Sed hoc ad eas pertineat, quę necdũ elegerunt virginitatem, & exhortatione indigent, vt ſciant quale ſit, quod eligere debeant. Nobis electa ſeruanda ſunt & quaſi inter ſcorpiones & colubros incedendum, vt accinctis lumbis, calciatis pedibus, & apprehenſis manu baculis, iter per inſidias huius ſęculi, & inter venena faciamus, vt poſsimus ad dulces Iordanis peruenire aquas, & terram repromiſsionis intrare *(Exod. 12.)* & ad domum Dei aſcendere, & dicere cum Propheta: Domine dilexi decorem domus tuę, & locum habitationis glorię tuę. *(Pſal. 25.)* Et illud: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitę meę. *(Pſal. 25.)* *Ibidem, cap. 11. ad Demetriadem.*

*Gentiles fœminæ etiam per multa ſecula ſecunda matrimonia vitarunt.*

OBSECRAS literis & ſuppliciter deprecaris, vt tibi reſcribam, immo ſcribam, quomodo viuere debeas & viduitatis coronam illęſo pudicitię nomine conſeruare: Gaudet animus, exultant viſcera, geſtit affectus, hoc te cupere eſſe poſt virum, quod ſanctæ memoriæ mater tua Titiana multo tempore fuit ſub marito. Exauditæ ſunt preces, & orationes eius, impetrauit in vnica filia, quod viuens ipſa poſſederat. Habes præterea generis tui grande priuilegium, quod exinde à Camillo vel nulla, vel rara veſtræ familiæ ſcribitur ſecundos noſſe concubitus: vt non tam laudanda ſis, ſi vidua perſeueres quam execranda; ſi id Chriſtiana non ſerues, quod per tanta ſæcula gentiles fœminę cuſtodierunt. Taceo de Paula & Euſtochio, ſtirpis veſtræ floribus: ne per occaſionem exhortationis tuæ illas laudare videar. Bleſillamque prætereo, quæ maritum ſuum, tuum ſecuta germanum, in breui vitæ ſpatio tempora virtutum multa compleuit. Atq; vtinam pręconia fœminarum imitarentur viri, & ruga ſene-

*Ioan. 8. Luc. 9. 1. Ioan. 2.*

ga ſenectus redderet, quod ſponte offert adoleſcentia. Sciens & videns in flammam mitto manum, adducentur ſupercilia, extenderunt brachium. Iratuſque Chremes tumido deſæuiet ore. Conſurgent proceres, & aduerſus Epiſtolam meam turba patritia detonabit, me magum, me ſeductorem clamitans, & in terras vltimas deportandum. Addant, ſi volunt, Samaritem, vt Domini mei titulum recognoſcam. Certè filiam à parente non diuido, nec dico illud de Euangelio: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. Viuit enim quicunque credit in Chriſtum Et qui in illum credit, debet vtique, quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare. Faceſſat inuidia, quam nomine Chriſtiano maledicorum ſemper genuinus infigit: vt, dum probra metuunt, ad virtutes non prouocentur. Exceptis Epiſtolis, ignoramus alterutrum. Solaque cauſa pietatis eſt, vbi nulla carnis notitia eſt. Honora patrem tuum, ſed ſi te à vero patre non ſeparat. Tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quamdiu ille ſuum nouerit creatorem, alioquin Dauid protinus tibi canit: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Grande præmium parentis obliti: Concupiſcet rex decorem tuum, quia audiſti, quia vidiſti, quia inclinaſti aurem tuam, & populi tui, domuſque patris tui oblita es: idcircò concupiſcet rex decorem tuum, & dicet tibi: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Quid pulchrius anima, quæ Dei filia appellatur, & nullos extrinſecus quærit ornatus? Credit in Chriſtum, & hac ambitione pergit ad ſponſum, eundem habens Dominum, quem & virum. Quid anguſtiarum habeant nuptiæ, didiciſti ex ipſis nuptijs, & quaſi coturnicum carnibus vſque ad nauſeam ſaturata es: amariſsimam Choleram tuæ ſenſere fauces. Egeſsiſti aceſcentes & morbidos cibos, releuaſti æſtuantem ſtomachum, quid vis rurſum ingerere, quod tibi noxium fuit? Canis reuertens ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum luti, bruta quoque animalia & vagæ aues in eaſdem pedicas, retiaque incident. An vereris, ne proles Furiana deficiat, & ex te parens tuus non habeat puſionem, qui repetet in pectore, & ceruicem eius ſtercore linat? Quippè ne omnes habent filios, qui habuere matrimonia? & quibus nati ſunt liberi, ſuo generi reſponderunt? Exhibuit Ciceronis filius patrem in eloquentia? Cornelia veſtra, pudicitiæ ſimul fœcunditatis exemplar Gracchos ſe genuiſſe læta ta eſt? Ridiculum eſt ſperare pro certo, quod multos & non habere videas, &, cum habuerint, perdidiſſe. Cui dimittes tantas diuitias? Chriſto, qui mori non poteſt. Quem habebit hæredem? Ieſum quem & Dominum. Contriſtabitur pater, ſed lætabitur Chriſtus: lugebit familia, ſed angeli gratulabuntur. Faciat pater, quod vult de ſubſtantia ſua non es eius, cui nata es ſed cui renata, & qui te grandi pretio redemit ſanguine ſuo. Caue nutricas & gerulas, & iſtiuſmodi venenata animalia, quæ de corio tuo ſaturari ventrem ſuum cupiunt, non ſuadent, quod tibi, ſed quod ſibi proſit. Et ſæpè illud obganniunt: Sola ne perpetua mærens carpere iuuenta? Nec dulces natos, veneris nec præmia noris? Vbi pudicitiæ ſanctitas, ibi frugalitas eſt, vbi frugalitas, ibi damna ſeruulorum, quicquid non tulerint, ſibi ablatum putant: nec conſiderant, de quanto, ſed quantum accipiant. *Tom. 1. Epiſt. 10. ad Furiam, cap. 1.*

*Cant. 4.*

*Diſſuadet vehementer ſecundas nuptias.*

IMITARE ergo tu & conſanguineam tuam. Habeat Roma, quod anguſtior vrbe Romana poſsidet Bethlehem. Habes opes, facilè tibi eſt indigentibus victus ſubſidia miniſtrare. Quod luxuriæ parabatur, virtus inſumat: nullam nuptias contemptura, timeat ægeſtatem. Redime virgines, quas in cubiculum regis inducas, Suſcipe viduas, quas inter virginum lilia, & martyrum roſas, quaſi quaſdam violas miſceas: pro corona ſpinea, in qua Chriſtus mundi delicta portauit, talia ſerta compone. Lætetur & adiuuetur nobiliſsimus pater tuus: Diſcat à filia, quod didicerat ab vxore. Iam incanuit caput, tremunt genua dentes cadunt: &, fronte ob ſenium rugis arata, vicinia eſt mors in foribus, deſignatur rogus propè. Velimus, nolimus, ſeneſcimus. Paret ſibi viaticum, quod longo itineri neceſſarium eſt. Secum portet, quod inuitus dimiſſurus eſt, immo præmittat in cœlum, quod ſi negauerit, terra ſumptura eſt. Solent adoleſcentulæ viduæ, quarum nonnullæ abierunt retro poſt Sathanam, cum luxuriatæ fuerint in CHRISTO, nubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit: maiorum hæreditas diſsipatur: ſeruus contumelioſè locutus eſt: imperium ancilla neglexit, quis procedet ad publicum? Quis reſpondebit pro agrorum tributis? Paruulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit? Et hanc, pro nefas, cauſam opponunt matrimonij, quæ vel ſola debuit nuptias impedire. Superducit mater filijs, non nutricium, ſed hoſtem, non parentem ſed tyrannum. Inflammata libidine, obliuiſcitur vteri ſui, & inter paruulos, ſuas miſerias neſcientes, lugens dudum, noua nupta componitur. Quid obtendis patrimonium? quid ſuperbiam ſeruulorum? confitere turpitudinem. Nulla idcirco maritum ducit, vt cum marito non dormiat, aut, ſi certè libido non ſtimulat, quæ tanta inſania eſt, in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, vt augeantur diuitiæ, & propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ pretioſa & æterna eſt, polluatur? Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis ſterelitatem? Et rem incertam certo præfers pudori. Scribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, vt poſt paululum teſtamentum facere compellaris. Simulabitur mariti infirmitas, &, quod te morituram facere volet, ipſe victurus faciet, aut, ſi euenerit, vt ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aſpicere oculis, quos genuiſti. Clam porriges cibos, inuidebit mortuo: &, niſi, oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod ſi de priore vxore ſobolem habens, domum te introduxerit, etiam ſi clementiſsima fueris, omnes comœdi & mimographi, & communes rethorum ioci in nouercam ſæuiſsimam declinabunt. Si priuignus languerit, & condoluerit caput infamaberis vt malefica. Si non dederis cibos, crudelis, ſi dederis venefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni ſecundæ nuptiæ, vt hæc mala valeant compenſare. *Ibidem, cap. 5.*

*1. Tim. 5.*

*Incommoda bigamiæ.*

HABEANT



*Virginitas in Maria & Chriſto dedicatur.*

HABEANT nuptæ ſuum tempus, & titulum. Mihi virginitas in Maria dedicatur & Chriſto. *Tomo primo, Epiſtola viceſima ſecunda ad Euſtochium capite ſeptimo. f.*

A VIRIS tanta ſeparatio, vt à ſpadonibus quoque eas ſciungeret, ne vllam daret occaſionem linguæ maledicæ, quæ ſanctos carpere ſolita eſt in ſolatium delinquendi. *Tom. 1. Epiſtola 27. ad Euſtochium, cap. 10.*

*Luc. 17. Luc. 9. Geneſ. 39. Luc. 14. 9. Matt 19.*

CVM ergo Chriſti gaudeas libertate, & aliud agas, aliud repromittas, ac propemodum in domate conſtituta ſis, non debes ad tollendam tunicam tecto deſcendere, nec reſpicere poſt tergum, nec aratri ſemel arrepti ſtiuam dimittere, ſed ſi fieri poteſt, imitare Ioſeph, & Aegyptiæ dominæ pallium relinque, vt nudus ſequaris Dominum Saluatorem, qui dicit in Euangelio: Niſi quis dimiſerit omnia, & tulerit crucem ſuam, & ſecutus me fuerit, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Proijce ſarcinam ſæculi, ne quæras diuitias, quæ camelorum prauitatibus comparantur: nudus & leuis ad cœlum euola, ne alas virtutum tuarum auri depriman pondera. *Tomo primo, Epiſtola triceſima quinta ad Exuperantium. Latius vide Tomo primo, Epiſtola quadrageſima ſeptima. De vitando ſuſpecto Contubernio capitib. 1. 2. 3. 4. Ibidem, Tomo primo in vita Malchi.*

NVLLA fuit alia Romæ matronarum, quæ meam poſſit edomare mentem, niſi lugens, atq; ieiunans, ſqualens ſordibus, fletibus penè cœcata, quàm continuis noctibus miſericordiam Domini deprecantem, ſol ſæpe deprehendit? cuius canticum Pſalmi, ſermo Euangelium, delitiæ continentia, vita ieiunium? nulla me potuit alia delectare, niſi illa, quam manducantem nunquam vidi? ſed poſtquam eam pro ſuę merito caſtitatis venerari, colere, ſuſcipere cœpi, omnes me ilicò deſeruere virtutes. O inuidia primum mordax tui: O Satanæ calliditas ſemper ſancta perſequens. Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulam prębuerunt, niſi Paula & Melania, quæ contemptis facultatibus, pignoribuſque deſertis, crucem Domini, quaſi quoddam pietatis leuauere vexillum. Si balneas peterent, vnguenta eligerent, diuitias & viduitatem haberent materiam luxuriæ & libertatis, dominæ vocarentur & ſanctę. Nunc in ſacco & cinere formoſæ volunt videri, & in gehennam ignis cum ieiunijs & pœdore deſcendere. Videlicet non licet eis applaudente populo perire cum turbis. Si gentiles hanc vitam carperent, ſi Iudæi, haberent ſolatium non placendi eis, quibus diſplicet Chriſtus, nunc verò pro nefas, homines Chriſtiani prætermiſſa domorum ſuarum cura, & proprij oculi trabe neglecta in alieno oculo feſtucā quærunt. Lacerant ſanctum propoſitum: & remedium pœnę ſuæ arbitrantur, ſi nemo ſit ſanctus, ſi omnibus detrahatur, ſi turba ſit pereuntiū, ſi multitudo peccantium. Tibi placet lauare quotidie, alius has munditias ſordes putat. Tu attagenem ructas, & de comeſo acipenſere gloriaris: ego faba ventrem impleo. Te delectant cachinnantium greges: me Paula Melaniaq; plangentes. Tu aliena deſideras: illę contemnunt ſua. Te delibuta melle vina delectant, illæ potant aquam frigidam ſuauiorem. Tu te perdere exiſtimas, quidquid in præſenti non habueris, comederis, deuoraueris: illę futura deſiderant, & credunt vera eſſe quæ ſcripta ſunt. Eſto ineptè & inaniter, quibus reſurrectio corporum perſuaſit: quid ad te? nobis è contrariò tua vita diſplicet. Bono tuo craſſus ſis: me macies delectat, & pallor. Tu tales miſeros arbitraris, nos te miſerabiliorem putamus. Par pari refertur, & inuicem nobis videmur inſanire. *Tomo ſecundo, Epiſtola nonageſima nona ad Aſellam.*

*Inuectiua acris in detractores & cōtemptores virginum.*

*Luc. 6.*

*Diſsimillima comparatio virginū caſtarum & ſæcularium calumniatorum & ſycophantarum.*

## *Articulus IX. Voto caſtitatis obſtrictos, ſi nubant damnationem mereri, etiam Apoſtoli ſententia.*

PRAETEXTATA, nobiliſſima quondam fœmina, iubēte viro Hymettio, qui patruus Euſtochij virginis fuit, habitum eius cultumq; mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit ſibi, vincere cupiens & virginis propoſitum, & matris deſiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tu ne auſa es viri imperiū præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? quę iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris, & finito mēſe quinto, ad inferna duceris, ſin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filijs. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſerę pœnitentiam velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit. Et hoc retuli, non quod inſultare velim calamitatibus infœlicium: ſed vt moneam, cum quanto metu & cautione ſeruare debeas, quod Deo ſpoſpondiſti. *Tom. 1. Epiſtola 7. ad Lætam, cap. 3. f.*

*Miraculoſa pœna deſertæ caſtitatis & profeſsionis & dehortatoris.*

SCRIPSI ad pleraſq; virgines, ac viduas σπουδάσματα: & quicquid dici poterat, in illis opuſculis defloratum eſt: vt aut ſuperfluè eadem à nobis repetantur, aut nunc prætermiſſa plurimum noceant. Certè & beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, & multi alij tam Latino ſermone, quàm Grȩco. Omniumq; gentium literis atq; linguis, precipuè in Eccleſijs Agnes vita laudata eſt. Sed hoc ad eas pertineat, quę necdū elegerunt virginitatem, & exhortatione indigēt, vt ſciant quale ſit, quod eligere debeant. Nobis electa ſeruanda ſunt, & quaſi inter ſcorpiones & colubros incedendum, vt accinctis lumbis, calciatis pedibꝰ, & apprehenſis manu baculis, iter per inſidias huius ſęculi & inter venena faciamꝰ, vt poſſimus ad dulces Iordanis peruenire aquas, & terram repromiſſionis intrare, & ad domū Dei aſcēdere, ac dicere cum Propheta: Domine dilexi decorē domus tuę, & locum habitationis glorię tuę. Et illud: Vnā petij à Domino, hanc requirā, vt inhabitē in domo Domini omnibus diebꝰ vitę meę. Fœlix illa conſcientia, & beata virginitas, in cuius corde, præter amorem Chriſti, qui eſt ſapientia, caſtitas, patientia atque iuſtitia, cæterę; virtutes nullus alius verſatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando ſuſpirat, nec videre deſiderat, quem cum viderit, nolit dimittere. Sanctum virginum propoſitum, & cœleſtis angelorumq; familiæ gloriam, quarundam non benè ſe habentium nomē infamat. Quibus apertè dicendum eſt, vt aut nubant, ſi ſe non poſſint continere, aut contineant, ſi nolunt nubere: Digna res riſu, immo planctu: incedentibus dominis ancilla virgo procedit ornatior: vt pro nimia conſuetudine, quàm incomptam videris, dominam ſuſpiceris. Nonnullę ſeparata, & abſque arbitris quærunt hoſpitia, vt viuant licentius, vtantur

*Primum ad virginitatē exhortatio faciēnda poſt electionem factam ad perſeuerantiam hortandæ. Exod. 12. Pſal. 25. Pſal. 26.*

Ffff balneis,

balneis,faciantque quod volunt,& deuitent conſcientias plurimarum. Hæc videmus & patimur, & ſi aureus numerus affulſerit, inter bona opera deputamus. *Tomo primo, Epiſtola octaua ad Demetriadem, capite 11.*

*Deo quod promiſſum reddendum eſt.*

DVPLEX vt vides, malum, æquale & anceps periculum eſt. Ex vtroque arctaris, ex vtroq; cõſtringeris. Contemnere omnino virum, atque deſpicere, apertè contra Apoſtoli ſententiã eſt: Perdere verò tanti temporis caſtitatem, & Deo non reddere quod promiſeras, timendum atque metuendum eſt, vt vulgo dicitur: Facile ex amico inimicum facies, cui promiſſa non reddas. Sic enim Scriptura dicit: Quod ſi voueris votum Domino Deo, non moreris reddere illud: quia quærens quærit illud Dominus Deus abs te: Et erit tibi in peccatum. *Tomo primo, Epiſtola 14. ad Celantiam, capite nono.*

*Deut. 23.*

*Pſal. 44.*

AVDI filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuũ, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. In quadrageſimo quarto Pſalmo Deus ad animam loquitur humanam, vt ſecundum exemplum Abrahæ, exiens de terra ſua, & de cognatione ſua, relinquat Chaldæos, qui quaſi dæmonia interpretabantur, & habitet in regione viuentium, quam alibi Propheta ſuſpirat, dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium: Verum non ſufficit tibi exire de terra tua, niſi obliuiſcaris populi tui, & domus patris tui, vt carne contempta, ſponſi iungaris amplexibus. Ne reſpexeris, inquit, retro, nec ſteteris in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac, ne fortè comprehendaris. Non expedit apprehenſo aratro, reſpicere poſt tergum, nec de agro reuerti domum, nec poſt Chriſti tunicam, ad tollendum aliud veſtimentum tecto deſcendere. Grande miraculum: Pater filiam cohortatur, ne meminerit patris ſui. Vos de patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri facitis, dicitur ad Iudæos. Et alibi: Qui facit peccatum, de diabolo eſt. Tali primum parenti, generati nigri ſumus, & poſt pœnitentiam, necdum culmine virtutis aſcenſo, dicimus: Nigra ſum, ſed ſpecioſa filiæ Hieruſalem. Exiui de domo infantię meæ: oblita ſum patris mei, renaſcor in Chriſto. Quid pro hoc mercedis accipio? Sequitur: Et concupiſcet Rex decorem tuum. Hoc ergo illud magnũ eſt Sacramentum: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori ſuæ, & erũt ambo, iam non, vt ibi, in vna carne, ſed in vno ſpiritu. Non eſt ſponſus tuus arrogans, nõ ſuperbus, ætiopiſſam duxit vxorem. Statim vt volueris ſapientiam audire veri Salomonis, & ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta quæ nouit, & inducet te Rex in cubiculum ſuum, & mirum in modum colore mutato, ſermo tibi ille conueniet: Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? Hæc idcirco domina mi Euſtochium, ſcribo (dominam quippe vocare debeo ſponſam domini mei) vt ex ipſo principio lectionis agnoſceres, non me nunc laudem virginitatis eſſe dicturum, quam probaſti optimam, & conſecuta es, nec enumeraturum moleſtias nuptiarum, quo modo vterus intumeſcat, infans vagiat, cruciet pellex, domus cura ſollicitet, & omnia quæ putantur bona, mors extrema præcidat: Habent enim & maritatæ ordinem ſuum, honorabiles nuptias, & cubile immaculatum: ſed vt intelligeres tibi exeunti de Sodoma, timendum eſſe Loth vxoris exemplum. Nulla eſt enim in hoc libello adulatio. Adulator quippe blandus inimicus eſt. Nulla erit Rhetorici pompa ſermonis, quæ te etiam inter Angelos ſtatuit, vt beatitudine virginitatis expoſita, mundum ſubijciat pedibus tuis. Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro: Latro tibi vitandus eſt. Stadium eſt hęc vita mortalibus, hic contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. Et inebriatus eſt, inquit Dominus, gladius meus in cœlo, & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & ſpinas, quam ſerpens comedit? Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus Principatus & Poteſtates huius mũdi, & Rectores harum tenebrarum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Magnis inimicorum circundamur agminibus, hoſtiũ plena ſunt omnia, caro fragilis & cinis futura poſt medicũ, pugnat ſola cum pluribus. Cùm autem fuerit diſſoluta, & venerit Princeps mundi huius, & inuenerit in ea nihil: tunc ſecura audies per Prophetam: Non timebis à timore nocturno: A ſagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Quod ſi eorum te multitudo turbauerit, & ad ſingula incitamenta vitiorum cœperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua, quid faciemus? Reſpondebit tibi Heliſæus: Noli timere quia plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis: & orabit, & dicet: Domine aperi oculos puellæ tuę, vt videat: & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Heliæ in aſtra ſuſtollat, & tunc læta cantabis: Anima noſtra, ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. *Tomo primo, Epiſtola 22. ad Euſtochium, cap. 1. Ibidem 2.3.4.5 6. cap. ſeq.*

*Pſal. 26.*

*Non relinquendum votum & profeſſio.*

*Gen. 19. Luc. 19. Matt. 24.*

*Ioan. 8. 1. Ioann. 3.*

*Cant. 5.*

*Epheſ. 5.*

*Num. 12. Cant. 3.*

*Exeunti de Sodoma timendũ Loth vxoris exemplum.*

*Hebr. 13.*

*Geneſ. 19.*

*Eſa. 34. Gen. 3.*

*Epheſ. 6.*

*Nulla in vita hac ſecuritas & certitudo.*

*Ioan. 14.*

*Pſal. 90.*

*4. Reg. 6.*

*4. Reg. 2. Pſal. 123.*

*Priſcillianiſtæ deuotas Chriſto virgines matrimonio copularunt.*

TYBERIANVS Bœticus ſcripſit pro ſuſpicione, qua cum Priſcilliano accuſabatur hæreſeos, apologeticum, tumenti compoſitoque ſermone: poſtea, poſt ſuorum cædem tædio victus exilij, mutauit propoſitum, & iuxta ſanctam Scripturã: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, filiam deuotam Chriſto virginem, matrimonio copulauit. *Tom. 1. de Viris Illuſt. Tyberiano.*

*Conſilij & præcepti diſcrimen.*

NOLI igitur admirari, ſi inter titillationem carnis, & incentiua vitiorum, Angelorum vitam non exigimur, ſed docemur. Quia vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: vbi præceptum: neceſſitas eſt ſeruientis. Præceptum, inquit, Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino. Si non habet præceptum Domini, quare audet dare conſilium, de quo non habet iuſſionem? Reſpondebit mihi Apoſtolus: Et vis vt ego iubeam, quod Dominus obtulit potius quàm præcepit? Ille creator & figulus, ſciens fragilitatem vaſculi, quod operatus eſt, vrginitatem in audientis poteſtate dimiſit: & ego Doctor gentium, qui omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerẽ, onus perpetuæ caſtitatis ſtatim in principio credentium imponam ceruicibus infirmorum? Diſcant prius ferias nuptiarum: vacent ad tempus orationi, vt accepto guſtu pudicitiæ, id ſemper habere deſiderent, quo ad modicum delectati ſunt. Dominus tentatus à Phariſæis, vtrum ſecundum legem Moyſi vxores liceret dimittere omnino fieri prohibuit, quod diſcipuli cõſiderantes dixerunt

*1. Cor 9.*

*Non temerè ſine ſui ipſius prævia probatione caſtitas vouenda & promittenda.*

*Marc. 10. Matt. 19.*



dixerunt ei: Si talis eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quibus ille reſpondit: Non omnes capiunt verbum, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de vtero matris ita ſunt: & ſunt eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati ſunt: & ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat. In propatulo eſt, cur Apoſtolus dixit: De virginib9 autem præceptũ Domini non habeo, profecto qa præmiſerat Dominus: Nõ omnes capiunt verbũ: ſed quibus datum eſt: & qui poteſt capere capiat. Proponit ἀγωνοθέτης præmiũ: inuitat ad curſum: tenet in manu virginitatis brauium: oſtendit puriſſimum fontem & clamitat: Qui ſitit, veniat & bibat, qui poteſt capere capiat. Non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis eſt, atq; currendum: ſed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille ſanabitur. Et ideo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum. Maioriſque gratiæ eſt, offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Apoſtoli, vxoris onera contemplati: Si talis eſt, inquiunt, cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quorum Dominus ſententiam probans: Rectè quidem ſentitis, ait, quod non expediat homini, ad cœlorum regna tendenti, accipere vxorem: ſed difficilis res eſt, & non omnes capiunt verbum iſtud, verùm quibus datum eſt. Alios eunuchos natura facit, alios vis hominum. Mihi illi eunuchi placent, quos caſtrauit non neceſſitas, ſed voluntas. Libenter illos in meos ſinus recipio, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, & ob mei cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt. *Tom. 2. libro primo contra Iouinianum, capite 7.*

*1. Cor. 7.*

*Obſeruentur hæc verba contra deprauatam hæreticorum interpretationem.*

*Ioan. 7. Matt. 19.*

*Reprobãtur virgines quæ occultos adulteros in apertos maritos verterunt.*

*1. Cor. 7.*

VIRGINES tuæ, quas prudentiſſimo conſilio, quod nemo vnquam legerat, nec audierat, de Apoſtolo docuiſti: Melius eſt nubere, quàm vri, occultos adulteros in apertos verterunt maritos, non ſuaſit hoc Apoſtolus, non electionis vas. Virgilianum conſilium eſt: Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam. *Tomo ſecundo, lib. 2. contra Iouinianum cap. 19.*

ECCE perſpicuè nuptias diximus concedi in Euangelio, ſed tamen eaſdem in ſuo officio permanentes, præmia caſtitatis capere nõ poſſe. Qđ ſi indignè accipiunt mariti, non mihi iraſcantur, ſed Scripturis ſanctis, immò Epiſcopis & Presbyteris, & Diaconis, & vniuerſo choro Sacerdotali, & Leuitico, qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali. Sed eo loco, vbi de Apocalypſi teſtimonium poſuimus, nõne manifeſtum eſt, quid de virginibus, & viduis, & coniugibus ſenſerimus? Hi ſunt qui cantant canticũ nouum, quod nemo poteſt cantare, niſi qui virgo eſt. Hi ſunt primitiæ Dei, & agni, & ſine macula. *Tom. 2. in Apologia ad Pammachium cap. 3.*

*Sacerdotes hoſtias non poſſunt offerre ſi operi ſeruiant coniugali.*

*Apoc. 14.*

NE me, inquit, putes iniuſtè templum deſerere, & ſubuertendam relinquere ciuitatem: aſpice quæ in templo faciant. Cumque illa conſpexeris, non putes finem eſſe ſcelerum, adhuc maiora cõſpicies. Quod quidem poteſt & de noſtra Hieruſalem, noſtroque templo intelligi: quando in exemplum Offni & Phinees idolorum ſcelera operamur in tabernaculo Dei: & fornicamur cum his, qui ſe militiæ & miniſterio Dei vouerint: & ſacrificiorum eius primitiua decerpimus: dantes in vſum clientum, atque famulorum, & omnia lucri cauſſa facimus. Sin autem hæc tam magna ſunt quæ videmus, quantò maiora exiſtimanda ſunt, quæ humanam effugiunt conſcientiam? *Tom. 4. libr. 3. Commentariorum in caput 8. Ezechielis. Fol. 352. fac. 1.*

*1. Reg. 2.*

*Turpis fornicatio cũ his qui ſe miniſterio Dei vouerunt.*

QVI poſt ſuperbiam, immo per ſuperbiam fabricati ſunt, limen ſuum, iuxta limen Dei, & poſtes ſuos iuxta poſtes illius. Audiant hæc iuxta literam mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ: ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: mentem iunctam Deo, non vicinitatem Eccleſiarum & habitationem proximam, Dei in ſe prouocare clementiam, quin potius indignationem Domini commoueri, quando in conſecratis Deo locis, indignus habitator eſt. Fabricati ſunt, inquit, limen ſuum iuxta limen meum: vt nihil intereſſet inter ſacrum & prophanum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, vt vnus laicorum, & Sacerdotum eſſet introitus. Vnde & Apoſtolus dicit: Probet autem ſe homo, & ſic accedat ad corpus & ſanguinem Domini. Et vt grauius faceret quod dicebat, ſequentem iungit verſiculum. Et murus erat inter me & eos: vt Sacerdotalia ſacrificia, & loca Sacramentorum corporis & ſanguinis Chriſti, breuiſſimus murus diuideret. Et pollueret, inquit, nomen ſanctum meum, in abominationibus quas fecerunt. Quid prodeſt habitationis vicinia, & medius inter cellulam noſtram, & altare Domini paries, cum in his quæ ſecreto facimus, & quę turpe eſt etiam dicere, contaminetur, & polluatur nomen Domini. *Tomo quarto, libro decimo tertio Commentariorum in caput 43. Ezechielis. Fol. 464. fac. 2.*

*2. Tim. 3.*

*Mens Deo iuncta non vicinitas Eccleſiarum & habitatio proxima Dei in ſe prouocat clementiam.*

*1. Cor. 11.*

*Virginũ habitatio templis erat coniuncta.*

*Impudicitia virginum.*

GRAVE eſt multitudini onus vltra vires ſuſcipere, dicente Salomone: Laqueus eſt viri, cito quid de ſuis ſanctificare: cùm enim votum fecerit, ſurrepit pœnitẽtia. Deniq; & Nazaræi ſponte ſe offerunt: & quicunq; aliquid vouerit, & nõ impleuerit, voti reus eſt. Vnde & de viduis dicitur: Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volũt, habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerũt. Melius eſt enim nõ promittere, quã promittere, & non facere. Anna obtulit Samuelem, qui in æterna ſanctitate permanſit: & Manue obtulit Sampſon filium, ſed ſanctificationẽ capillorum eius Dalilæ libido turpauit. Deniq; Dominus receſſit ab eo, & cæcitate damnatus eſt: niſi quod poſtea creſcentibus capillis, priſtinum robur accepit, & in typo Chriſti multo plures alienigenarum mortuus, quàm viuus occidit. Vult autem Dominus Sacerdotes ſuos capillos ſanctificationis habere perpetuos, & operiri capita eorũ, non aliquo extrinſecus velamento, ſed ſua naturalique cæſarie: non ad ornatum atque luxuriam, ſed ad honeſtatem. Vnde & capilli capitis Apoſtolorum numerati ſunt, dicente Saluatore: Veſtri autem capilli capitis numerati ſunt. Illius capitis de quo in Eccleſiaſte ſcriptum eſt: Sapientis oculi in capite eius. Caput autem viri Chriſtus eſt: quod peccator conculcat & deſpicit, vt ita loquar, radit nouacula, & aufert eius pulchritudinem. *Tom. 4. lib. 13. Commentariorum in cap. 44. Ezechiel. Fol. 477. fac. 1.*

*Prou. 20.*

*1. Tim. 5.*

*1. Reg. 1. Iud. 13.*

*Vota ſeruanda ſunt.*

*Matt. 10. Eccl. 2. 1. Cor. 11.*

### *Articulus X. Ab Apoſtolo non fuiſſe datam nubendi facultatem, 1. Tim. 5. Viduis illis, quæ iam caſtitatem Deo vouiſſent?*

HABES Saluina quos nutrias, in quibus virum abſentem tenere te credas. Ecce

Hęreditas Domini filij merces, fructus ventris, pro vno homine duos filios recepiſti: auctus eſt numerus charitatis. Quidquid debebas marito, redde filijs. amore præſentium abſentis deſiderium tempera. Non eſt parui apud Deum meriti, benè filios educare. Audi Apoſtolum commonentem: Vidua eligatur non minus annorum ſexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor, in bonis operibus habens teſtimonium, ſi filios educauit, ſi hoſpitalis fuit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi afflictis abundanter præbuit, ſi omne opus bonum, ſubſecuta eſt. Didiciſti cathalogum virtutum tuarum quid debeas nomini tuo, quibus meritis ſecundum pudicitiæ gradum poſſideas. Nec te moueat, quod ſexagenaria eligatur vidua, & putes adoleſcentulas ab Apoſtolo reprobari. Et te crede eligi ab eo, qui diſcipulo dixerat: Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, non continentiã ſed ætatem. Alioquin omnes, quæ ante ſexaginta annos viduatæ ſunt, hac lege accipient maritos Sed quia rudem Chriſti inſtituebat Eccleſiam, & omni ordini prouidebat, præcipueque pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata; illis vult Eccleſiæ opibus ſuſtentari, quę proprijs manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ ſunt, quas & ætas probat, & vita. Heli ſacerdos offendit Deum ob vitia liberorum, ergo è cõtrario placatur Deus virtutibus eorum, ſi permãſerint in fide, & charitate, & ſanctitate cum pudicitia. O Timothee: te ipſam caſtam cuſtodi. Abſit, vt ſiniſtrum quippiam mihi de te ſuſpicari liceat: ſed, ex abundantia lubricam ætatem monuiſſe, pietas eſt. quæ dicturus ſum, non tibi ſed puellarib. annis dicta intellige. Vidua quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt. *Tom. 1. Epiſtol. 9. ad Saluinam cap. 4.*

*Pſal 126.* *1. Tim 3.* *Catalogus virtutũ quæ in viduis requiruntur.* *1. Tim. 4.* *Quod adoleſcentulæ viduæ non reprobentur ab Apoſtolo cũ ſolutione obiectionis.* *Gal. 2.* *1. Rag. 2.* *1. Tim. 5.*

EAS virgines & viduas, quæ otioſæ & curioſæ domos circumeunt matronarum, quæ rubore frontis abſtrito, paraſitos vincũt mimorum, quaſi quaſdam peſtes abijce. Corrumpunt mores bonos, confabulationes peſſimæ. Nulla illis, niſi ventris, cura eſt & quæ ventri ſunt proxima. Iſtiuſmodi hortari ſolent & dicere: Mi Catella, rebus tuis vtere, viue dum viuis: & nunquid filijs tuis ſeruas? Vinoſæ atque laſciuiæ quiduis mali inſinuant, ac ferreas quoque mentes ad delicias emolliunt. Et cum luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt, habentes damnationẽ quod primam fidem irritam fecerunt. *Tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 13.*

*1. Cor. 15.* *Damnantur vinoſæ viduæ quæ votum frãgũt.* *1. Tim. 5.*

*Articulus XI. Hæreticis in Catholicos retorquentibus illud Apoſtoli 1. Tim. 4. In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, & cæt. quo modo diuus Hieronymus, reſponderit.*

FVRES & latrones qui ingrediuntur nocte (qa filij ſunt noctis & tenebrarum) hæreticos puto, contraria veritati dogmata prædicantes, qui furantur ſufficientia ſibi, & quotidie de Eccleſiæ gregibus rapere feſtinant. Illi ingredientes vineam Domini noſtri, quam de Aegypto huius ſæculi tranſtulit, & de cuius genimine vinum ſe eſſe bibiturũ in regno patris pollicetur: ita cupiunt vniuerſa populari, vt vix racemum relinquãt in ea: Sed è contrario Dominus agit: omnia enim ſecreta eorum, & occulta myſteria, & patriarcharũ Eſau (hos quippè intelligo, qui primi hæreſes adinuenerunt) per ſanctos ſuos & Eccleſiaſticos viros atque doctores profert in medium, & prima illius victoria eſt, patere, quæ tegebantur occulta. Vnde & cum admiratione dicitur: Quo modo perſcrutatus eſt Eſau, deprehẽſa ſunt occulta ei⁹? Vide Marcionem & Valentinum, & omnes hæreticos, quo modo doctrinis dęmoniorũ, cauteriatã habentes conſcientiam applaudant ſibi, & ſimplices animas, quaſi quibuſdam diuinis myſterijs initiantes, compoſito ſermone decipiant: Sed cũ triginta æonas, & quadragas, & octoades, & duodecadas, & duplicem Deum, & portentuoſum Abraxas in medium ſermo protulerit: tunc prudentia Eſau ſtultitia demonſtrabitur, & inueſtigabuntur ſecreta eius. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Abdiæ, Fol. 129. fac. 1.*

*1. Tim. 4, Locus de Valentino & Marcione capiendus.*

OMNIA ſimulachra, & diuini, & ſomniatores fruſtrà locuti ſunt, & vanè conſolabãtur. Quę de hæreticis loquitur, qui ſub nomine Chriſtiano non intelligũt, nec de quibus dicãt, nec de quibus affirment, & attendunt ſpiritibus erroneis, & magiſtris dæmoniorum in hypocriſi mendacia loquentium, & cauteriatam habentes conſcientiam, vt nequaquam credentes eorum confabulationibus abducantur, qui vana promittunt, & propterea traditi ſunt ſathanæ in interitum carnis, & abducti in captiuitatem regis Babylonij, vt affligentur: quia Chriſtum paſtorem non habent, quem ſibi falſo nomine repromittunt. *Tomo quinto libro ſecundo Comment. in cap. 10. Zachariæ, Fol. 257. fac. 1.*

*1. Tim. 4. Locus de hæreticis accipiendus.*

IN die illa quam crebro commemorat, omnia idola auferentur de terra: Siue illa idola, de quibus Pſalmiſta dicit: Simulachra gentium argentũ & aurum, opera manuum hominum: vt nulla ſit alia religio, niſi tantum nominis Chriſtiani, de quibus in propheta ſcriptum eſt: Vlulate ſculptilia in Hieruſalem & de Samaria. Sicut enim feci Samariæ & ſculptilibus illius. ſic faciam Hieruſalem & idolis eius. Siue hæc idola de quibus Apoſtolus loquitur: Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi falſiloquorum cauteriatam habentium conſcientiam ſuam. Sicut enim idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum peruerſa doctrina, quodcunque ſimulauerit, vertit in idolum, & facit pro Chriſto adorari Antichriſtum. *Tom. 5. libr. 3. Com. in cap. 13. Zachariæ, Fol. 267. fa. 1.*

*Pſal. 113.* *1. Tim. 4. Locus de idolis hæreticorum eſt accipiendus.*

SENSVS eſt: Ego vos volui facere quæ priori capitulo continentur, & de quibus per Moyſen in Deuteronomio ſum locutus: Date Leui doctrinam eius & veritatem viro iuſto, & reliqua. Vos autem receſſiſtis de via recta, ſiue declinaſtis dicente me: Non declines neq; ad dexteram neque ad ſiniſtram, & infirmos feciſtis multos in lege, ſiue ſcandalizaſtis: vt Aquila & Symmachus verterunt. Declinare ad dextrã eſt abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad vtendum: condemnare nuptias, & in illud incurrere, quod in alio loco ſcriptum eſt: Ne ſis iuſtus multum. Ad ſiniſtram diuertere eſt, cum quis ſe luxurię tradit & libidini, & ſcãdalizat multos in lege cui melius eſt, vt mola aſinaria ligetur circa collum & in mare præcipitetur quam ſcandalizet vnũ de minimis.

*Tom. 5, Commen. in cap. 2. Malachiæ, Folio 280 fac. 2.*

*Deut. 33.* *Deutero. 5.* *1. Tim. 4. Locus iſte quomodo de hæreticis ſit intelligẽdus.* *Eccleſ. 7.* *Matt. 18.*

Artic. XII.



*Articulus XII. Obiecta contra Continentiam, quo modo Hieronymus refellat.*

TOM. 1. *Epiſtola. 11. ad Ageruchiam tres obiectiones contra viduitatem proponit & ſoluit tribus capitibus prioribus 1. 2. 3. & laudat pudicitiam & monogamiam & digamiam diſſuadet. Tom. 1. Epiſtol. 11 ad Ageruchiam cap. 5. ſuadet pudicitiam vidualem, & obiecta diſſoluit. Tomo primo capite. 8. toto Epiſtolæ 22. ad Euſtochium & ibidem nono obiectiones ſoluuntur. Obiectiones Heluidij contra perpetuam virginitatem B. Mariæ virginis per decem capita ſoluit Hieronymus in Epiſtola aduerſus Heluidium. Tomo ſecundo libro primo contra Iouinianum cap. 3. obiectiones Iouiniani pro æqualitate nuptiarum & virginitatis proponit, & capite 4. ſequenti oppugnat Iouiniani errorem, & cap. 5. ſequenti ſoluitur obiectio, Qui poteſt capere capiat. Tom. 2. libr. 1. contra Iouinianum cap. 7. 9. 10. 11. 12. 13. alias ſoluit obiectiones, & ca. 15. obiectio de Salomone ſoluitur, & cap. 21. duæ aliæ obiectiones ſoluuntur.*

*Sacerdotum & Virginum debent eſſe ſeparata habitacula.*

FABRICATI ſunt limen ſuũ iuxta limen meum: vt nihil intereſſet inter ſacrum & prophanum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos: & vnus laicorum & ſacerdotum eſſe introitus. Vnde & Apoſtolus dicit: Probet autem ſe homo, & ſic accedat ad corpus & ſanguinem Domini. Et vt grauius faceret quod dicebat, ſequentem iungit verſiculum. Et murus erat inter me & eos: vt ſacerdotalia ſacrificia, & loca ſacramentorum corporis & ſanguinis Chriſti breuiſſimus murus diuideret. Et pollueri inquit, nomen ſanctum meũ, in abominationibus quas fecerunt. Quid prodeſt habitationis vicinia, & medius inter cellulam noſtram & altare Domini paries: cum in his quæ ſecreto facimus, & quæ turpe eſt etiam dicere, contaminetur, & polluatur nomen Domini? *To. 4. li. 13. Com. in cap. 43. Ezechielis.*

*1. Cor. 11.* *Sacerdotalia ſacrificia & loca ſacramentorũ corporis & ſanguius Chriſti diſtincta eſſe debent.*

*Caput Septimum. De cœlibatu Eccleſiaſticorum.*

*Articulus I. Clericos præſertim Diaconos ſacerdotes & Epiſcopos Hieronymi ſæculo cœlibes extitiſſe.*

SED forſitã dicturus es: Quid ergo? quicunq; in ciuitate ſunt, Chriſtiani nõ ſunt? Non eſt tibi eadẽ cauſa, quæ cæteris. Dominum auſculta dicentem: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni ſequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nã cum, derelicta militia, te caſtraſſi propter regna cęlorum; quid aliud quam perfectam ſecutus es vitam? Perfectus autem ſeruus Chriſti, nihil præter Chriſtum habet: aut, ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt, Et ſi pfect⁹ nõ eſt, cũ ſe perfectum fore Deo pollicitus ſit, ante Deum mẽtitus eſt. Os autem, quod mentitur, occidit animam. *Tom. 1. Epiſt. 1. ad Heliodorum cap 6.*

*Matt. 19. Se caſtrare ob regnũ cælorum eſt eſſe perfectũ.*

ABSIT vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cœlorum habentes, quodã modo ante iudicij diẽ iudicant: qui ſponsã Domini ſobria caſtitate conſeruant. *Ibidem cap. 7.*

*Sacerdotes ſobria caſtitate ſponſam Chriſti cõſeruant.*

PRAEDICATOR cõtinentiæ, nuptias ne cõciliet. Qui Apoſtolũ legit, dicentem: Supereſt, vt, qui habẽt vxores, ſic ſint, quaſi non habeant: cur virginem cogit vt nubat? Qui de monogamia ſacerdos eſt, quare viduam hortatur vt digamia ſit? *Tom. 1. Epiſt. 2. ad Nepotianum cap. 18.*

*1. Cor. 7.* *1. Tim. 3.* *Sacerdos prædicator cõtinentiæ virginem nõ cogat vt nubat*

QVID multa? Fit clericus, & per ſolitos gradus presbyter ordinatur. Ieſu bonæ, qui gemitus, qui eiulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium. Tum primum, & ſolum auunculo iratus eſt: Quærebatur ſe ferre non poſſe, & iuuenilẽ ætatem incongruam ſacerdotio cauſabatur, ſed quanto magis repugnabat, tanto magis in ſe ſtudia omnium concitabat; & merebatur neganda, quod eſſe nolebat; eoq; dignior erat, quo ſe magis clamabat indignum. *Tom. 1. Epiſt. 3. ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani, cap. 7.*

*Iuuenilis ætas eſt incongrua ſacerdotio ob periculũ caſtitatis.*

NOVI ego quaſdam, iam maturioris ætatis, Libertini generis adoleſcentib. delectari, & filios quęrere ſpirituales, paulatimq; pudore ſuperato, ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. Alię ſorores virgines deſerunt, & externis viduis copulantur. Sunt quæ oderunt ſuos, & non ſuorũ palpantur affectu: quarum impatientia index animi, nullam recipit excuſationem, & caſſa pudicitiæ velamenta quaſi aranearum fila dirumpit. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, à mulieribus nõ poſſe diſcedere; ſub eodem manere tecto, ſimul inire conuiuia; ancillas iuuenes habere in miniſterio; & præter vocabulum nuptiarum, omnia eſſe matrimonij. Nec hęc culpa eſt Chriſtiani nominis, ſi ſimulator religionis in vitio ſit, quinimmo cõfuſio gentilium, cum ea vident Eccleſijs diſplicere, quæ omnibus bonis non placent. Tu verò, ſi monachus eſſe vis, non videri habeto curam, nõ rei familiaris, cui renunciando, hoc eſſe cœpiſti, ſed animę tuę. *Tom. 1. Epiſt. 4. ad Ruſticum cap. 2. de ſuſpecto conſortio mulierum vitando.*

*Commercia mulierum fugienda eccleſiaſticis.*

QVAMDIV in patria tua es: habeto cellulam pro paradiſo; varia ſcripturarum poma decerpe; his vtere delicijs: harum fruere complexu. Si ſcãdalizat te oculus, pes, manus proijce ea. Nulli parcas, vt ſoli parcas animæ. Qui viderit, inquit, Dominus, mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Aſtra non ſunt munda in conſpectu Domini: quãto magis homines, quorũ vita tentatio eſt: Vę nobis, qui quoties concupiſcimus, toties fornicamur. Inebriatus eſt, inquit, gladius meus in cęlo; multo amplius in terra, quę ſpinas & tribulos generat. Vas electionis, in cuius ore Chriſtus reſonabat, macerat corpus ſuum, & ſubijcit ſeruituti, & tamẽ cernit naturalem carnis ardorem ſuæ repugnare ſentẽtiæ, vt quod nõ vult, hoc agere compellatur; & quaſi vim patiẽs, vociferatur, & dicit: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et tu te arbitraris abſque lapſu, & vulnere poſſe tranſire, niſi omni cuſtodia ſeruaueris cor tuum, & cum ſaluatore dixeris: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui faciunt voluntatẽ patris mei? Crudelitas iſta, pietas eſt. Immò quid tam pium, quam ſanctę matri ſanctum filium cuſtodire. Optat & illa te viuere & non videre ad tẽpus, vt ſemper cum Chriſto videat. Anna Samuelem nõ ſibi, ſed tabernaculo genuit. *Tom. 1. Epiſt. 4. ad Ruſticum ca. 3.*

*Quanta cautione & diligentia cuſtodienda pudicitia.* *Matt. 5.* *Iob. 25.* *Eſaiæ 34.* *1 Cor. 9.* *Rom. 7.* *Prouerb. 4.* *Luc. 8.*

VOLO te, & propter cauſas, quas ſupra expoſui nõ habitare cum matre; & præcipuè, ne aut offerentẽ delicatos cibos renuendo cõtriſtes; aut ſi acceperis, oleũ igni adijcias, & inter frequẽtiã puella

*Frequentia puellarũ vitanda eſt eccleſiaſtico homini.*

rum per diem videas, quod nocte cogites. *Ibidem capite quinto.*

*Sacerdotum priuilegium vt non ordinentur, niſi qui fuerint monogami*

SIMVL conſidera, quod vidua non eligatur, niſi vnius viri vxor: & nos putabamus Sacerdotũ hoc tantum eſſe priuilegium, vt non admittatur ad altare, niſi qui vnã habuerit vxorem, non ſolũ enim ab officio ſacerdotij digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna Eccleſiæ, dũ indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda coniugia deuoluta eſt. Quanquã lege Sacerdotali teneatur & laicus, qui talem præbere ſe debet, vt poſſit eligi in Sacerdotium, non aũt eligitur, ſi digamus fuerit. porrò eliguntur ex laicis Sacerdotes, ergo & laicus tenetur mandato, per quod ad Sacerdotium peruenitur. *Tom. 1. Epiſt. 11. ad Ageruchiam cap. 2.*

PVDET dicere, pro nefas: triſte, ſed verum eſt. Vnde in Eccleſias Agapetarum peſtis introijt? vnde ſine nuptijs aliud nomen vxorum? imò vndè nouum concubinarũ genus? Plus inferam. Vnde

*Nouum concubinarum genus.*

meretrices vniuiræ? eadem domo, vno cubiculo ſæpe vno tenẽtur & lectulo; & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid extimemus. Frater ſororẽ virginẽ deſerit, cœlibat ſpernit virgo germanum, fratrẽ quęrit extraneũ; & cum in eodẽ propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorũ ſpiritale ſolatium, vt domi habeant carnale commercium. Iſtiuſmodi

*Prou. 6.*

homines Salomon in Prouerbijs ſpernit, dicens: Alligabit quis in ſinu ignem, & veſtimenta eius non comburentur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & pedes illius non ardebunt? *Tom. 1. Epiſtola 22. ad Euſtochium cap. 5.*

NON habeas conſortium matronarum: nolo ad nobilium domos accedat: nolo te frequenter videre, quod contemnens, virgo eſſe voluiſti. Sic ſibi ſolent applaudere mulierculæ de iudicibus viris, & in aliqua poſitis dignitate. Si ad Imperatoris vxorem concurrit ambitio ſalutãtium, cur tu facis iniuriam viro tuo? Ad hominis coniugẽ Dei ſponſa quid properas? diſce in hac parte ſuperbiam ſanctam: ſcito te illis eſſe meliorem. Ne

*Virgo fugiet Sacerdotum & viduarũ conſortia.*

que verò earum tantùm te cupio declinare congreſſus, quæ meritorum inflantur honoribus, quas eunuchorum greges ſæpiunt, & in quarum veſtibus attenuata in filum auri metalla texuntur; ſed etiam eas fuge, quas viduas neceſſitas fecit, non voluntas; non quod mortem optauerint maritorum; ſed quod datam occaſionem pudicitiæ non libenter acceperint. Nunc verò, tantũ veſte mutata priſtina, non mutatur ambitio. Præcedit caueas Baſternarum ordo ſemiuirorum: & rubentibus buccis, cutis farta diſtenditur, vt eas putes maritos non amiſiſſe, ſed quærere. Plena adulatoribus domus, plena conuiuis.

*Clericorum impudica cõſuetudo reprehenditur*

Clerici ipſi, quos & magiſterio eſſe oportuerat pariter, & timori, oſculantur capita matronarũ, & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, ſi neſcias, prętia accipiant ſalutandi. Illæ interim quæ Sacerdotes ſuo viderint indigere præſidio, eriguntur in ſuperbiam: & quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem; caſtæ vocãtur, & Nonnæ, &, poſt cœnam dubiam, Apoſtolos ſomniant. *Ibid. cap. 6.*

SVNT alij (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo Preſbyterium, & Diaconatum ambiũt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de

*Sponſorum magis quàm Clericorum deſcriptio.*

veſtibus, ſi benè oleant, ſi pes laxa pelle, non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur: digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia; tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quàm clericos. Quidam in hoc omne ſtudium, vitamque poſuerunt, vt matronarum nomina, domos, moresque cognoſcant; ex quibus vnum, qui huius artis eſt Princeps, breuiter, ſtrictimq; deſcribam; quo facilius magiſtro cognito, diſcipulos recognoſcas. Cum ſole feſtinus exurgit: ſalutandi ei ordo diſponitur; viarum compendia requiruntur: & pe-

*Proſopographia cuiuſdã ſponſi clerici*

nè vſq; ad cubicula dormientium ſenex importunus ingreditur, ſi puluillum viderit, ſi mantile elegans, ſi aliquid domeſticę ſupellectilis laudat, miratur, attrectat, & ſe his indigere conquerens, non tam impetrat, quàm extorquet: quia ſingulę metuunt veredarium vrbis offendere. Huic inimica caſtitas, inimica ieiunia, prandium nidoribus probat, & altili γέρον ὁ πέπων, vulgo pipizo nominatur. Os barbarum, & procax, & in conuicia ſemper armatum. Quocunque te verteris, primus in facie eſt. Quidquid nouũ inſonuerit, aut author, aut exaggerator eſt famæ. Equi per horarum momenta mutantur, tam nitidi, tamque feroces, vt Thracij regis illum putes eſſe germanũ. *Tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium. cap. 12.*

*Luc. 9.17.*

ET hoc hortor: Si vis eſſe perfectus, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmẽ cupis, ſi ſublata cruce Chriſtum ſequi, ſi apprehẽſo aratro nõ reſpicere poſt tergum, ſi in ſublimi tecto poſitus, priſtina veſtimenta contemnis, & vt euadas Aegyptiam dominam, ſæculi pallium derelinquis. Vnde & Helias

*Gen. 39.*

ad cœlorũ regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio, ſed mundi in mundo veſtimẽta dimittit. Sed

*4. Reg. 2.*

*Vxores relinquendæ ijs, qui cupiunt eſſe perfecti: Petrus Apoſtolus reliquit vxorẽ.*

hoc ais, Apoſtolicæ dignitatis eſt, & eius, qui velit eſſe perfectus. Cur autem & tu nolis eſſe perfect⁹? cur, qui in ſæculo primus es, non & in Chriſti familia primus ſis? an quia vxorem habueris? habuit & Petrus, & tamen cum reti eam & nauicula dereliquit. *Tom. 1. Epiſt. 34. ad Iulianum cap. 2.*

*Lucas cœlebs.*

VIXIT Lucas octoginta & quatuor annos, vxorem non habens. *Tom. 1. de Viris Illuſtr. in Luca.*

*Obiectio de Samuele & alijs vxoratis in lege refellitur.*

SI Samuel nutritus in tabernaculo duxit vxorem: quid hoc ad prę iudicium virginitatis? quaſi non hodie quoq; plurimi Sacerdotes habeant matrimonia: & Apoſtolus Epiſcopum deſcribat vnius vxoris virũ, habentem filios cum omni caſtitate. Simulque noſcendum, quod Samuel Leuita

*1. Reg. 8.*

non Sacerdos, non Pontifex fuerit. Vnde & faciebat illi mater ſua ephodbab, ſuperhumerale videlicet lineum, qui habitus proprie Leuitarũ, & mi-

*Pſal. 98.*

*Minoribus et infimis ordinibus conceſſa matrimonia.*

noris eſt ordinis, vnde & in Pſalmis non nominatur inter Sacerdotes, ſed inter eos, qui inuocãt nomen Domini. Moyſes, inquit, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Leui enim genuit Caath, Caath genuit

*1. Par. 6.*

Aminadab, Aminadab genuit Chore, Chore genuit Aſſir, Aſſir genuit Helchana, Helchana genuit Sub, Sub genuit Tou, Tou genuit Heliu, Heliu genuit Ieroam, Ieroam genuit Helchana, Helchana genuit Samuelem. Nullique dubium eſt, Sacerdotes de Aaron, & Eleazar, & Phinees ſtirpe

*Eucratitarũ hæreſis reprobat matrimonium.*

generatos, qui cum & ipſi vxores habuerint, rectè nobis opponerentur, ſi errore Eucratitarum ducti, cõtenderemus matrimonia reprobanda: & nõ eſſet noſter Põtifex ſecundũ ordinem Melchiſedech ſine patre, ſine matre ἀγενεαλόγητος, hoc eſt, ſi-

*Hebr. 7.*

ne nuptijs. Et reuera magnos fruct⁹ ex liberis Sa-

*1. Reg. 8.*

muel capit: vt, quia ipſe placuit Deo, tales genuerit, qui Dño diſplicerent. Quod ſi Booz, & Ruth,

*Ruth 2.*

nobis obijcit ad cõprobandã digamiã: ſciat, in Euangelio, ob typũ Eccleſiæ etiã Raab meretricẽ in

*Matt. 1.*

ordine



ordine maiorum Dñi enumeratam. Porrò quod

*1. Reg. 18.*

Dauid ducentis pręputijs emiſſe iactat vxorẽ: nouerit illum & alias habuiſſe quã plurimas; & Mi-

*Alia ratio cœlibatus eccleſiaſticorũ in lege alia in Euangelio.*

chol filiam Saul, quam pater alteri tradiderat, poſtea recepiſſe; & iam ſenem, Sunamitidis puellę calefactum eſſe complexibus. Nec hoc dico, quod

*3. Reg. 1.*

ſanctis viris quidquam detrahere audeam; ſed ꝙ aliud ſit, in lege verſari, aliud in Euangelio. *Tom. 2. lib. 1. contra Iouinianum cap. 13.*

*Obiectio ex Paulo.*

FRVSTRA, inquit, hæc loqueris: quia & Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi, vnius vxoris viri, & habentes filios, ab Apoſtolo conſtituuntur.

*1. Tim 3.*

Quo modo de virginibus Apoſtolus dicit, ſe non habere præceptum: & tamen dat conſilium, quaſi miſericordiam conſecutus à Domino: & hoc agit

*1. Cor. 7.*

in omni illa diſputatione, vt virginitatem præferat matrimonio; & ſuadet, quod imperare non

*Reſponſio ad locum Paulinum.*

audet; ne inijcere videatur laqueum, & plus imponere ponderis, quam poteſt hominum ſuſtinere natura: ita & in Eccleſiaſtico ordine conſtituendo, quia rudis ex gentibus conſtituebatur Eccleſia, leuiora nuper credentibus dat præcepta; ne

*Actor. 15.*

territi ferre non poſſent. Denique & Apoſtoli, & ſeniores de Hieroſolymis litteras mittunt: vt nõ amplius imponatur oneris his, qui de gentibus

*1. Cor. 5.*

crediderint, niſi vt abſtineant ſe ab idololatria, & fornicatione, & à ſanguine, & à ſuffocatis: & quaſi paruulis atque infantibus lac potum dent non ſolidum cibum: nec præcipiunt de continentia nec de virginitate ſignificant: nec ad ieiunia

*Matt. 10.*

prouocant: neque dicunt illud quod in Euangelio ad Apoſtolos dirigitur, ne habeant duas tunicas, ne peram, ne æs in zonis, ne virgam in manu,

*Matt. 10.*

calceamenta in pedibus; aut certè illud: Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia tua, & da pauperibus; & veni ſequere me. Si enim adoleſcens ille, qui ſe iactauerat cuncta feciſſe, quæ legis ſũt, audiens hoc triſtis abijt, quia habebat poſſeſſiones multas, & Phariſęi huiuſcemodi Domini ſententiam ſubſannabant: quanto magis tanta gentium multitudo, cui ſumma virtus erat aliena non rapere, non habebat neceſſe præceptum de caſtitate & continentia perpetua, quibus ſcribebatur, vt abſtinerent ſe ab idolis, & à fornicatione, & in quibus audiebatur fornicatio, & talis for

*1. Cor. 5.*

nicatio, quæ nec inter gentes quidem eſt? Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum facit. Non enim

*1. Tim. 5.*

dicit: eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; ſed qui vnam habuerit vxo-

*Vera explicatio loci Paulini de tempore præterito & non futuro.*

rem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat, alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter dãnabitur. Aut permitte ſacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines, quod mariti: aut, ſi ſacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum. Si laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: ſacerdoti, cui ſemper pro populo

*Alia obiectio excluditur. Leuit. 10.*

offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orãdum. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio: nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erãt, ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem, prouocare. Eliguntur mariti in ſacerdotium non nego. quia nõ ſunt tanti virgines, quanti neceſſarij ſunt ſacerdotes. Nũquid, quia in exercitu fortiſſimus quiſque eligendus eſt, iccirco non aſſumentur & infirmiores, cum omnes fortes eſſe non poſſint? Si exercitus virib. tantum conſtaret, & non etiam numero militũ: abijcerentur imbecilliores: nunc & ſecundarum & tertiarum virium gradus aſſumitur; vt turba,

*Noua obiectio remouetur.*

& numero exercitus compleatur. Et quo modo, inquies, frequenter in ordinatione ſacerdotali virgo negligitur, & maritus aſſumitur? Quia fortè cætera opera non habet virginitati congruentia: aut virgo putatur, & non eſt; aut eſt virginitas infamis. aut certè ipſa virginitas ei parit ſuperbiam; & dum ſibi applaudit de ſola corporis caſtitate, virtutes cæteras negligit: non fouet pauperes: pecuniæ cupidior eſt. Euenit interdum, vt triſtior vultus, adductum ſupercilium, inceſſus põparum ferculis ſimilis, offendat populum, & quia nihil habet, quod reprehendat in vita, habitum ſolum oderit, & inceſſum. Multi eliguntur non amore ſui, ſed alterius odio. In pleriſque ſuffragium meretur ſola ſimplicitas: & alterius prudentiæ & calliditati quaſi malitiæ opponitur, vt plerunque errat plebis vulgique iudicium: & in ſacerdotibus comprobandis, vnuſquiſque ſuis moribus fauet; vt tam bonum quam ſibi ſimilẽ quę-

*Variæ & diuerſæ cauſæ impellentes ad deligẽdos Epiſcopos.*

rat præpoſitum. Euenit aliquoties, vt mariti quæ pars maior in populo eſt, maritis quaſi ſibi applaudent, & in eo ſe arbitrentur minores non eſſe virginibus, ſi maritum virgini præferant. Dicam aliquid, quod forſitan cum multorum offenſa dicturus ſum: ſed boni mihi non iraſcẽtur, quia eos peccati conſcientia non remordebit. Interdum hoc eſt, pontificum vitio accidit, qui nõ meliores, ſed argutiores in clerũ allęgunt, & ſimpliciores quoſq;, atque innocentes inhabiles putant, vel affinibus & cognatis quaſi terrenæ militiæ officia, largiuntur, ſiue diuitum obediunt iuſſioni: quodque his peius eſt, illis clericatus donant gradum, quorum ſunt obſequijs deliniti, a-

*1. Cor. 7.*

lioqui, ſi iuxta ſententiam Apoſtoli non erunt Epiſcopi niſi mariti, ipſe Apoſtolus Epiſcopus eſ-

*Paulus et Ioannes Apoſtoli cœlibes.*

ſe non debuit, qui dixit: Volo autem omnes ſic eſſe, ſicut ego ſum. Et Ioannes indignus hoc gradu exiſtimabitur, & omnes virgines & continentes, quibus quaſi pulcherrimis gemmis Eccleſiæ monile, decoratur. Epiſcopus & presbyter, & diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officio-

*1. Tim. 3.*

rum. Nec dicitur: Si quis Epiſcopatum deſiderat bonum deſiderat gradum: ſed, Bonum opus deſiderat, quod in maiori ordine conſtitutus, poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum. *Tom. 2. libr. 1. contra Iouinianum cap. 19.*

*Vnius vxoris vir qui vnã vxorem habuerit nõ habeat.*

OPORTET Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vt nulli vitio mancipatus ſit: Vnius vxoris virum, qui vnam vxorem habuerit, non habeat, Sobrium, ſiue, vt melius, in Græco dicitur, vigilantem, id eſt, νηφάλεον: Pudicum, hoc enim ſignificat σώφρονα, ornatum & caſtitate, & moribus: Hoſ-

*Gen. 18.*

pitalem; vt imitetur Abraham, & cum peregrinis Chriſtum ſuſcipiat doctorem: nihil enim prodeſt conſcientia virtutum frui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere, vt valeat exhortari in doctrina, & eos, qui contradicunt redarguere: Non vinolentum, quia qui ſemper in ſanctis

*Leuit.* [illegible]

ſanctorum eſt, & qui offert hoſtias, vinum & ſiceram non bibit, quia in vino luxuria eſt. Sic bibat Epiſcopus, vt an biberit, ignoretur: Non percuſſorem, id eſt, qui conſcientias non percutiat ſingulorum; neque enim pugilẽ deſcribit ſermo

 Apoſto-

Apoſtolicus,ſed Pontificem inſtituit,quid facere non debeat. Docet nunc è regione quid faciat. Sed modeſtum,non litigioſum,nō cupidum,domum ſuam benè regentem, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Vide, quanta pudicitia exigatur in Epiſcopo,vt ſi filij eius impudici fuerint,ipſe Epiſcopus eſſe non poſſit: & eodem vitio offendat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios,ſed quia non abiecerat deliquentes, retrorſum cecidit & mortuus eſt,lucerna Dei antequam extingueretur. Mulieres ſimiliter pudicas,& reliqua.In omni gradu & ſexu,tenet pudicitia principatum. Cernis igitur quod Epiſcopus, Presbyter & Diaconus non ideo ſint beati, quia Epiſcopi, vel Presbyteri ſint, aut Diaconi,ſed ſi virtutes habuerint nominum ſuorum,& officiorum. alioqui,ſi Diaconus ſanctior Epiſcopo ſuo fuerit,non ex eo,quod inferior gradu eſt,apud Chriſtum deterior erit,aut Stephanus Diaconus, qui primus martyrio coronatus eſt,minor futurus eſt in regno cœlorum multis Epiſcopis,& Timotheo,ac Tito;quos vt ſubijcere non audeo,ita nec anteponere. *Ibid.cap.20.*

*Pudicitia quanta requiratur in Epiſcopis.*

*1.Reg.4.*

*1.Reg.3.*

*Act.7.*

Si ſæculi homines indignantur in minori gradu ſe eſſe,quam virgines:miror Clericos & Monachos,& Continentes id non laudare,quod faciunt.Caſtrant ſe ab vxoribus ſuis,vt imitentur virginum caſtitatem:& idipſum volunt eſſe maritatas,quod virgines? aut iungantur itaq; vxoribus ſuis,quibus renūciauerant; aut ſi ſe abſtinuerint, etiam tacentes confitebuntur melius eſſe, quod nuptiarum operi prætulerunt. *Tom. 2.in Apologia ad Pammachium cap.1.Fol.108.*

*Monachorū & Clericorum continētia.*

Ecce perſpicuè nuptias diximus concedi in Euangelio:ſed tamen eaſdem in ſuo officio permanentes,præmia caſtitatis capere nō poſſe. Quod ſi indignè accipiunt mariti,non mihi iraſcantur, ſed Scripturis ſanctis,imò Epiſcopis,& Presbyteris,& diaconis, & vniuerſo choro Sacerdotali, & Leuitico,qui ſe nouerūt hoſtias offerre nō poſſe, ſi operi ſeruiāt coniugali.Sed eo loco,vbi de Apocalypſi teſtimoniū poſuimùs,nonne manifeſtum eſt,quid de virginibus,& viduis,& cōiugibus ſenſerimus? Hi ſunt,qui cantāt canticum nouū: quod nemo poteſt cantare,niſi qui virgo eſt. Hi ſunt primitiæ Dei,& agni,& ſine macula.Si virgines primitæ Dei ſunt,ergo viduæ,& in matrimonio continentes,erunt poſt primitias, hoc eſt, in ſecundo & tertio gradu.In ſecundo & tertio gradu viduas ponimus,& maritatas:& hæretico furore dicimur damnare nuptias. *Ibidem cap.3.*

*Vniuerſus chorus Sacerdotalis caſt⁹*

*Apoc.14.*

Apostoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes,epiſcopi,presbyteri,diaconi aut virgines eliguntur,aut vidui, aut certè poſt ſacerdotium in æternum pudici. *Ibidem cap. 8.*

*Eccleſiaſtici poſt ſacerdotium in æternum pudici.*

Exortus Vigilantius qui continentiam hæreſim: pudicitiam libidinis ſeminarium vocat. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium,cap.1.*

Prô nefas,epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere cōſortes:ſi tamen epiſcopi nominādi ſunt, qui non ordinant diaconos, niſi prius vxores duxerint,nulli cœlibi credentes pudicitiam,imo oſtēdentes quàm ſanctè viuant, qui malè de omnibus ſuſpicantur,& niſi pregnātes vxores viderint clericorum,infanteſque de vlnis matrum vagiētes, Chriſti ſacramenta non tribuunt. Quid facient orientes Eccleſiæ? quid Aegypti,& Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiūt, aut continentes:aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt. *Ibidem,mox.*

*Vigilantiani nullos ordinant niſi pri⁹ vxoratos.*

Tunc Nicolaus,qui vnus de ſeptem Diaconis fuit,die noctuq; nuptias faciens, obſcœnos & auditu quoq; erubeſcendos coitus ſomniauit. *Tom. 2.in Dial.contra Luciferianos,cap.8.*

*Act.6.*

Audio præterea mihi obijci à Chryſogono, ſectatore eius,cur in baptiſmate dixerim,vniuerſa peccata dimitti,& mortuo bimarito, nouū virum in Chriſto reſurgere, atq; iſtiuſmodi Sacerdotes in Eccleſijs eſſe nonnullos. Cui breui ſermone reſpondebo:habent libellum quem in crimen vocant: ille reſpondeat. Hunc ſua diſputatione ſubuertat,& ſcripta ſcriptis arguat. Quid auſteritate frontis, & cōtractis rugatiſq; naribus cōcaua verba trutinat,& ſanctitatē apud vulgus ignobile ſimulato rigore mentitur? Audiat nos iterum proclamantes, veterē Adam in Lauacro totū mori,& nouū cum Chriſto in baptiſmate ſuſcitari:perire Choicū,& naſci ſupercœleſtē. Hæc dicimus,nō quod ipſi propitio Chriſto,hac quæſtione teneamur:ſed interrogati à fratribus,quid nobis videretur, reſpōdimus:nulli præiudicātes ſequi,quod velit:nec alterius decretū noſtra ſententia ſubuertētes,neq;. n. ambimus Sacerdotiū, qui latemus in cellulis:nec, humilitate damnata epiſcopatū auro redimere feſtinamus: nec electū Pontificem à Deo,rebelli cupimus mente iugulare. *Tomo ſecundo libro primo aduerſus Ruffinum capite ſeptimo in fine.*

*De maritis Sacerdotib⁹ reſponſio Hieronymi.*

Nunquam fili Oceane,fore putabam,vt indulgentia Principis, calumniam ſuſtineret reorum: & de carceribus exeuntes, poſt ſordes ac veſtigia catenarum dolerent alios relaxatos.In Euangelio audit inuid⁹ ſalutis alienæ: Amice, ſi ego bonus ſum,quare oculus tuus nequam eſt? Cōcluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnibus miſereatur,vt vbi abundauit peccatum,ſuperabundet & gratia.Cæſa ſunt Aegypti primogenita, & ne iumentū quidem Iſraeliticū in Aegypto derelictū eſt:Et conſurgit mihi Caina hæreſis, atq; olim emortua vipera contritum caput leuat, quæ nō ex parte,vt ante conſueuerat,ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum. Dicit enim eſſe aliqua peccata,quæ Chriſtus nō poſſit purgare ſanguine ſuo, &tam profundas ſcelerum priſtinorum inhęrere corporibus atque animis cicatrices, vt medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit,niſi vt Chriſtus fruſtra mortuus ſit? fruſtra autē mortuus eſt,ſi aliquos viuificare non poteſt. Mētitur Ioannes Baptiſta, & digito Chriſtum & voce demonſtrans.Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi,ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata nō tulerit. Aut enim oſtendēdi ſunt non eſſe de mundo, quos Chriſti ignoret indulgentia:aut ſi de mundo ſunt, eligendum à duob⁹ alterum.Liberati à peccatis Chriſti potentiā probant:non liberati, quaſi adhuc rei,imbecillitatē demonſtrant.Sed abſit hoc de omnipotente credere,quod in aliquo impotēs ſit. Omnia,quæ pater facit,& filius facit ſimiliter. Infirmitas filij redundat ad patrem. Cuncta ouiculæ membra portata ſunt:totæ Apoſtoli epiſtolæ,Chriſti gratiā ſonant.Et ne parū videretur ſimplex gratiæ nuncupatio:Gratia,inquit,vobis,& pax multiplicetur. Multiplicatio promittitur,& à nobis paucitas affirmatur? quorſum iſta? Noſti problema tuū. Carterius Hiſpaniæ Epiſcopus,homo & ætate vetus, & Sacerdotio,vnam,antequam baptizaretur, alteram poſt Lauacrum,priore mortua duxit vxorem: & arbitraris eum contra Apoſtoli feciſſe

*Matt. 20.*

*Rom.11.*

*Exod.12.*

*Omnia peccata poſſe Chriſti ſanguine purgari.*

*Ioan.1.*

*Abundantia gratiæ Chriſti.*

*1.Pet.1.*

*1.Tim.3.*



ſententiam,qui in catalogo virtutum, Epiſcopū vnius vxoris virum præceperit ordinandum.Miror autem te vnum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus ſit: nō dico de Presbyterio,non de inferiori gradu,ad epiſcopos venio:quod ſi ſigillatim voluero nominare,tantus numerus congregabitur;vt Ariminēſis Synodi multitudo ſuperetur. Sed indecēs eſt, ſic vnum tueri, vt plures accuſare videaris:& quē ratione non poſſis,ſocietate peccantiū defendas. Suſtinui Romæ à viro eloquētiſſimo cornutum, vt dicitur ſyllogiſmum: vt quocunq; me verterem ſtrictius tenerer. Vxorem,inquit,ducere peccatum eſt,an non? Ego ſimplex,& qui inſidias vitare neſcirem,dixi non eſſe peccatum. Rurſum aliud propoſuit,in baptiſmate bona opera dimittuntur an mala? Et in hoc eadem ſimplicitate reſpondi,peccata dimitti. Cum me ſecurum putarem,cœperunt mihi hincinde cornua increſcere, & abſconditæ prius acies dilatari. Si,inquit, vxorem ducere,non eſt peccatum: Baptiſmus autem peccata dimittit:quidquid non dimittitur, reſeruatur. Illicò mihi, quaſi à fortiſſimo pugile percuſſus eſſem,ante oculos, caligo aduerſari cœpit: ſtatimq; recordatus Chryſippei ſophiſmatis: Si mentiris;idq; verè dicis:mentiris: & in memet reuerſus conuerti in aduerſariū propoſitionis ſtropham. Quæſo,inquam,te,vt reſpondeas: Baptiſmus hominem facit nouum an non? Vix dedit quod nouum faceret. Gradatim intuli:ex toto nouum facit,an ex parte? Reſpondit ex toto. Deinceps interrogaui: nihil ergo veteris hominis in baptiſmate reſeruatur? Mouit caput:cœpi protinus texere. Si baptiſmus nouum hominem facit, & ex toto nouum creat: nihilq; in eo veteris hominis reſeruatur: non poteſt nouo imputari, quod in veteri quondam fuit. Primum ſpinoſulus noſter obmutuit:poſtea verò Biſoniano vitio, cum loqui neſciret,tacere nō potuit,ſudare tamē frōs, pallere genæ,tremere labia,hærere lingua, ſaliua ſiccari,& plus timore,quàm ætate contrahi: erupit aliquando. Nonne legiſti ab Apoſtolo, vnius vxoris virum aſſumi in Sacerdotium,& rem non tempora definiri? Quia me ſyllogiſmis prouocauerat;& videbam tendere hominem ad interrogatiunculas tortuoſas;ſua contra illum tela iaciebam. Baptizatos,inquam,Apoſtolus eligit in epiſcopatum,an Catechumenos? Reſpondere nolebat.Ego tamen id ipſum ingerere, & ſecundo ac tertio ſciſcitari. Nioben putares:quæ nimio flatu in lapidem verſa eſt. Verti me ad auditores:nihil intereſt,ô boni iudices, aduerſarium vigilātem, an dormientem ligem, niſi quod facilius eſt quieſcenti,quàm reluctanti vincula innectere. Si Apoſtolus non Catechuminos in clerum eligit,ſed fideles:Fidelis autem eſt, qui Epiſcopus ordinatur: vitia catechumini non imputabuntur fideli. Torquebam iſtiuſmodi ſpicula, & vibrantes haſtas in lethargicum dirigebam. Oſcitabat tādem, & quaſi per mentis crapulam ructans & nauſeās euomebat: Apoſtolus dixit, Paulus hæc docuit. *Tom:2. Epiſt.83.ad Oceanum cap.1.*

*Mundus ordinationibus bigamorum plenus.*

*Dilēma cornutum alio dilemmate ſubuertitur.*

*Conſtrictum tenet aduerſarium dilēmate Hieronymus.*

Proferuntur ergo Apoſtoli epiſtolæ, vna ad Timotheum,altera ad Titum. In prima ſcriptū erat:Si quis epiſcopatum deſiderat,bonū opus deſiderat,oportet ergo epiſcopū irreprehenſibilē eſſe,vnius vxoris virū,ſobrium, prudentē, ornatū, hoſpitalē,doctorem,nō vinolentum, nō percuſſorē,ſed modeſtū,nō litigioſum,nō auarū,domū ſuā benè regentem,filios habentē ſubditos cū omni caſtitate. Si quis autē domui ſuæ præeſſe neſcit;quomodo eccleſiæ Dei diligentiā adhibebit? nō neophytum: ne in ſuperbiā elatus, in iudiciū incidat diaboli, oportet aūt eum & teſtimonium habere bonum,ab ijs qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat,& in laqueum diaboli. Ad Titum ſtatim in principio hæc mādata ponuntur. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deerant,corrigas,& conſtituas per ciuitates Presbyteros,ſicut ego tibi diſpoſui.Si quis eſt ſine crimine,vnius vxoris vir,filios habens fideles,nō in accuſatione luxuriæ,aut nō ſubditos. Oportet ergo epiſcopum eſſe ſine crimine,tanquam Dei diſpenſatorē,non proteruum,nō iracundum, nō vinolentū, non percuſſorem,non turpis lucri cupidum,ſed hoſpitalē,beneuolū,prudentem,iuſtum ſanctum,cōtinentem,obtinentē eum, qui ſecundum doctrinā eſt,fidelem ſermonē, vt poſſit exhortari in doctrina ſana,& contradicentes reuincere.In vtraq; epiſtola ſiue epiſcopi, ſiue presbyteri(quanquā apud veteres ijdem epiſcopi & preſbyteri fuerint:quia illud nomē dignitatis eſt,hoc ætatis)iubentur monogami in clerum eligi. Certè de baptizatis Apoſtoli ſermonē eſſe, nemo dubitat. Si ergo omnia quæ in ordinatione quæruntur epiſcopi, non præiudicāt ordinando, licet ea ante baptiſma non habuerit:queritur.n.quid ſit, & non quid fuerit:quare ſolum nomē vxoris impedit,quod ſolum peccatum non fuit? dicis: quia peccatum non fuit, iccircò non eſt dimiſſum in baptiſmate. Rem nouam audio, quia peccatum non fuit,in peccatum reputabitur. Omnia ſcorta & publicę colluuionis ſordes, impietas in Deum, parricidium,& inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptatęs, vtriuſque ſexus mutata natura, Chriſti fonte purgantur: vxoris inhærebunt maculæ,& lupanaria thalamis præferentur? Ego non tibi imputo meretricum exercitus,exoletorum greges, effuſionem ſanguinis, & inſtar ſuis in omni cœno libidinum volutabra:& tu mihi olim mortuam de ſepulchro vxorculam protrahis: quam ideo accepi, ne facerem quod feciſti? Audiant ethnici meſſis Eccleſiæ,de quib⁹ quotidie horrea noſtra complentur: audiant catechumeni,qui ſunt fidei candidati, ne vxores ducant ante baptiſma, ne honeſta iungant matrimonia, ſed ſcortorum,& aſotorum ritu,ac de Republica Platonis promiſcuas vxores, communes liberos habeant: immo caueant qualecunq; vocabulum coniugis, ne poſtquam in Chriſto crediderunt, noceat eis, quod aliquando non concubinas, nec meretrices,ſed vxores habuerint. Recolat vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & totius vulnera plangat ætatis: cumquè verum iudicem priorum ſe exhibuerit relictorum, audiat increpantem Ieſum. Hypocrita,eijce primum trabem de oculo tuo,& tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Verè Scribarum & Phariſæorum ſimiles, culicem liquantes,& camelum glutientes decimamus mentam & anethum, & Dei iudicium prætermittimus. Quid ſimile vxor & ſcortum? Imputatur infœlicitas coniugis mortuæ, & libido meretricia coronatur? Ille ſi prior vxor viueret, aliam non haberet:tu vt paſſim caninas nuptias iungeres,quid potes excuſare? Forſitan timuiſſe te dicas,ne ſi matrimonium copulaſſes, non poſſes aliquando clericus ordinari. Ille in vxore optauit liberos:tu in meretrice ſobolem perdidiſti.

*1.Tim.3.*

*Tit.1.*

*Monogami Epiſcopi in clerū delecti*

*Vitium bigamiæ in ordinandis Epiſcopis purgat Baptiſmus.*

*Hieronym. in Commen. Epiſt. ad Titū idē defendit, & eū ſequuntur Sedulius, Scotus in explanatione. 3.cap prioris epiſt. ad Timoth. et Anſelmus Cantuarienſis epiſc.in Com. ad Tit. amplectitur eandem opinionem.*

*Meſſis Eccleſiæ ethnici quia de ipſis horrea eccleſiæ cōplentur Catechumeni ſunt fidei candidati.*

*Matt 7.*

*Matt.23.*

Illum

Illum naturæ & benedictioni Domini ſeruientem: *Gen.1.* Creſcite & multiplicamini, & replete terram: cubiculorum ſecreta texerunt: te ſubantem ad coitum publica facies execrata eſt. Ille, quod licebat, verecundo pudore celauit: tu quod non licebat, impudenter omnium oculis ingeſſiſti. *Hebr.13.* Illi ſcriptum eſt: Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum: tibi legitur: Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus: *1.Cor.3.* & qui corrumpit templum Dei, corrumpet illum Deus. Omnia, inquit, nobis, in baptiſmate condonata ſunt crimina: nec poſt indulgentiã, iudicis eſt metuenda ſeueritas, dicente Apoſtolo: *1.Cor.6.* Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Dñi Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Omnia peccata donata ſunt: benè & fideliter. Sed quęro quo modo tuę ſordes lotæ ſint, & meæ munditiæ ſordidatæ? Non dico, ais tuas ſordidatas, ſed in eodem ſtatu manſiſſe, quo fuerãt, ſi enim ſordes fuiſſent, lotæ vtiq; fuiſſent vt meę. Rogo quę eſt iſta tergiuerſatio, & acumẽ omni piſtillo retuſius? Quia non eſt peccatũ, peccatum eſt: quia nõ eſt ſordidum, ſordidũ eſt. Non dimiſit Dominus, quia nõ habuit, quod dimitteret: & quia nõ dimiſit iccirco manet, quod dimiſſum non fuit. Quantam vim habeat baptiſma & aqua in Chriſto ſanctificata gratiam, paululum poſt docebo: interim iuxta vulgare prouerbium: *1.Tim.3.* Malo nodo malus cuneus requirendus eſt. Hoc quod dicit, Vnius vxoris virum, poteſt & aliter diſſeri. *Alia explicatio loci Paulini de Epiſcopo vnius vxoris viro.* Ex Iudęis erat Apoſtolus. Prima Chriſti eccleſia de Iſrahel reliquijs cõgregabatur. Sciebat lege conceſſũ; & exemplo patriarcharũ ac Moyſi familiari populo nouerat in multis vxorib. liberos ſpargere; ipſis quoq; ſacerdotib. huius licẽtiæ patebat arbitriũ. Pręcipit ergo ne eandẽ licẽtiam Eccleſię ſibi vindicẽt ſacerdotes; ne bina pariter & trina cõiugia ſortiãtur, ſed vt ſingulas vno tẽpore vxores habeant. Ne cõtentioſũ clames eſſe, quod diximus, accipe & aliã explanationẽ: ne tibi ſoli liceat nõ voluntatẽ legi, ſed legem iungere voluntati. *Adhuc alia explicatio eiuſdem loci.* Quidam coactè interp̃tantur, vxores pro Eccleſijs, viros pro Epiſcopis debere accipi. Et hoc in Nicęna quoq; ſynodo à patrib. eſſe decretũ, ne de alia ad aliã Eccleſiã Epiſcopus trãsferatur: *Vxor epiſcopi eſt Eccleſia* ne virginalis pauperculę ſocietatis cõtẽpta ditioris adulterę q̃rat amplex⁹, vt quo modo culpa & filiorũ vitiũ in λογισμοῖς, id eſt, in cogitationibus, accipitur: domuſq; diſpẽſatio ad animã refertur, & corpus; ita & vxores pontificũ dici eccleſias. De quib. in Eſaia ſcriptũ eſt: *Eſaiæ 27.* Mulieres properantes de ſpectaculo venite: nõ eſt. n. populus habens intelligentiã: *Eſaiæ 32.* Et rurſum: Mulieres diuites; ſurgite & audite vocẽ meã. Et in Prouerbijs: *Prouerb.31.* Mulierẽ fortem quis inueniet? Honorabilior eſt pretioſis lapidibus, quæ talis eſt. Cõfidit in ea cor viri ſui. *Prouerb.14.* Et in eodẽ volumine: Sapientes mulieres ędificauerunt domum, inſipiens autem deſtruxit manibus. Nec hoc inquiunt, Epiſcopis videatur indignum: *Hier.3.* cũ de Deo quoq; ſcriptum ſit: Sicut deſpicit vxor virum ſuum, ſic deſpexit me domus Iſrael. *2.Cor.11.* Et in Apoſtolo: Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtã exhibere Chriſto. Mulierem autem, id eſt, γυναῖκα iuxta Græci ſermonis ambiguitatem, in his omnibus teſtimonijs vxorem potius intellige. Violẽta eſt, inquies, & ſatis dura etiã hęc interpretatio. Redde igitur ſcripturę ſimplicitatẽ ſuam, ne tuis contra te legibus dimicemus. Quęram & aliud: Si quis & ante baptiſmum habuerit concubinam; & illa mortua, baptizatus vxorẽ duxerit: vtrum clericus fieri debeat, an nõ? *Concubinatus vitium per baptiſmũ tollitur.* Reſpondebis poſſe fieri; quia concubinã habuerit non vxorẽ. Coniugales ergo tabulę, & iura dotalia, non coitus ab Apoſtolo condẽnantur. Multos videmus, ob nimiam paupertatem, vxorum ſarcinã declinare, & ancillas ſuas habere pro vxorib⁹, *Ancillæ pro vxoribus habitæ.* ſuſceptoſq; ex his liberos colere vt proprios: qui ſi fortè ditati ab imperatore ſtolam illius meruerint, cõfeſtim Apoſtolo colla ſubmittent, & inuiti inter vxores eas recipere cogentur, ſin autẽ principale reſcriptum eadem tenuitas impetrare non quiuerit, cum Romanis legibus eccleſię mutabuntur. Vide, ne hoc quod dicitur vnius vxoris virum, vnius mulieris poſſit intelligi; vt ad coitũ magis referatur, quam ad dotales tabulas. Hęc vniuerſa proferimus; nõ quo verę & ſimplici intelligentię reſiſtamus; ſed vt doceamus te ſcripturas ſanctas ſic intelligere, vt ſcriptæ ſunt, nec euacuare baptiſmum Saluatoris, & totũ patibuli ſacramentũ irritum facere. *Ibid. Epiſtol.83. ad Oceanum cap.2.*

SCHOLIA.

*Beneuolè Lector B. Hieronymus defendit eum qui ante baptiſmum vnam, alteram poſt baptiſmum vxorem habuerit monogamum & non bigamum eſſe cenſendum, atque ad ſacros ordines eundem admitti poſſe. Tantam enim vim ineſſe baptiſmo arbitratur, vt quemadmodum omnia antecedentia baptiſmum delicta expiat: ita etiam vitium monogamiæ, quod erat ante baptiſmum, delere poßit. Verum è diametro huic opinioni non modo Auguſtinus tom.6. lib. de bono coniugali cap.18. ſed & Innocentius Papa primus in Epiſtola 22. cap.52. adeoq; Ambroſius lib.1. Officiorum cap. vltimo & in lib.10. Epiſtolarũ Epiſtola 82. ad Vercellẽſem Eccleſiam (ſicuti hi auctores ex fontibus à Gratiano parte 1. Decretorum diſtinctione 26. & infra ca.28. q.3. adducuntur) repugnant. Exiſtimant enim hi ſancti viri, pluribuſq; rationibus conuincunt in baptiſmate quidẽ crimina aboleri, ſed fœdus coniugij non diſſolui, culpam dimitti, legem aboleri non poſſe, in coniugio enim non culpa ſed lex eſt & præceptum ac inſtitutum Dei. Teſtimonia grauißimorum Theologorum fusè allegata ſtudioſus Lector vel in ipſis fontibus, vel in deductis riuulis Gratiani ipſemet inſpiciat. Nam ſtudio breuitatis ea hic prætermitto. Quid igitur ad B. Hieronymi defenſionem adferemus? Nam nõ modo his tribus ſanctißimis Patribus & Pontificibus: ſed etiam conſentienti totius Eccleſiæ opinioni & menti penitus aduerſatur.* *gloſſa in diſt. 26. & c.28. quæſt.1.* *Sane Cardinalis Alexandrinus ſiue Prapoſitus S. Ambroſij ſuper Diſtinct.26. ca. vnius, & Guido de Bayſo Archidiaconus Bononienſis ex c. ſi quis diſtinct.33. ſumpto argumento à contrario ſenſu & conſenſu ipſius Gregorij, verum aſtruxiſſe B. Hieronymum defendere videntur. Neq; mirum videri debet, quod inter Doctores & ſanctos aliquando varietas opinionum reperiatur, quarum vnam falſam eſſe neceſſe eſt, quia ſicut ſpiritus. S. non ſemper tangebat corda prophetarum, ita nec ſemper tangit corda expoſitorum, vt dicitur in quadam gloſſa ſuper Ezechielem. Neq; tamen propterea B. Hieronymum, ſi maximè aberrarit, hæreſeos inſimulabimus, tum quia non errauit contra fidem & bonos mores; tum maximè, quia errorem ſuum pertinaci animo non defendebat, quod ſolum hæreticum efficit. cap.24. q.3. cap. dixit Apoſtolus. Quæ reſponſio ſi non ſatisfaciat, ex Alberti Magni & D. Thomæ Aquinatis concordi ſententia ita purgandus eſt Hieronymus, quod exiſtimet cum eiuſmodi bigamo, præſertim ſi ignorauerit bigamiæ adiunctam irregularitatem facilius poſſe diſpenſari. D. enim Thomas parte tertia in ſupplemento quæſtione 66. Articulo quarto in reſponſione ad primum: Dicendum, inquit, quod in caſu iſto; quo docet bigamiam tolli per baptiſmum non tenetur opinio B. Hieronymi, niſi fortè velimus eum exponere, quod loquitur ad ſuperiorem diſpenſationem. Cum enim vt docet D. Thomas ibidem in Concluſione Articuli ſequentis bigamiæ non ſit adiuncta irregularitas de iure naturali, ſed de iure poſitiuo, nec de eſſentialibus ordinis, quia bigamo ordinato imprimitur character ideo ſummus Pontifex poteſt diſpenſare in tali irregularitate in totum & ſimpliciter, ſed Epiſcopus ex parte quantum ad minores ordines. ſic Lucius Pontifex diſpenſauit cum Epiſcopo Panormitano. conſule B. Antonium parte tertia tit.28. capite tertio & Paulum Borgaſium Epiſcopum Feltrenſem gubernatorem generalem Thuſciæ in Tractatu de Irregularitatibus & Impedimentis Ordinum, Beneficiorum, Cenſuris ac diſpenſationibus ſuper eis parte 5. de Digamis non Ordinandis & diſpenſatione ſuper eis. Verum mihi ſaluo rectius ſentientium iudicio videtur B. Hieronymus ingenij ſui ardore ac vehementia longius prouectus, atque ſuſcepti argumenti ratione eò impetu quodam diſputationis celeri raptus atque delatus fuiſſe. Nam cum Cainam hæreſin, quæ negabat omnia peccata baptiſmo poſſe expiari, refellere propoſitum illi eſſet, B. Hieronymus beneficium baptiſmi iuſtius æquo ad confutationem hæreſeos laudibus extollit, eiuſque laudes declamatorio more latius extendit, quam res ipſa poſtulabat. Sic cum aduerſus Pelagianos agit quoque B. Auguſtinus gratiæ neceßitatem ad liberum arbitrium vrget vſque adeò vt quibuſdam hæreticis omnia gratiæ; nihil libero arbitrio concurrenti attribuere viſus ſit.*



SACERDOS ex ſacerdotibus, & in matris vtero ſanctificatus virginitate ſua Euangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicans. *To.3. Epiſt.118. præfatione in Hieremiam.*

INFOELIX Simon, quia poſt baptiſmũ de antiquo matrimonio cogitabat, *Virginitas facit Euangelicos Eccleſiæ viros.* nec ad virginalem venerat puritatem, Petri conſortio indignus fuit. *Tomo tertio, Epiſtola centeſima vigeſima octaua, ad Fabiolam.*

ET dixit Dominus, &cæt.] Supra & populum & principes tam propheta quam Dominus corripuerant: nunc ad mulieres de quibus prius dixerat: Et mulieres dominatæ ſunt eis, propheticus ſermo conuertitur: ne ſe alienas arbitrentur à crimine: ob quarum delicias atque luxuriam depaſti ſunt exactores vineam Domini: & rapina pauperis in domibus eorum eſt: & attriuerunt populum eius, & facies pauperum confuderunt. Quas quidam putant verè fœminas Iudæorum. alij metaphoricè de vrbibus Iudææ dici arbitrantur, quæ appellantur filiæ Sion: minores videlicet ciuitates, vici & oppida. Vnde & in libro Ieſu *Ioſue 19.* per ſingulas tribus ponuntur nomina ciuitatum: & poſtea deſcribuntur villæ atque caſtella: & filiæ nuncupantur. Alij, ſecundum Tropologiam mulieres animas arbitrantur, quę ſi extento collo ambulauerint, & ſe erexerint in ſuperbiam, & non virilem duritiam, ſed diſſolutionem ſectatæ fuerint fœminarum, corripiantur à ſermone prophetico; & omnia perdant ornamenta virtutũ, quæ ſub lunulis, torquibuſque & monilibus, atque armillis, mitris, & diſcriminalibus, & cæteriſque huiuſmodi deſcribuntur. *Superbia fœminarum eccleſiæ.* Abutendum eſt hoc teſtimonio, & aduerſum Eccleſiæ fœminas, quæ ambulant collo extento, & nutibus loquuntur oculorum: & plaudunt tam manibus quam pedibus: & vt compoſito incedant gradu, non naturam ſequuntur ducem, ſed hiſtriones redimunt præceptores. *Tomo quarto, libr.2. Comment. in cap.3. Eſaiæ.*

ET quomodo in proſelytis non eſt vlla diuerſitas, ſed & viri & fœminę ad ſalutem pariter vocantur: ſic & in Eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter regna cælorum, vterque ſexus accipitur: *Eunuchi vtriuſque ſexus.* qui mortificauerunt membra ſua ſuper terram: fornicationem, immunditiam, paſſionem deſiderium malum: donec perueniant omnes in virum perfectum, & dicant cum Apoſtolo Paulo: Nos neminem nouimus ſecundum carnem. Et ſi cognouimus iuxta carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Ergo in Eunuchis nequaquam illi intelligendi ſunt, quos ardens Poëta deſcribens ait: Nec non infœlix ferro truncata iuuentus; atque execta virum. Sed illi de quibus Dominus in Euangelio loquitur. Qui ſe caſtrauerunt propter regna cælorum: quales erant & Apoſtoli, quibus admirantibus, & pro rei difficultate dicentibus: Quis ergo poteſt ſaluus fieri? Reſpondet Saluator: Qui poteſt capere capiat: Vnde & Apoſtolus de huiuſcemodi Eunuchis, id eſt, de virginibus, præceptum Domini ſe non habere teſtatur: ſed dat conſilium quaſi miſericordiam conſequutus à Domino, volens omnes eſſe ſicut ſeipſum. Tempus enim ait, in collecto eſt: ſupereſt, vt & qui habent vxores, ſic ſint quaſi non habeant. Qui enim liber vocatus eſt à ſeruitute, & officio coniugali, iſte verè ſeruus eſt Chriſti. *Tomo quarto libro decimo quinto, Commentariorum in caput 56. Eſaiæ.*

QVIA hæc dicit Dominus Eunuchis, &cæte.] *Præcepta et præmia eunuchorum Euãgelicorum.* Duo propoſuerat, proſelytos & eunuchos. Prius loquitur de eunuchis, datque eis præcepta viuendi, & futurorum præmia pollicetur. Et poſt eos *Deutero.7.* venit ad proſelytos, illis quoque ſimilia repromittens. Loquitur ergo & Eunuchis, qui deſperatione dixerunt. Ecce ego lignum arens ne ſe putent ſubiacere maledicto, quod ſterilib. dictum eſt: Maledictus ſterilis qui non facit ſemen in Iſrael. Si, inquit, cuſtodierint ſabbatha mea, & de meis præceptis elegerint ea quæ volui, & non ea quæ pro audientium, imbecillitate conceſſi, & fœdus meum ſiue teſtamentum omni retinuerint fide: dabo eis in domo mea, & in templo meo, & in muris firmiſſimæ ciuitatis meæ locum, & nomen melius à filijs & filiabus, quod nulla obliuione delebitur. Qui ſint eunuchi ſupra diximus: qui ſolliciti ſunt ad ea quæ DEI ſunt: de quibus loquitur & Sapientia, quæ titulo *Sap.3.* Salomonis inſcribitur: Beata ſterilis, immaculata, quæ non cognouit ſtratum in delicto, habebit fructum in viſitatione animarum: Et Eunuchus qui non eſt operatus manu iniquitatem, neque cogitauit contra Dominum mala: Dabitur enim fidei eius electa gratia & pars in templo Domini delectabilis. Hæc ſterilis virginitate fœcunda eſt: *Matt.11.* hic Eunuchus regno cœlorum vim facit, & violenter diripit illud. Iſte cuſtos eſt ſabbathorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum. *Eunuchi euãgelici plus offerunt quã præceptũ eſt. 1.Cor.7.* Iſte elegit quæ Dominus voluit, vt plus offerat quam præceptum eſt: vt non indulgentiam Apoſtoli eius, ſed voluntatem conſideret. Iſte tenet fœdus Domini ſempiternum, vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad idipſum reuertatur: ſed accepturum eſſe ſe nouerit in domo Domini, quæ eſt Eccleſia eius, locum optimum. *Ioan.14.* Multæ enim manſiones ſunt apud patrẽ. Et qui Eunuchus fuerit ac fecerit vniuerſa quæ ſcripta ſunt, habebit in muris eius locũ optimum: vt. ſc. turris Domini efficiatur, & in ſacerdotali conſiſtat gradu, & pro carnis filijs, multos habeat filios ſpiritua-

ſpirituales. Talem fuiſſe Eunuchum quem Ieſus amauit plurimum, euangeliſtam Ioannem eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ, qui recubuit ſuper pectus Ieſu: qui Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum: qui in ſecreta diuinæ ſe natiuitatis immergens, auſus eſt dicere, quod cuncta ſæcula neſciebant: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Faceſſat igitur omnis cauillatio Iudæorum, & riſui præbere ſe ceſſet, aperiens ſemiuiris regna cœlorum: cum pudicitia non in debilitate ſit corporis, ſed in animi voluntate. *Ibid. mox.*

*Ioan. 18. & 21.*

*Ioan. 1.*

*Holocauſta offerunt eunuchi.*

SED hoc ſcire debemus, quod holocauſta eunuchi offerant, qui totos ſe conſecrant Deo. *Ibidem mox.*

HAEC dicit Dominus exercituum, &c.] Aiũt Hebræi hos eſſe presbyteros, qui fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſunt vxores ciuiũ ſuorum: quorũ vni loquitur Daniel: Inueterate dierum malorum, & alteri: Semen Chanaam, & non Iuda: ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ metuentes loquebantur vobiſcum: Sed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram. Quodque propheta nunc loquitur. Et loquuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis: illud ſignificari putant, quod miſeras mulierculas, quæ circunferuntur omni vento doctrinę, ſic deceperint, quod diceret eis, quia de tribu Iuda, Chriſtum de ſuo ſemine eſſe generandum, quæ illectæ cupidine præbebant corpora ſua, quaſi matres futuræ Chriſti. Sed illud quod in præſentiarum dicitur: quos frixit rex Babylonis in igne, videtur Danielis hiſtoriæ cõtraire. Ille enim aſſerit eos ad ſententiam Danielis à populo eſſe lapidatos: hoc verò ſcriptum eſt quod frixerit rex Babylonis in igne. Vnde & à pleriſque, ac pene omnibus Hebræis, ipſa quaſi fabula non recipitur, nec legitur in ſynagogis eorum. Qui enim inquiunt fieri poterat, vt captiui lapidandi principes & prophetas ſuos haberent poteſtatem? Et magis hoc eſſe verum affirmant, quod ſcribit Hieremias, conuictos quidem eſſe presbyteros à Daniele, ſed latam in eos ſententiam à rege Babylonis: qui in captiuos vt victor & Dominus habebat imperiũ. Quanti & de noſtro grege ſimiles Achab & Sedechiæ, prophetant in nomine Domini mendacium, & faciunt ſtultitiam in Iſrael: & mœchantur vxores ciuium ſuorum, qui in eadem Eccleſiæ ſunt vrbe generati? quos verus Nabuchodonoſor friget in igne peccati, dicente Oſee propheta: Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. Fœlix qui tollit iugum ab adoleſcentia ſua, & ſedet ſolus, quia amaritudine repletus eſt: poteſtq; dicere cum Dauid: Non ſedi in concilio malignantium: & cum iniqua gerentibus non introibo. *To. 4. lib. 5. Com. in cap. 29. Hieremiæ.*

*Daniel. 13.*

*Sub prætextu pietatis ad impudicitiam illectæ fœminæ.*

*Mœchi in Eccleſiaſtico ſtatu.*

*Oſee. 7.*

CANDIDIORES Nazarei eius niue, &c.] His duabus ſententijs oſtẽditur, quo modo omnis decor prioris populi, quẽ habebant in ornatu templi & cultu diuino, propter peccata eorũ emarcuerit, & deſtruentibus hoſtibus, ad nihilũ redactus ſit. Myſticè autem caſus animarum quorundam fidelium à propheta deploratur. Quid enim Nazaræorũ nomine niſi abſtinentium & continentium vita ſignatur: quæ niue & lacte nitidior dicitur? Nix enim ex aqua congelaſcit, quæ deſuper venit. Lac autem ex carne exprimitur, quæ de inferioribus nutritur. Quid enim per niuem, niſi candor vitæ cœleſtis? Quid per lac, niſi temporalis diſpenſationis adminiſtratio demonſtratur? Et quia plerunque continentes viri in Eccleſia tã mira opera faciunt: vt ab eis multi qui cœleſtem vitam tenuerunt, multi qui terrena benè diſpenſauerunt, ſuperari videantur, & candidiores niue & nitidiores lacte referuntur: qui enim quia per feruorem ſpiritus, antiquorum & fortium patrum nonnunquam vitam vincere videãtur, rectè adiungit: Rubicundiores ebore antiquo. Dũ enim ruboris nomẽ imprimitur, ſancti deſiderij flamma ſignatur. Ebur verò eſſe os magnorum animalium non ignoramus. Ebore vtiq; antiquo rubicundiores ſunt: quia ſæpè ante humanos oculos nonnullis prædicentibus patrib. ſtudij feruentioris exiſtunt. De quibus, vt totum ſimul oſtendatur, adiungitur: Sapphiro pulchriores. Aerei quippe coloris eſt Sapphirus. Et quia præcedẽtes multos, atque ad ſuperna tendentes, per cœleſtem conuerſationem videntur vincere, narrãtur Sapphiro pulchriores extitiſſe. *Tom. 4. li. 3. Cõ. in cap. 4. Lamentat. Hieremiæ.*

*Nazaræorũ nomine abſtinentium & cõtinentiũ vita ſignatur.*

CVMQVE ingredientur portas atrij, &cęt.] Si ingrediamur ad ſancta, & ſtemus in cõſpectu Domini, capita noſtra operire debemus: Quia nõ iuſtificabitur in cõſpectu Domini omnis viuẽs. Et ab infãtia cor hominis appoſitum eſt ad malitiã. Deniq; & fęminalibus intrinſecus vtimur: ne vlla in cõſpectu Dei pollutę conſcientiæ, & operis nuptialis appareat turpitudo. Quibus fœminalibus accingi vult Saluator Apoſtolos dicens: Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et Apoſtolus credẽtibus loquitur: State ergo accincti lumbos veſtros in veritate. Et imitatores Chriſti audiunt illud, quod de eo ſcriptum eſt: Erit iuſtitia accinctus lumbos, & veritate circundatus latere. Et hac ipſa zona, qui ſanctus eſt, & ad virtutũ culmen aſcenderit, nequaquam, violenter aſtringitur: ne inuitus bonum continentię obſeruare videatur, & in ſudore vultus ſui comedere panem, & præceptum Domini facere voluntate. *Tom. 4. lib. 13. Comment. in cap. 44. Ezechielis.*

*Pſal. 142. Gen. 8.*

*Luc. 12. Ephe. 7.*

*Eſaiæ. 11. Sec. 70.*

*Bonum continentiæ ſit voluntariũ.*

GRAVE eſt multitudini onus vltra vires ſuſcipere, dicẽte Salomone: Laqueus eſt viri, cito quod de ſuis ſanctificare: cũ enim votum fecerit, ſurrepit pœnitẽtia. Deniq; & Nazarei ſpõte ſe offerũt: & quicunq; aliquid vouerit, & non impleuerit, voti reus eſt. Vnde & de viduis dicitur: Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt habẽtes damnationẽ, quia primã fidem irritam fecerunt. Melius eſt enim nõ promittere, quam promittere, & non facere. Anna obtulit Samuelem, qui in æterna ſanctitate permãſit: & Manue obtulit Sãſon filium, ſed ſanctificationẽ capillorum eius Dalilæ libido turpauit. Deniq; Dominus receſſit ab eo, & cæcitate dãnatus eſt: niſi quod poſtea creſcentibus capillis, priſtinum robur accepit, & in typo Chriſti multo plures alienigenarum mortuus, quam viuus occidit. Vult autem Dominus ſacerdotes ſuos capillos ſanctificationis habere perpetuos, & operiri capita eorum, nõ aliquo extrinſecus velamento, ſed ſua naturaliq; cæſarie: non ad ornatum atq; luxuriã, ſed ad honeſtatẽ. Vnde & capillis capitis Apoſtolorũ numerati ſunt, dicente Saluatore: Veſtri autẽ capilli capitis numerati ſunt. Illius capitis, de quo in Eccleſiaſte

*Prou. 2. Sec. 70.*

*1. Tim. 5.*

*1. Reg. 1. Iud. 13.*

*Matt. 10.*

*Eccle. 2.*



ſcriptum eſt: Sapientis oculi in capite eius. Caput autem vt ita Chriſtus eſt: quod peccator conculcat & deſpicit, & vt ita loquar, radit nouacula, & aufert eius pulchritudinem. *Ibidem. Mox.*

*1. Cor. 11.*

TEMPVS amplexandi, &c.] Vel quod tempus fuerit amplexandi, quando vigebat illa ſententia: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Et tempus procul à complexu fieri, quando ſucceſsit: Tempus nunc in anguſto eſt: Supereſt vt & qui habent vxores, ſic ſint quaſi nõ habeant. *Tom. 5. Com. in cap. 3. Eccleſiaſt.*

*Geneſ. 1.*

*1. Cor. 7.*

*Tempus procul à complexibus in nouo teſtamento.*

LEGI in quadam controuerſia: imbecillitas corporis, animæ quoque vires ſecum trahit. E contrariò Paulus Apoſtolus. Quando infirmior, inquit, tum fortior ſum, & virtus in infirmitate perficitur. Spiritus enim contra carnem, & carò contra ſpiritum: hæc inuicem ſibi aduerſantur, ne quæ volumus illa faciamus. Vnde & in Euangelio dicitur: Spiritus promptus eſt caro autem infirma. Senectus multa ſecum & bona affert & mala. Bona, quia nos ab impudentiſsimis Dominis liberat voluptatibus: gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget ſapientiam, dat maturiora cõſilia, & frigeſcente corpore, dormit, cum perpetua virgine Sunamite: luxuriamque contemnens cum Berzellai, delegat eam filio adoleſcenti Camaham, & non vult tranſire Iordanem, atq; in alienos fines de ſuis finibus, id eſt, regionibus, exire. Quæ autem putantur ſenectutis mala, iſta ſunt: crebræ infirmitates, pituita moleſtiſsima: quam græcorum alij κορυζαν alij φλέγμα nuncupant caligantes oculi, aceſcentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingiuis dentes, & inter cibos cadentes. Ad hæc torminibus, & aculeis ſtomachi, podagræque, & chiragræ doloribus ſæpè torquetur: ita vt ne ſtilum quidem aut calamum tenere queat: vt ſuis pedibus non poſsit incedere: magnaque parte vitæ videatur eſſe truncata, & multis membris præmortua. Cum hæc ita ſe habeant: in malorum comparatione tolerabilius ſuſtinebo morbos, dummodo vna & grauiſsima Domina libidine caream. Patitur quidem & ſenectus nonnunquam incentiua vitiorum, nulluſque iuxta ſanctum martyrem Cyprianum, diu tutus eſt periculo proximus. Sed aliud eſt titillari, aliud obrui voluptatibus. Ibi cum Apoſtolo adoleſcentia loquitur, quæ nouit virentis corporis neceſsitates: Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio. Et miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Hic autem raro inter emortuos cineres ſcintilla ſublucens reuiuiſcere nititur, & tamen incendia non poteſt ſuſcitare. *Tom. 5. Prooemio lib. 2. Com. in Amos.*

*2. Cor. 12.*

*Galat. 5.*

*Matth. 26.*

*Senectus libidinis frangit impetus.*

*3. Reg. 1.*

*2. Reg. 19.*

*Senes Domina libidine carent.*

*Rom. 7.*

VERBVM Domini quod factum eſt ad Sophoniam, &c.] Legimus & in Hieremia Abdimelech Eunuchum Aethiopum placuiſſe Deo: Et in actis Apoſtolorum Aethiopem Eunuchum reginę Candacis tantum habuiſſe ſtudium ſcripturarũ & legis Dei, vt in vehiculo legeret, & ad adorandũ Dominum in templo eius veniret Hieruſalem. Vnde talis fides digno præmio coronatur, & mittitur ad eum Philippus Euangeliſta, ſtatimq; docetur, credit, baptizatur, & ſaluus eſt. Et non ſolum Eunuchus ſed cum additamento viri ponitur, Eunuchus vir Aethiops. Quia enim Eunuchus erat Chriſti, & ſe Eunuchizauerat propter regnum cœlorum, propterea viri vocabulum non amiſerat. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Sophoniæ.*

*Hier. 38. Acto 8.*

*Caſti ſunt Eunuchi Chriſti.*

HOC de interpretationis varietate, &c.] Nec mirum ſi hoc de hæreticis intelligamus, quod reputentur quaſi Sodoma & Gomorra, cum etiam ad Eccleſiaſticos, qui Dei non obſeruauere mandata, & egreſsi ſunt à præceptis eius, dicatur per Eſaiam: Audite verbum Domini principes Sodomorum, & attendite in legem Domini populus Gomorræ. Et ad presbyteros cupientes ſub figura Suſannæ, Eccleſię corrumpere caſtitatem, dicat Daniel, hoc eſt, iudicium Dei: Semen Chanaam, & non Iuda. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Sophoniæ.*

*Presbyteri Suſannæ Eccleſiæ caſtitatem corrumpunt.*

*Eſaiæ 1.*

*Daniel. 13.*

ET ſic erit ruina equi & muli, &c.] Dicamus iuxta cœptam tropologiam: quod iccirco omnia mala corruant, quæ prius contra Eccleſiam dimicauerunt, vt bona repentè conſurgant. Denique qui prius equus fuerat hinniens ad vxorem proximi ſui, & impatiens ad libidinem ferebatur, & iacebat in turpitudine voluptatum: cum ſequi cœperit caſtitatem, dicetur ad eum. Surge eamus hinc. Et: Surge, veni proxima mea: Et in Apoſtol: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Cumque ſurrexerint qui ante ceciderant equi, & mollia terga Domino præbuerint ad ſedendum, dicent ad Deum. Aſcendes ſuper equos tuos, & equitatio tua ſalus. Iuxta hunc ſenſum mulos accipiamus, qui ſteriles ſunt & non procreant filios, ſed voluptate laſciuiunt: De quibus Pſalmiſta commemorat: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Sicut ergo qui proni ſunt ad libidinem, equi appellantur: ſic mulos iuſtè vocabimus, qui virgines ſunt carne & non ſpiritu: qui Eunuchizantur non propter regna cœlorum, ſed propter hominum voluptatem. Cum igitur iſti muli, & iſti Eunuchi verſi fuerint in progeniem, & ſpirituales filios procrearint, audient per Eſaiam: Et ne dicat Eunuchus, quoniam ſum lignum aridum. Hæc enim dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non deficiet. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 14. Zachariæ.*

*Hier. 5.*

*Ioan. 14.*

*Cant. 2.*

*Epheſ. 5.*

*Habac. 3.*

*Pſal. 31.*

*Caſti mulis comparantur.*

SVNT enim Eunuchi qui de matris vtero ſic nati ſunt, &c.] Triplex genus eſt Eunuchorũ duorum carnalium, & tertij ſpiritualis. Alij ſunt qui de matris vtero ſic naſcuntur. Alij quos vel captiuitas facit, vel delitiæ matronales. Tertij ſunt qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, & qui cum poſsint eſſe viri, propter Chriſtum Eunuchi fiunt, iſtis promittitur præmium: ſuperioribus autem, quibus caſtimoniæ neceſsitas nõ voluntas eſt, nihil omninò debetur. Poſſumus & aliter dicere. Eunuchi ſunt ex matris vtero, qui frigidioris naturæ ſunt, nec libidines appetentes. Et alij, qui ab hominib. fiũt: quos aut Philoſophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas: vel perſuaſione hæretica ſimulant caſtitatem: vt mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum conſequitur regna cœlorum niſi qui ſe caſtrauerit propter Chriſtum. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 19. Matthæi.*

*Triplex genus Eunuchorum.*

FRATRES obſecro vos, nihil me læſiſtis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis Euangelizaui vobis iam pridem.] Per infirmitatem carnis non ſuæ, ſed audientium. Galatis Paulus annunciat: qui nõ poterant carnem ſubijcere verbo

Dei: ſed quaſi carnei, nihil intelligentiæ ſuſcepere ſpiritualis. Quod vt euidentius fiat, ponamus exemplum. Per infirmitatem carnis doce, qui dicit: Si ſe non continent, nubant. Et mulier, ſi mortuus fuerit vir eius, libera eſt: cui vult nubat, tantum in Domino. Nequaquam verò per infirmitatem carnis docet commemorans: Solutus es ab vxore: noli quærere vxorem, &, Tempus eſt, vt & qui habent vxores, ſic ſint quaſi non habentes. Alia quippe præcepta ad ſpirituales, alia dantur ad carneos. Et aliud eſt quod iuxta imperium, aliud quod iuxta indulgentiam præcipitur. *Tomo ſexto, libro ſecundo, Commentariorum, in capite quarto, ad Galatas.*

*1. Cor. 7.* — *Aliud iuxta imperium aliud iuxta indulgentiã præcipitur.*

FRVCTVS autem Spiritus, eſt charitas, &c.] Extrema continentia in fructibus Spiritus collocatur: quam non ſolum in caſtitate debemus accipere, ſed etiam in cibo & potu: In ira quoque & vexatione mentis, & detrahendi libidine. Inter modeſtiam autem & continentiam, hoc intereſt, quod modeſtia in viris perfectis eſt, conſummatęque virtutis, de quibus Saluator ait: Beati mites; quoniam ipſi poſsidebunt terram. Et de ſe ipſo: Diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis & manſuetus corde. Continentia verò in via quidem virtutis eſt, ſed necdum peruenit ad calcem, quia cupiditates adhuc in eius qui ſe continet cogitatione naſcuntur, & mentis polluunt principale, licet non ſuperent, nec ad opus pertrahant cogitantem. Non ſolum autem in deſiderijs & cupiditate continentia neceſſaria eſt, ſed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore ſcilicet, lætitia & timore, aduerſus huiuſmodi fructus ſpiritus, non eſt lex. Iuſto quippe lex non eſt poſita: Iniquis autem & non ſubiectis impijs & peccatoribus. Lex mihi dicit: Non adulterabis, non occides, non falſum teſtimonium dices: non fraudabis, non deſiderabis aliena non periurabis non furaberis: ſi hæc omnia fructu in me ſpiritus charitate, & regnante non facio, ſuperflua mihi ſunt præcepta legis. Deniq; & ſapientes mũdi de philoſophia ſic opinati ſunt vt quod leges publicæ facere homines neceſsitate compellunt, hoc illa perſuadeat fieri voluntate. *Tom. 6. libr. 3. Com. in cap. 5. ad Galatas.*

*Matth. 5. Marc. 11.* — *1 Tim. 1.* — *Exod. 20.* — *Abſque ſpiritu charitatis omnia præcepta legis philoſophiæ & Theologiæ ſunt ſuperflua.*

SVFFERENTES inuicem in charitate.] Poſſumus vtrumque teſtimonium, & aliter interpretari: vt vel alterutrum onera portare, vel ſufferre inuicem in charitate eos complere dicamus qui diuites ſunt, & inopiam pauperum ſubleuant Si quis ægrotanti fratri præbet obſequium ſuffert eum in charitate. Si quis in cœlibatu beatam tranſigens vitam, alium qui & vxorem habet & liberos, & ſemetipſum vix poteſt paſcere, adiuuarit, & vtcunque poteſt, fuerit conſolatus: alienum onus portaſſe laudabitur. Eſt qui matrem vel ſororem viduam cernens egeſtate tabeſcere, non poteſt adiuuare: huic ſi quis porrexerit manum, ſuſtinuit eum in charitate. Siue autem ſuperiorem ſenſum ſiue poſteriorem ſequamur: nec peccantem fratrem, nec inopem conſolatur, qui non habet charitatem, & contemnit verba Apoſtoli, commonentis. Debemus autem nos qui fortiores ſumus, infirmitates inbecillorum portare, & non nobiſmetipſis placere. *Tomo ſexto, libro ſecundo, Com. in cap. 4. ad Epheſios.*

*In cœlibatu beata vita tranſigitur.* — *Rom. 15.*

STATE ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate.] Quod iuxta membra carnis & corporis, omnia membra animæ in ſcripturis vocentur, nulli dubium eſt: de quibus vnum puto eſſe nunc membrum, lumbos: quos vt accingamus veritate præcipitur. Scriptum eſt quoque in Euangelio κατὰ λοῦκαν: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Quia igitur lumbi in generatione ſemper accipiuntur pro ſemine, ſecundum illud: de fructu lumbi tui ponam ſuper thronum tuum. Et alibi: adhuc in lumbis erat Leui patris ſui Abraham, quando obuiauit ei Melchiſedech: Videtur nobis accinxiſſe lumbos ſuos, qui nequaquam vxori debitum reddit, nec ſeruit libidini: ſed imitatur ingenitum Deum, generationis negotijs non miniſtrans. Hoc idem reor & illud ſignificare, quod Iohannes zonam pelliceam habebat circa lumbos ſuos, & non erat de immundis, qui propter fluxũ ſeminis extra caſtra proiecti, cum arca Domini habitare non poſſunt. Nec ex his de quibus in Numeris ſcribitur. Sint veſtimenta eius diſſuta: Qui autem Chriſto accinctus eſt veritate, hæc veſtimenta in altum colligit & ſurſum trahit, & nudorum laterum fœditatem, baltheo ſpirituali velat, ſtringit, includit, & paratus ad prælium eſt, & opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 6. ad Epheſios.*

*Lucæ 12.* — *Pſal. 131.* — *Heb. 7.* — *Matth. 3.* — *Leuit. 13.* — *Num. 8.*

GRATIA omnibus qui diligunt Dominum Ieſum Chriſtum in incorruptione.] Nonnulli hoc ita interpretati ſunt, vt eum putarent diligere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ab operis corruptionis alienus ſit: opera corruptionis in coitu ſentientes. Vnde & conſuetudo & ſermo vulgaris incorruptos, virgines vocat, eoſque qui coitum neſciant fœminarum: Corruptos verò qui iſtiuſmodi deguſtauerint voluptatem. Illud quoque teſtimonium coaptantes: Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. *Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 6. ad Epheſios, in fine.*

*Virgines appellantur in corruptæ.* — *1. Cor. 3.*

SENES ſobrios eſſe, honeſtos, pudicos, &c.] Si intellecta eſt à nobis ſanitas charitatis de ſcripturis aliquot ſumamus exemplum, eorũ qui in infirmitate ſunt charitatis. Ait Saluator de extremis temporibus: Quia cum multiplicata fuerit iniquitas refrigeſcet charitas multorum. Calida eſt quippe charitas in his qui feruent in ſpiritu: frigens autem & glacialis, & gelida, in his qui flatus aquilonis duriſsimos ſuſcepere. Ab aquilone enim exardeſcent mala, ſuper omnes inhabitantes terram. De hoc frigore charitatis & Ammon in ſorore ſua Thamar obriguerat. Timendum ergo ne fortè & nos hac infirmitate charitatis aliquando ſuperemur. Nonnunquam enim euenit, vt primum à nobis in virginem ſiue in quamlibet fœminam ſit ſancta dilectio, & cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim ſanitas charitatis languore palleſcat, & infirmari incipiat, & ad extremam mortem diligentem ferat. Vnde & Apoſtolus cautè & prudenter Timotheo præcipit vt exhortetur adoleſcentulas in omni caſtitate. Omnis autem caſtitas, in carne, Spiritu & anima eſt, ne ſcandalizetur oculus, ne in pulchritudine vultus fœmininæ hærentes pendeamus: ne blanda nos audire verba delectet: ne ad ſimulatos ſermones mens prius dura marceſcat. Caueant, ergo (vt diximus) tam iuuenes quam ſenes: tam adoleſcentulæ, quam vetulæ, & omni diligentia cuſtodiant cor ſuum: ne ſanitatem dilectionis morbus charitatis introeat, & per amorem ſanctum fiat

*Matth. 24.* — *Hier. 3.* — *2. Reg. 3.* — *Dilectio ſancta in virginem quomodo ad mortẽ diligentem ferat.* — *2. Tim. 3.*



fiat non ſancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam. Qui ſanus eſt in fide, qui ſanus in charitate, ſanus quoque ſit in patientia, & patientia quæ maximè in tentationibus comprobatur: quia nihil prodeſt habuiſſe quæ ſupra enumerauimus, niſi omnes diuitiæ & mercimonia, quibus onuſta nauis eſt, in tempeſtate ſeruentur, & perflantibus hinc inde ventis, abſque naufragio ea quæ benè parta ſunt, liberentur. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. *Tom. 6. libr. 1. Com. in cap. 2. ad Titum.*

*Matth. 10.*

SICVT vnguentum in capite, &c.] Quicunque verè ſacerdos eſt, debet habere δηλώσεις, hoc eſt, manifeſtationes, hoc eſt, vt quodcunque mente conceperit, proferat, & omnes doceat. Et hæc omnia fruſtra ſunt, ſi caſtitas aucta & ornata, nõ fuerit. Ideò zona eſt, & cingit lumbos; ſtringit & mortificat. Deinde dicitur, quod habeat fœmoralia, vt quodcunq; in nobis ignominioſum eſt & ſordidum, quaſi hoc cingulo mundetur, & mortificetur. *Tomo. 7. Com. in Pſal. 132.*

*Sine caſtitate omnes virtutes ſacerdotum ſunt ſuperfluæ.*

## *Articulus II. Qua de cauſa Epiſcopos & reliquos presbyteros, atq; Diaconos cœlibes eſſe debeant.*

PERSPICVVM eſt de Moyſe, quod periclitatus eſſet in diuerſorio, niſi Sephora, quæ interpretatur auis, filium circumcidiſſet, & præputium nuptiarum cultro Euangelico deſecaſſet. Iſte nempe Moyſes eſt, qui cum vidiſſet viſionem magnam, & angelum, ſiue Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, niſi ſoluiſſet corrigiam calciamenti ſui, & abieciſſet vincula nuptiarum. Nec mirum hoc de amico, & Propheta, & legifero Dei, cum omnis populus acceſſurus ad montem Sina, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus ſanctificari iuſſus ſit, & ſe ab vxoribus abſtinere. Quod quidem ſcimus (licet præpoſterè faciam hiſtoriæ ordinem confundere) etiam ad Dauid fugientem ab Achimelech ſacerdote dictum. Si mundi ſunt, pueri ab vxoribus? Et ille reſpondit: Ab heri & nudiuſtertius. Panes enim propoſitionis, quaſi corpus Chriſti de vxorum cubilibus conſurgentes edere non poterant. Et nobis in tranſitu eſt contemplandum, quod dixit: Si mundi ſunt pueri ab vxoribus, videlicet, quod ad munditias corporis Chriſti, omnis coitus immundus ſit. In lege quoque præcipitur, vt pontifex, niſi virginem non ducat vxorem, nec viduam accipiat. Si eadem virginis viduæque conditio eſt, quare altera recipitur, altera reprobatur? Et ſacerdotalis vidua in domo iubetur ſedere patris ſui, nec ſecundum noſſe matrimonium. Si ſoror virgo moritur ſacerdotis, quo modo ipſa ad patris exequias, ita pater ad eam iubetur accedere. Si verò nupta ſit quaſi aliena contemnitur. Qui vxorem duxerit, & qui plantauerit vineam, velut propagines filiorum prohibetur ad bella procedere. *Tom. 2. lib. 1. contra Iouinianum, cap. 11.*

*Exod. 4.* — *Exod. 3.* — *Exod. 19.* — *1. Reg. 21.* — *Caſtitas neceſſaria ob ſacrificium.* — *Leuit. 21. 22.* — *Deut. 24. 20*

DIES ſpeculationes tuæ, &c.] Tertium mandatum: Ab ea quæ tecum cubat, cuſtodi te, ne credas ei. Vnde & Apoſtolus, mulieres vas infirmum vocat, & eis à maritis ſuis exhiberi honorem iubet: Non enim creatus eſt vir propter mulierem: ſed mulier propter virum: Et vxor, inquit, vt timeat virum. Vxorum timere eſt, & cum timore virum diligere: Virum tantum diligere: quia dilectio perfectorum eſt: Viri ait, diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad eas: licet illæ ad iracundiam prouocent, & talia faciant, per quæ mereantur amaritudinem ſuſtinere: Hoc enim ſignificat πασόπτι κρἀίνεσθαι: tamen vos nolite eis in amaritudine vicem reddere. Sed & Salomon in Eccleſiaſte: Et hominem, inquit, vnum de mille inueni, & mulierem in his omnibus non inueni: forſitan ſuo doctus exemplo mulieribus non credendum, per quas offenderat Deum. Sed & Poëta ſublimis: non Homerus alter, vt Lucilius de Ennio ſuſpicatur: ſed primus Homerus apud Latinos: Varium, inquit, & mutabile ſemper fœmina. Plenæ ſunt hiſtoriæ Grecæ & Latinæ: quanti viri ab vxoribus ſuis decepti ſunt, eorumque vita ſit prodita. De ſcripturis autem, & Dalilæ, cuius ſupra fecimus mentionem, & alterius ante Dalilam teſtantur exempla: quæ arcanum Samſon ſeptem dierum expreſsit lachrymis, & amore ſimulato quod latebat inuenit: Vnde Samſon poſtea loquitur: Niſi domuiſſetis vitulam meam, non inueniſſetis propoſitionem meam. *Tom. 5. lib. 2. Comment. in cap. 7. Micheæ.*

*1. Theſ. 4.* — *Epheſ. 5.* — *1. Cor. 11.* — *Epheſ. 5.* — *Mulieribus non credendum quia viros decipiunt.* — *Eccleſ. 7.* — *Geneſ. 3.* — *Iudic. 3.*

SI quis eſt ſine crimine, vnius vxoris vir, &c.] Quod ait: vnius vxoris vir: ſic intelligere debemus, vt non omnem monogamum digamo putemus eſſe meliorem: ſed quò is poſsit ad monogamiam & continentiam cohortari, qui ſui exemplum præferat in docendo. Eſto quippe aliquem adoleſcentulum coniugem perdidiſſe, & carnis neceſsitate ſuperatum, accepiſſe vxorem ſecundam: quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps vixerit continenter: alium vero vſque ad ſenectam habuiſſe matrimonium & vxoris vſum, & vt plerique exiſtimant felicitatem, nunquam à carnis opere ceſſaſſe: quis vobis è duobus videtur eſſe melior, pudicitior, continentior? Vtique ille qui infelix etiam in ſecundo matrimonio fuit, & poſtea pudicè & ſanctè conuerſatus eſt: & non is qui ab vxoris amplexu nec ſenili eſt ſeparatus ætate. Non ſibi ergo applaudat, quicunque quaſi monogamus eligitur, quod omni digamo ſit melior: cum in eo magis electa felicitas quam voluntas. Quidam de hoc loco ita ſentiunt: Iudaicè (inquiunt) conſuetudinis fuit vel binas vxores habere, vel plures: quod etiam in veteri lege de Abraham & Iacob legimus: & hoc nunc volunt eſſe præceptum, ne is qui Epiſcopus eligendus eſt, vno tempore duas pariter habeat vxores. Multi ſuperſtitioſius magis quam verius, etiam eos qui cum gentiles fuerint, & vnam vxorem habuerint (qua amiſſa, poſt baptiſmum Chriſti alteram duxerint) putant in ſacerdotio non legendos: cum vtique ſi hoc obſeruandum, ſit illi magis ab Epiſcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, vnam regenerati vxorem acceperint, & multo deteſtabilius ſit fornicatum eſſe cum pluribus, quam digamum reperiri; quia in alio infelicitas matrimonij eſt, in alio ad peccandum prona laſciuia. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Titum.*

*Non ſemper monogamus digamo melior.* — *Diuerſa explicatio iſtorum verborum Epiſcopus ſit vnius vxoris vir.*

PRIMVM dicendum eſt, quod tam ſanctum nomen ſit ſacerdotij, vt nobis etiam ea quæ extra nos ſunt poſita reputentur: non quo propter vitia noſtra Epiſcopi non fiamus, ſed quod propter filiorũ incontinentiam ab hoc gradu arcendi ſimus. Qua enim libertate poſſumus alienos filios corripere, & docere quæ recta ſunt: cum nobis

*Ezech. 18.*

*Ob ſiliorum incontinentiã Epiſcopi quidam prohibentur ordinari.*

ſtatim poſsit qui fuerit correptus ingerere ante doce filios tuos. Aut quã fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conſcientia mea ipſa reſpondeat. Exhæreda autem fornicantem filium: abijce filios tuos vitijs ſeruientes. Cum autem nequam filius in vna tecum conuiuat domo, tu audes de alterius oculo feſtucam detrahere, in tuo trabem non videns? Non itaque iuſtus polluitur ex filiorum vitijs: ſed libertas ab Apoſtolo Eccleſiæ principe reſeruatur, vt talis fiat qui non timeat propter liberorum vitia extraneos reprehendere. Deinde etiam illud eſt inferendum, aduerſum eos qui de Epiſcopatu intumeſcunt, & putant ſe non diſpenſationem Chriſti, ſed imperium conſecutos, quia non ſtatim omnibus his meliores ſint, quicunque Epiſcopi non fuerunt ordinati, & ex eo quod electi ſunt, ipſi ſe magis exiſtiment comprobatos: ſed intelligant propterea quoſdam à ſacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierint. Si autem peccata filiorum iuſtum ab Epiſcopatu prohibent, quanto magis vnuſquiſque ſe conſiderans, & ſciens, quia potentes potenter tormenta patientur, retrahent ſe ab hoc non tam honore quam onere, & aliorum locum qui magis digni ſunt non ambiet occupare. *Ibidem.*

*Sap. 6.*

*Quanta pudicitia in Epiſcopo exigatur.*

SED hoſpitalem, & cæt.] Quomodo manſuetudo, patientia, ſobrietas, moderatio, abſtinentia lucri, hoſpitalitas quoque & benignitas, præcipuè eſſe debent in Epiſcopo, & inter cunctos laicos eminentia: ſic & caſtitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia ſacerdotalis, vt non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Chriſti corpus confectura ſit libera. *Tom. 6. lib. 1. Com. in cap. 1. ad Titum.*

### *Articulus III. Illud 1. Corinth. 9. Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & non eſſe de vxore intelligendum atque Apoſtolum Paulum continentiæ perfectioris fuiſſe cultorem.*

LAVDO nuptias, laudo coniugium: ſed quia mihi virgines generant, lego de ſpinis roſam de terra aurum, de concha margaritum. Nunquid qui arat, tota die arabit? nónne & laboris ſui fruge lætabitur? Plus honorantur nuptiæ, quando, quod de illis naſcitur, plus amatur. Quid inuides mater filiæ? Tua lacte nutrita eſt, tuis educata viſceribus, in tuo adoleuit ſinu, tu illam virginem ſedula pietate ſeruaſti. Indignaris, quod noluit militis eſſe vxor, ſed regis? Grande tibi beneficium præſtitit. Socrus Dei eſſe cœpiſti? De virginibus, inquit, Apoſtolus, præceptum non habeo, cur? quia & ipſe vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi ſunt, qui cum vxorem habuiſſe confingunt; cum de continentia diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum. Et infra: Dico autem innuptis, et viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Et alio loco: Nunquid non habemus poteſtatem circumducendi mulieres, ſicut & cæteri Apoſtoli? Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris eſt mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia ſi fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ: & duriſsimum erat contra naturam cogere, angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodam modo damnare, quod conditum eſt. *Tomo primo Epiſtola vigeſimaſecunda, ad Euſtochium, cap. 8.*

*1. Cor. 7.*

*Paulus virgo fuit.*

*1. Cor. 9.*

*Euangelium incipit à cruce Chriſti quia ſanguine eius dedicatur.*

VENIT ad Euangelium, & proponit nobis Zachariam & Elizabet, Petrum & ſocrum eius: & conſueta vecordia non intelligit iſtos quoque inter eos, qui legi ſeruierint, debuiſſe numerari. Neque enim Euangelium ante crucem Chriſti eſt, quod paſsione & ſanguine ipſius dedicatur. Iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apoſtoli, vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cum Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: reſpondit ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternam. Si autem nobis illud oppoſuerit, ad probandum quod omnes Apoſtoli vxores habuerint: Nunquid non habemus poteſtatem mulieres, vel vxores circumducendi (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque ſignificat) ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas, fratres Domini? iungat & illud, quod in græcis codicibus eſt: Nunquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo apparet, eum de alijs ſanctis dixiſſe mulieribus, qui iuxta morem Iudaicum, magiſtris de ſua ſubſtantia, miniſtrabant, ſicut legimus, ipſi quoque Domino factitatum, nam & ordo verborum hoc ſignificat: Nunquid non habemus poteſtatem, manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo & bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur: perſpicuum eſt, non vxores debere intelligi, ſed eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrant. Quod & in veteri lege de Sunamitide illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Elizæum recipere, & ponere ei menſam, & panem, & candelabrum, & cæt. Aut certè, ſi γυναῖκας vxores accipimus non mulieres, id quod additur, ſorores, tollit vxores: & oſtendit eas germanas in Spiritu fuiſſe, non coniuges. Quamquam, excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quod vxores habuerint: & cum de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificet. Et tamen ille qui nobis obiecit Zachariam, & Elizabeth, Petrum, & ſocrum eius; ſciat de Zacharia, & Elizabeth Iohannem fuiſſe generatum, id eſt, de nuptijs, virginem, de lege Euangelium; de matrimonio caſtitatem: vt à Propheta virgine virgo Dominus & annunciaretur, & baptizaretur. Poſſumus autem de Petro dicere, quod habuerit ſocrum eo tempore, quo credidit, & vxorem iam non habuerit: quamquã legatur in περιόδοις & vxor eius & filia. Sed nunc nobis de canone omne certamen eſt. Et quia ad Apoſtolos prouocauit, quod principes diſciplinæ noſtræ, & Chriſtiani dogmatis duces, virgines non fuerint: vt eos interim virgines concedamus non fuiſſe, (neque enim hoc, præter Petrum probari poteſt) nouerit hos eſſe Apoſtolos, de quibus Eſaias vaticinatur. Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma eſſemus, & ſimiles Gomorræ fuiſſemus. Qui ergo erant ex Iudæis, virginitatem, quam in Iudaiſmo amiſerant, in Euangelio habere non poterant. Et tamen Iohannes vnus ex diſcipulis, qui minimus traditur fuiſſe inter Apoſtolos, & quem fides Chriſti virginem repererat, virgo permanſit: & ideò plus amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu. Et quod Petrus qui vxorem habuerat, interrogare non audet illum rogat vt interroget. Et poſt reſurrectionem, nunciante Maria Magdalena, quod Dominus reſurrexiſſet, vterque cucurrit ad ſepulchrum, ſed ille præuenit. Cumque eſſent in naui, & piſcarentur in lacum Genezaret, Ieſus ſtabant in littore, nec ſciebant Apoſtoli quem viderent: ſolus virgo virginem agnoſcit, & dicit Petro Dominus eſt. Rurſum poſt auditam ſententiam, quod ab alio cingendus eſſet Petrus & ducendus quo nollet, & crucis fuiſſet illi paſsio Prophetata, & ille diceret: Domine, Quid iſte: nolens deſerere Iohannem, cum quo ſemper fuerat copulatus, dicit ei Dominus: Si eum ſic volo eſſe, quid ad te? Vnde & ſermo exiuit inter fratres, illum diſcipulum non moriturum. Ex quo oſtenditur virginitatem non mori, nec ſordes nuptiarum ablui cruore martyrij, ſed manere cum Chriſto, & dormitionem eius tranſitum eſſe, non mortem. Si autem obnixè contenderit, Iohannem virginem non fuiſſe: & nos amoris præcipui cauſam virginitatem diximus: exponat ille; ſi virgo non fuit, cur cæteris Apoſtolis plus amatus ſit? At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia: licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat; & cuncti claues regni cœlorum accipiant; & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur; vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Iohannes electus eſt virgo? Aetati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat: ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur: & magiſter bonus occaſionem iurgij debuerat auferre diſcipulis, & qui dixerat eis, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: Et, Qui voluerit inter vos maior eſſe, minimus omnium ſit: in adoleſcentem, quem dilexeras cauſam præbere videretur inuidiæ. Vt autem ſciamus, Iohannem tunc fuiſſe puerum: manifeſtiſsimè docent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ quod vſq; ad Traiani vixerit imperium, id eſt, poſt paſsionem Domini ſexageſimo octauo anno dormierit: quod & nos in libro de viris Illuſtribus breuiter perſtrinximus. Petrus Apoſtolus eſt, & Iohannes Apoſtolus: maritus, & virgo, ſed Petrus Apoſtolus tantum Iohannes & Apoſtolus & Euangeliſta, & Propheta: Apoſtolus quia ſcripſit ad Eccleſias vt Magiſter: Euangeliſta, quia librum Euangelij condidit; quod excepto Matthæo, alij duodecim Apoſtoli non fecerunt: Propheta, vidit enim in Pathmos inſula, in qua fuerat à Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypſim, infinita futurorum myſteria, continentem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ miſſus, in feruentis olei dolium, purior, & vegetior exiuerit, quam intrauerit. Sed & ipſum eius Euangelium multum diſtat à cæteris. Matthæus quaſi de homine incipit ſcribere; Liber generationis IESV CHRISTI, filij Dauid, filij Abraham: Lucas à ſacerdotio Zachariæ, Marcus à prophetia Malachiæ Prophetæ & Eſaiæ. Primus habet faciem hominis propter genealogiam: ſecundus faciem vituli, propter ſacerdotium: tertius faciem Leonis, propter vocẽ clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Iohannes vero noſter, quaſi aquila, ad ſuperna volat, & ad ipſum patrem peruenit, dicens: In principio erat verbum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, &c. Expoſuit virginitas, quod nuptiæ ſcire non poterant, & vt breui ſermone multa comprehendam, doceamque cuius priuilegij ſit Iohannes, immo in Iohanne virginitas: à Domino virgine mater virgo virgini diſcipulo commendatur. *Tom. 2. libr. 1. contra Iouinianum, cap. 14.*

*1. Cor. 9.*

*Solutio obiectionis loci Paulini ex græco textu.*

*Matth. 27.*

*Mulieres piæ & religioſæ ſanctis miniſtrarunt.*

*4. Reg. 4.*

*De ſolo Petro conſtat quod vxorem habuerit, non de alijs Apoſtolis.*

*Lucæ 1.*

*Lucæ 4.*

*Apoſtoli aſſumpti in Apoſtolatum relinquerũt officium coniugale.*

*Matth. 19.*



*Eſaiæ 1.*

*Virgo Ioannes.*

*Ioan. 13. 21.*

*Ioan. 20. 21.*

*Virginitas non moritur.*

*Matth. 16. & 18.*

*Cur Petrus dux & caput Apoſtolorum conſtitutus.*

*Ioan. 14.*

*Luc. 9.*

*Cur Petrus & non Ioannes caput Eccleſiæ conſtituatur à Domino.*

*Apocal. 1.*

*Præſtantia Euangelij Ioannis præ reliquis*

*Matth 1.*

*Lucæ 1.*

*Marc. 1.*

*Ioan 1.*

*Ioan. 19.*

## SCHOLIA.

PAVLVM *cœlibem vitam egiſſe ſatis ſuperiora teſtimonia conuincunt. Porrò quantum præſentem Pauli locum attingit in multis impreſsis antea codicibus in Germania, pro (mulieres) legebatur vxores: quæ lectio falſa erat. Quanquam enim γυνὴ vox ſit communis tam mulierem quam vxorem ſignificans, indubitatum tamen eſt Apoſtolum eo loco intelligere, de mulieribus, quæ Apoſtolos ſequentes, eis de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Hanc veram lectionem verba Hieronymi proximè adducta confirmant: hæretici, qui fauent nimium coniugio ſacerdotum, vxores, contra fidem plurium exemplarium hic reliquerunt. Præterea Paulus dixit ἀορίστως, id eſt, infinite γυναῖκα ſine articulo, vt non de certa vxore, ſed de quauis muliere caperetur. Ita Tertullianus in ſcripturis ſanctis exercitatiſsimus & græcæ linguæ peritiſsimus in libro de Monogamia intellexit. Petrum, inquit, ſolum inuenio maritatum per ſocrum, & paulo poſt interpretans hunc locum. Non vxores, inquit, demonſtrat ab Apoſtolis ductas, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes, miniſtrabant. Eodem modo intellexerunt Ambroſius græcè quoque peritiſsimus, & alij latini patres: idem quoque Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus ac plerique alij græci, ne omnes commemorem, eodem modo acceperunt. Verum ponamus adiecto articulo dixiſſe Apoſtolum τὴν γυναῖκα & vxorem ſignificaſſe: an, quod ſororem addidit non ſatis apertè declarabat, non iam illam vt vxorem circumduci, ſed vt ſororem? vt quamuis haberet vxorem, eſſet alioqui tanquam non habens, vt ipſe in Epiſtola priore ad Corinthios dixit. Valdè miror Magdeburgenſes non obſeruaſſe etiam quod idem Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes cap. 4. ſcripſit, inquiens: Rogo etiam & te germane compar, quod quidam veteres de vxore Pauli dictum acceperunt, quos Theodoretus in Commentarijs ſuis refellit. Ita enim loquitur. Imprudenter quidam hoc loco ſuſpicati ſunt Paulum de vxore ſua dicere, immemores Epiſtolæ ad Corinthios, cum illud de non nuptis & viduis ſcribit. Bonum eſt, ſi ſic maneant, vt & ego: Nunquam autem Paulum habuiſſe vxorem verius eſt, adoleſcens enim vocatus eſt. Hactenus Theodoretus. Siue igitur Paulus nunquam vxorem habuit, quod Theodoretus veriſimilius eſſe iudicat, & Hieronymus ſuperius in Epiſtola ad Euſtochium de virginitate, non audiendos eſſe ait, qui contradicunt, ſiue viduus fuit, vt Tertullianus, Methodius, Chryſoſtomus ſenſerunt, ſiue hoc, ſiue illud ſit, ſanè quod idem Apoſtolus ait. Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic maneant;*

*neant, ſic ego; apertè conuincit non poſſe de vxore intelligi. Neque quemquam moueat, quod Ignatius in Epiſtola ad Philadelphenſes Paulum vxoratum faciat. Nam vt refert Ambroſius Camaldulenſis, id in antiquiſsimis exemplaribus græcis non inuenitur, cuiuſmodi erat exemplar Matthiæ Vngarorum regis, vt ipſe Ambroſius, qui librum legit atteſtatur. Ignatius quoque in vetere interpretatione latina manuſcripta Epiſtolæ ad Philadelphenſes, quæ in Vaticano eſt, vxoris mentionem nullam facit, vt annotauit doctiſsimus Franciſcus Turrianus libro primo pro Canonibus Apoſtolorum cap. 2. Vide plura apud Tertullianum in libro de exhortatione caſtitatis, cap. 8. & ibidem doctiſsima commentaria Iacobi Pamelij, & rurſus apud Tertullianum, quem imitatus eſt beatus Hieronymus, in libro de Monogamia, cap. 8. & cap. 3.*

*Antiqua Iudaica conſuetudo.*

ERANT ibi mulieres multæ à longe, & cæt.] Conſuetudinis Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo) vt mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abieciſſe ſe memorat. Dicit enim ipſe: Nunquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli faciunt? Miniſtrabant autem Domino de ſubſtantia ſua, vt meteret earum carnalia, cuius ille metebant ſpiritualia. Non indigeret cibis Dominus creaturarum, ſed vt typum oſtenderet magiſtrorum: quod victu atque veſtitu ex diſcipulis deberent eſſe contenti. Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, à quo ſeptem dæmonia eiecerat, & Mariam Iacobi, & Ioſeph matrem, materteram ſuam, ſororem Mariæ matris Domini: & matrem filiorum Zebedæi, quæ paulò antè regnum liberis poſtulauerat, & alias, quas in cæteris Euangelijs legimus. *Tomo ſexto, libro quarto, Commentariorum, in cap. 27. Matthæi.*

*1. Cor. 9. — Lucæ 8. — Sap. 20. Marc. 15. Ioan. 19.*

### *Articulus IV. Impudicitiam fuiſſe conſectatos hæreticos.*

PRISCILLIANVS in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine, cuius te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temerè vindicantes, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis, & illud eis inter coitum amplexuſque decantant: Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther coniugis in gremium lætæ deſcendit: & omnes Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus. *Tom. 2. aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem, cap. 2.*

*Impudicitia Priſcillianiſtarum.*

CVM hæc ita ſe habeant, quid volunt miſeræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, & cæteri muliercularum ſocij, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur, quid vetuſtiſsimum cœnum quaſi nouam ſuſcipiunt temperaturam? qui iuxta Ezechielem, liniunt parietem abſque temperamento, & ſuperueniente veritatis pluuia, diſsipantur? Simon Magus hæreſim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet, Appelles Philumenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius, vt orbem deciperet, ſororem principis ante decepit, Donatus per Africam, vt infœlices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Luciliæ opibus adiutus eſt. In Hiſpaniæ Agape Elpidium mulier virum, cæcum cæca dixit in foueam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit, Zoroaſtris magi ſtudioſiſsimum, & ex mago Epiſcopum; cui iuncta Galla non gente, ſed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem. Nunc quoque myſterium iniquitatis operatur. Duplex ſexus, vtrumq; ſupplantat, vt illud Propheticum cogamur aſſumere: Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias ſuas, non cum iudicio. In dimidio dierum derelinquet eas, & nouiſsimum eius erit inſipiens. *Ibidem Mox.*

*2. Tim. 3. — Ezech. 13. — Nouem exẽplis probat hæreticos impudicarum mulierum cõmercijs vſos — Tertullianus hac de re videndus in libro de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap. 6. & 30. & in eum locum conſulenda eruditiſsima Commentaria Iacobi Pamelij. — 2 Tim. 2. — Hier. 17.*

IDEO creuit veſtra hæreſis, & decepiſtis plurimos, maximeque eos, qui adhærent mulieribus & ſciunt ſe peccare non poſſe: quia ſemper docetis, ſemper negatis, & audire meremini illud propheticũ: Gloriam in partubus & parturitionibus da illis Domine. Quid dabis illis? Vuluam ſterilem, & vbera arentia. *Ibidem, cap. 4.*

*Qui adhærẽt mulieribus maximè decepti per hæreticos. — Oſee. 9.*

ALII clauſis cellulis fœminas non videntes, quia miſeri ſunt, & verba mea non audiunt, torquentur deſiderijs: ego, etiam ſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam. *Tomo. 2. libr. Dialogorum aduerſus Pelagianos, cap. 9.*

*Perfectio B. Hieronymi.*

VAE eis, &c.] Raro hæreticus diligit caſtitatem, & quicunque amare pudicitiam ſe ſimulant, vt Manichæus, & Marcion, & Arius, & Tatianus, & inſtauratores veteris hæreſeos, venenato ore mella promittunt. Cæterum iuxta Apoſtolum: quæ ſecretè agunt, turpe eſt & dicere. *Tom. 5. libr. 2. Com. in cap. 7. Oſee.*

*Nullus hæreticus caſtus. — Epheſ. 5.*

SICVT vuam in deſerto, &c.] Quidquid loquitur hæreticus mortiferum eſt, & à viuente Dei ſermone ſeiunctum: Siue intrauerunt ad libidinem: difficilè eſt enim hæreticum reperire, qui diligat caſtitatem: non quod eam præferre deſiſtat in labijs; ſed quod non ſeruet in conſcientia: aliud loquens, & aliud faciens: vnde & abalienati ſunt à Deo, & habent gloriam in confuſionem ſuam, & facti ſunt abominabiles, qui prius diligebantur in patribus. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 9. Oſee.*

*Difficillimè reperitur hæreticus caſtus.*

PERCVSSI vos, &c.] Percutit ſpiritualiter hæreticos Dominus exuſtione ea, de qua Paulus Apoſtolus: Melius eſt, inquit, nubere quam vri. Et princeps Apoſtolorum: Chariſsimi nolite peregrinari in ardore, qui ad tentationem vobis accidit: & aurugine quæ felle diffuſo roborem ſanguinis in pallorem, commutat, & nihil in corpore ſani eſſe permittit: in tantum vt etiam mella dulciſsima amara videantur. *To. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. Amos. Vide plura in titulo de moribus hæreticorum.*

*1. Cor. 7. — 1. Pet. 4.*

*Caput*



## *Caput VIII. De Monachorum inſtituto.*

### *Articulus I. De nomine & origine Monachorum, eorumq; antiquitate & Encomio.*

LAETANTIVM more nautarũ, epilogi celeuma cantandum eſt. O deſertum Chriſti floribus vernans: O ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni regis extruitur. O eremus familiariùs Deo gaudens. Quid agis frater in ſæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorũ vmbræ premunt? quamdiu fumoſarum vrbium carcer includit? Crede mihi, neſcio, quid plus lucis aſpicio. Libet ſarcina corporis abiecta, ad purum ætheris euolare fulgorem. Paupertatem times? ſed beatos Chriſtus pauperes appellat. Labore terreris? at, nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa ieiunijs membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu paradyſum mente deambula. Quotienſcumq; illuc cogitatione conſcenderis toties in eremo nõ eris. Scabra ſine balneis attrahitur cutis: ſed qui Chriſto ſemel lotus eſt, non illi neceſſum eſt, iterum lauare. Et vt breuiter ad cuncta audias Apoſtolum reſpondentem: Non ſunt, inquit, condignę paſsiones huius ſæculi ad ſuperuenturã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es frater, ſi hic vis gaudere cum ſęculo, & poſtea regnare cũ Chriſto. Veniet, veniet illa dies, qua corruptiuum hoc, & mortale incorruptionem induat, & immortalitatem. Beatus ſeruus, quem Dominus inuenerit vigilantem: Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturo Domino, lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſsimi quondam reges, nudo latere palpitabunt: exhibebitur cum prole ſua, verè tunc ignitus Iupiter: adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis: Ariſtotelis argumenta non proderunt. Tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt. hic eſt ille operarij & quæſtuarię filius, hic qui matris geſtatus ſinu, hominem Deus fugit in Aegytũ: hic veſtitus coccino, hic ſentibus coronatus, hic Magus dęmonium habens, & Samarites. *Tom. 1. Epiſt. 1. ad Heliodorem, cap. 9.*

*Encomium ſolitudinis monaſticæ — Matth. 5. — Rom. 8. — Lucæ 12.*

ANIMADVERTE frater, non tibi licet de tuis quicquam habere rebus. Omnis, inquit Dominus, qui non renunciauerit, cunctis, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cur timido animo Chriſtianus es? Reſpice Petro relictum rete: reſpice ſurgentem de Theloneo publicanum ſtatim Apoſtolum. Filius hominis non habet vbi caput reclinet, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum ſpatia metiris? Hæreditatem expectans ſęculi, cohæres Chriſti eſſe non poteris. Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt, nomen tuum: Quid facis in turba, qui ſolus es? Et hoc ego, non integris rate vel mercibus, nec quaſi ignarus fluctuum prę moneo: ſed quaſi nuper naufragio eiectus in littus doctus nauta timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu Charibdis luxurię ſalutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitię perpetranda naufragia, Scylla ceu renidens, libido blanditur. Hic Barbarum littus, hic diabolus pirata, cum ſocijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri. *Ibidem ad Heliodorum cap. 5.*

*Lucæ 14. — Matth. 4. — Lucæ 9. — Abrenunciatio proprietatis in Monachis — Etymologia Monachi.*

IOANNES Baptiſta ſanctam matrem habuit, pontificiſque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret caſtitatis. Viuebat in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabatur aſpicere, veſtis aſpera, zona pellicia, cibus locuſtæ, melque ſylueſtre, omnia virtuti & continentię præparata. Filij prophetarum, quos monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas, propter fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant. *To. 1. Epiſt. 4. ad Ruſticum, cap. 2.*

*Matth. 3. Marc. 1. — Filij prophetarum monachi veteris teſtamenti. — 4. Reg. 6.*

QVID deſideramus vrbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur? Moyſes vt præeſſet populo Iudęorum, quadraginta annis eruditur in eremo paſtor ouium, hominum factus eſt paſtor. Apoſtoli de piſcatione lacus Genezareth ad piſcationem hominum tranſierunt. Qui tunc habentes patrem, rete, nauiculam, ſecuti Dominum, protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem ſuam, & ne virgam quidem in manu habentes. Hæc dico, vt, etiam ſi clericatus te titillat deſiderium, diſcas, quod poſsis docere, & rationabilẽ hoſtiam offeras Chriſto, ne miles ante, quàm tyro, ne prius magiſter ſis, quàm diſcipulus. Nõ eſt humilitatis meę, neq; menſurę, iudicare de clericis, & de miniſtris Eccleſiarum ſiniſtrum quippiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum ſuum: quẽ ſi tenueris quomodo tibi in eo viuendum ſit, editus ad Neopotianum liber docere te poterit. Nunc monachi incunabula, moreſq; diſcutimus, & eius monachi, qui liberalibus ſtudijs eruditus in adoleſcentia, iugum Chriſti collo ſuo impoſuit. Primumq; tractandum eſt, vtrum ſolus, an cum alijs in monaſterio viuere debeas. *Ibidem cap. 3.*

*Exod. 2. 3. — Lucæ 5. Matth. 4. Matth. 16. — Monachi et clerici diſcrimen.*

APVM fabricare aluearia, ad quas te mittunt Solomonis Prouerbia, & monaſteriorum ordinẽ, ac regiam diſciplinam, in paruis diſce corporib. Texantur & lina capiendis piſcibus, ſcribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur. In deſiderijs eſt omnis otioſus. Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſque operis labore ſuſpiciant, non tam propter victus neceſsitatem, quã propter animæ ſalutem. Ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens, & inſtar fornicantis Hieruſalẽ, omni tranſeunti præuaricet pedes ſuos. *Ibidem cap. 5.*

*Eccleſ. 11. — Monaſteria comparantur apium aluearibus. — Ezech. 16.*

SAMVEL nutritur in templo: Ioannes in ſolitudine præparatur. Ille ſacro crine venerabilis eſt, vinum & ſiceram non bibit: adhuc paruulus cum Domino ſermocinatur. Hic fugit vrbes, zona pellicea cingitur, locuſtis alitur ac melle ſylueſtri, & in typum pœnitentiæ prędicandę, tortuoſiſsimi animalis veſtitur exuuiis. Sic erudienda eſt anima, quę futura eſt templum Dei. *Tom. 1. Epiſt. 7. ad Lætam cap. 3.*

*Ioan. Baptiſta monach⁹ noui teſtamenti.*

SOLET inter pleroſque eſſe certamen, vtrum ſolitaria, an cum multis vita melior ſit, quarum prior prefertur quidem ſecundę: ſed ſi in viris periculoſa eſt, ne abſtracti ab hominum frequentia, ſordidis & impijs cogitationibus pateant, & pleni arrogantię & ſupercilij, cunctos deſpiciant, armentque linguas ſuas, vel clericis, vel alijs monachis

*Quæſtio an ſolitaria vita melior, an vita communis.*

nachis detrahendo, de quibus rectiſsimè dicitur: Filij hominum, dentes eorum, arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus, quantò magis in fœminis, quarum mutabilis eſt, fluctuanſq; ſententia, ſi ſuo arbitrio relinquatur, citò ad deterio

*Pſal. 56.*

hanc primi captiuitatem ſuſtinuiſſe dicuntur, ꝙ poſt ſolitudinis libertatem, vrbi, quaſi carcere ſunt recluſi. *Ibidem cap. 3.*

NVLLA eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propoſitum Monachorum, nec



lentium fit, vt nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare, dicentis laus in fletu eſt audientiū. Tacitæ voluuntur per ora lachrymę, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura: videtis cunctos, mo

*Concio[n]es et admonitiones.*

Deus à ſuis auertat, delicias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuiſſet, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò cū propitio Chriſto, ante quatuor fermè menſes, ſecundo quodammodo propoſiti ſe baptiſmo lauarit, & ipſa deinceps vixerit, vt calcato mundo,

*Monaſtica vita ſecundus quaſi baptiſmus eſt*

pitium non inuenerant. *Tom.1.epiſt.27.ad Euſtoch. cap.7.*

LIBRVM, quo Heliodorum quondam iuuenis ad eremum cohortatus ſum, tenebat memoriter, & Romana cernens mœnia incluſam ſe eſſe plangebat, oblita ſexus, fragilitatis immemor, ac ſolitudinis tantũ cupida, ibi erat, vbi animo morabatur, non poterat teneri conſilijs amicorum: ita, ex vrbe, quaſi de vinculis, geſtiebat erumpere. *Tom.1.Epiſt.30.cap.4.*

*Iob 2.*

NEC eſt, quod excuſes nobilitatem, & diuitiarum pondera, reſpice ſanctum virum Pammachium, & feruentiſsimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non ſolùm diuitias, ſed ſeipſos Domino obtulerunt: qui contra diaboli tergiuerſationem, nequaquam pellem pro pelle, ſed carnes oſſa & animas ſuas Domino conſecrarunt, qui te & exemplo & eloquio, id eſt, & opere & lingua, poſſunt ad maiora perducere. Nobilis es, & illi, ſed in Chriſto nobiliores. Diues & honoratus, & illi, imò ex diuitibus & honoratis, pauperes & inglorij, & idcircò ditiores, & magis incliti, quia pro Chriſto pauperes, & inhonorati. Et tu quidem benè facis, quod ſanctorum diceris vſib. miniſtrare, fouere monachos, eccleſijs offerre quã plurima. *Tom.1.Epiſt.34.cap.3.*

*Deut. 20.*

EXTRVIS monaſteria & multus à te per inſulas Dalmatiæ ſanctorum numerus ſuſtentatur, ſed melius faceres, ſi & ipſe ſanctus inter ſanctos viueres. Sancti eſtote, quoniã ego ſanctus ſum dicit Dominus. *Ibidem.*

*Vehemens deſiderium B. Hieronymi inhabitãdi ſolitudinẽ*

QVAM vellem nũc noſtro intereſſe conuentui, & admirandum conſortium, licet iſti oculi non mereantur aſpicere, tota cum exultatione complecti, ſpectarem deſertum omni amœnius ciuitate: viderẽ deſolata ab oculis loca, quaſi ad quoddam paradyſi inſtar ſanctorum cœtibus obſideri, verùm quia hoc mea faciũt delicta, ne cõſortio beatorum inſeratur, obſeſſum omni crimine caput, iccircò obſecro (quia vos impetrare poſſe, non ambigo) vt me ex iſtius tenebris ſęculi veſtro liberetis ornatu. Et ante dixeram præſens & nunc per literas votum indicare nõ ceſſo, quod mens mea omni ad id ſtudium cupiditate rapiatur. Nunc veſtrum eſt, vt voluntatem ſequatur affectus: meum eſt, vt velim: obſecrationum veſtrarũ eſt, vt quod velim, & poſsim. Ego ita ſum, quaſi à cuncto grege morbida aberrãs ouis, quod niſi me bonus paſtor ad ſua ſtabula humeris impoſitum reportaret: lababunt greſſus, & in ipſo conamine veſtigia concident aſſurgentis, ego ſum ille prodigus filius, qui omni, quam mihi pater crediderat, portione profuſa, necdum me ad genitoris genua ſubmiſi, necdum cœpi prioris à me luxuriæ blandimenta depellere, & quia paululũ non tam deſiui à vitijs, quàm cœpi velle deſinere: nunc me nouis diabolus ligat retibus, nunc noua impedimenta proponens, maria vndiq; circũdat, & vndiq; pontum: nunc in medio conſtitutus elemento, nec regredi valeo, nec progredi poſſum, ſupereſt, vt oratu veſtro ſancti ſpiritus aura me prouehat, & ad portum optatum optati littoris proſequatur. *Tom.1.epiſt.38.ad Theodoſium.*

*Luca 15.*

*Monachorũ cæleſtis in terris familia.*
*Actor 8.*
*Dan. 14.*

AVDIO te Aegypti ſecreta penetrare, monachorum inuiſere choros, & cæleſtem in terris circumire familiam. O ſi mihi nunc Dominus Ieſus Chriſtus, vel Philippi ad Eunuchum, vel Abacuc ad Danielem tranſlationem repentè concederet: quam ego nunc tua arctis ſtringerem colla cõplexibus: quam illud os, quod mecum, vel errauit aliquãdo, vel ſapuit, impreſsis figerem labijs. Verùm, quia non tam te ſic ad me venire, quam ad te ſic ire non mereor, & inualidum, etiam cùm ſanum eſt, corpuſculũ crebri fregere morbi: has mei vicarias & tibi obuias mitto, quæ te, copula amoris innexum, ad me vſque perducant. Prima inopinati gaudij ab Heliodoro fratre mihi eſt nũciata felicitas. Non credebam certum, ꝙ certum eſſe cupiebam, præſertim cùm & ille ab alio ſe audiſſe diceret, & rei nouitas fidem ſermonis auferret, rurſum ſuſpenſam voto mutante mentem, quidã Alexandrinus monachus, qui ad Aegyptios confeſſores, & voluntate iam martyres, pio plebis iamdudum fuerat tranſmiſſus obſequio, manifeſtus ad credulitatem nuncij auctor impulerat. *Tom.1.Epiſt.41.ad Ruffinum.*

*Origo primà monaſticæ vitæ.*

INTER multos ſæpè dubitatum eſt, à quo potiſsimum monachorum eremus habitare cœpta ſit: quidam enim altius repetentes, à B. Helia & Ioanne ſumpſere principium; quorum & Helias plus nobis videtur fuiſſe, quam monachus, & Ioannes ante prophetare cœpiſſe, quam natus eſt. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne cõſentit, aſſerunt Antonium huius propoſiti fuiſſe caput, quod ex parte verum eſt. Non enim tam ipſe ante omnes fuit, quã ab eo omnium incitata ſunt ſtudia. Amathas verò, & Macarius, diſcipuli Antonij, quorum ſuperior magiſtri corpus ſepeliuit: etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum, principem iſtius rei fuiſſe: quod non tam nomine, quàm opinione nos quoq; comprobamus. Nonnulli & hæc & alia, prout voluntas tulit, iactitant, ſubterraneo ſpecu crinitum calcaneo tenus hominem fuiſſe, & multa, quæ perſequi otioſum eſt, incredibilia fingentes, quorum quia impudens mendacium fuit, nec refellenda quidem ſententia videtur. *Tom.1.in vita Pauli eremitæ.p.*

*In Aegypto Antonius, et in Palæſtinã primus monachus Hilarion.*

QVOD poſtquam auditum eſt, & longè lateque percrebuit certatim ad eum de Syria, & Aegypto confluebant, ita vt multi crederent in Chriſtum, & ſe monachos profiterentur, necdũ enim tunc monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquã monachos ante ſanctum Hilarionem in Syria nouerat, ille fundator & eruditor huius conuerſationis, & ſtudij in hac prouincia fuit. Habebat Dominus Ieſus in Aegypto ſenem Antonium, habebat in Palæſtina Hilarionem iuniorem. *Tom.1.in vita Hilarionis, fol.110.fac.2.*

PERVENI tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immam & Eſſam magis ad Auſtrum ſita ſit, ibi repertis monachis, eorum me magiſterio tradidi, manuum labore victum quæritans, laſciuiamque carnis refrenans ieiunijs. *Tom.1.in vita Malchi fol.116.fa.2.*

*Prouerb.6.*

*Monachorũ & formicarum ſimilitudo.*

PVLCHRVM mihi ſpectaculum dies illa tribuit. Vnde recordatus Salomonis ad formicarum ſolertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo ſuſcitantis, cœpi tędere captiuitatis, & monaſterij cellulas quærere, ac formicarum illarum ſimilitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium, cumque nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt. *Ibidem fol.117.fac.2.*

ASSVMPTO itaque Euangelio, quod ipſe cõfecerat, perrexit Aegyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam, tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Deni-



*Philo monachorum inſtituta deſcripſit, qui in Aegypto Marcum ſequebantur. Actor.2.*

que Philo, diſertiſsimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ, librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit. Et quomodo Lucas narrat Hieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia: ſic & ille, quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. *Tom.1.in Catalogo ſcriptor. Eccleſiaſt. in Marco.*

IGITVR cùm per has portas ſenſuum, quaſi quidam perturbationum cunei ad arcem noſtræ mentis intrauerint, vbi erit libertas, vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio, maximè cùm tactꝰ depingat ſibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodam modo exercere, quod non agit: His igitur rationibus inuitati multi philoſophorum reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, & arborũ comę, & ſuſurrus auium, fontis ſpeculum, riuus immurmurãs, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum animę fortitudo molleſceret, & eius pudicitia conſtupraretur. Inutile quippè eſt, crebro videre, per quæ aliquando captus ſis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas, nam & Pythagorei huiuſcemodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueuerãt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus verſabantur, vt admoniti anguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud, quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipſe Plato, cùm eſſet diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus cõculcaret, vt poſſet vacare philoſophię, elegit Academicã villam, ab vrbe procul, non ſolũ deſertam, ſed & peſtilentem, vt cura & aſsiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum, quas diſcerent. Quoſdam legimus: effodiſſe ſibi oculos, ne per eorum viſum à contemplatione philoſophiæ auocarentur. Vnde & Crates ille Thebanus, proiecto in mari non paruo auri pondere, Abite, inquit, peſſum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. *Tom.2.lib.2.contra Iouinianum, cap.7.*

*Quinam philoſophi frequentias vrbium relinquentes in ſolitudine ſunt philoſophati.*

*Obiectio contra ſolitariã vitam excluditur.*

NEC à ſuo ſtudio Monachi deterrendi ſunt à te lingua viperea & morſu ſæuiſsimo, de quibus argumentaris & dicis: Si omnes ſe clauſerint & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? quis ſæculares homines lucrifaciet? quis peccãtes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, ſi omnes tecũ fatui ſint, ſapiens quis eſſe poterit? & virginitas non erit approbanda. Si enim omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus infantes, in cunis non vagient, obſtetrices abſque mercedibus mendicabunt, & grauiſsimo frigore, ſolus atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo. Rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur, atqui vtinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt, de quibus dicitur: Multi vocati, pauci autem electi, vacui eſſent carceres. Monachus autem non doctoris, ſed plangentis habet officium: qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum: qui ſciens imbecillitatem ſuam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur, vnde & mulierum, maximeque adoleſcentularum vitat aſpectum, & intantum caſtigator ſui eſt, vt etiam quæ tuta ſunt pertimeſcat. Cur, inquies, pergis ad eremum: videlicet vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis? ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Reſpondebis: hoc non eſt pugnare, ſed fugere: ſta in acie: aduerſarijs armatus obſiſte, vt poſtquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero gladium deuitaui: ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum: quid autem neceſſe eſt certa dimittere, & incerta ſectari? aut ſcuto, aut pedibus mors vitanda eſt. Tu, qui pugnas & ſuperari potes, & vincere, ego cùm fugero, nõ vinco in eo, quod fugio, ſed ideò fugio, ne vincar. Nulla ſecuritas eſt, vicino ſerpente dormire: poteſt fieri, vt me non mordeat. Matres vocamus, ſorores, & filias, & non erubeſcimus vitijs noſtris nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? quid ſibi volunt ſola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia, quæ vitantur ſolitudine. Et idcircò vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluntas. Hæc, vt dixi, ſanctorum presbyterorum rogatu, vnius noctis lucubratione dictaui, feſtinante admodum fratre Siſinnio, & propter ſanctorum refrigeria ad Aegyptum ire properante: alioquin & ipſa materia apertam habuit blaſphemiam, quæ indignationem magis ſcribentis, quàm teſtimoniorum multitudinem flagitaret. Quod ſi Dormitantius in mea rurſus maledicta vigilauerit, & eodem ore blaſphemo, quo Apoſtolos & martyres lacerat, de me quoque putauerit detrahendum: nequaquam illi breui lucubratiuncula, ſed tota nocte vigilabo, & ſocijs illius, immò diſcipulis, vel magiſtris, qui niſi tumentes vteros viderint fœminarum, maritos eorum Chriſti miniſterio arbitrantur indignos. *Tom.2.aduerſus Vigilantium cap.6.*

*Matth.20.*
*Officium monachi aliud quam doctoris.*

*Alia obiectio remouetur contra amorem ſolitudinis.*

*Solitudine omnia vitiã vitantur.*

*Vigilantiani nolunt admittere miniſtros Eccleſ. niſi vxoratos.*

DIDICI, quod & ſanctitas tua nouerit Theodorum Monachum, eiuſque ſtudium comprobaui, quia cùm à nobis Romam nauigaturus exiret, noluit ante proficiſci, niſi te, & ſanctos fratres, qui tecum ſunt in monaſterio, quaſi ſua viſcera amplexaretur, & inuiſeret. Quem cùm ſuſceperis, pro Eccleſia tranquillitate lætare. Vidit enim cuncta Nitriæ Monaſteria, & referre poteſt continentiam & manſuetudinem Monachorum, quo modo extinctis & fugatis Origenis ſectatoribus, pax Eccleſiæ reddita ſit, & diſciplina Domini conſeruatur. *Tomo.2. Epiſt.72.ad Hieronym.*

*Continentia & manſuetudo monachorum.*

*Extincti & fugati Origenis ſectatores.*

*2.Tim.2.*

MILITVM Chriſti perfectio, eſt, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotijs & tumultu ſæculi: iuxta illud Apoſtoli: Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus, & cætera: eamque quantum humana imbecillitas ſinit, feſtinat viuere cum Chriſto. Quam quidem ſpeciem conuerſationis boni eremitæ, & monachi, qui voto monaſticæ diſciplinæ obligati ſunt, imitari contendunt: ſed rara eſt, & pauciſſimis, dono Dei hæc perfectio conceſſa. Is enim verè, & non ex parte perfectus eſt, qui, & in eremo ſqualorem ſolitudinis, & in Cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentat. Et ideò in vtraque profeſsione per omnia con-

*Eremitæ voto monaſticæ diſciplinæ obligati.*

*Anachoretarum & cœnobitarum diſcrimen.*

ſummatum inuenire difficilè eſt: quia nec Anachorita contemptum ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita Teoricam ad integrum poteſt aſſequi puritatem. Sed tamen quantum ſuperexcellat ſerenitas tranqullæ vitæ, turbulentiam ſęcularis conuerſationis, nouit, qui hanc expertus eſt, & dominicum iudicium in Euangelio inter duas mulieres cernit, ad Martham dicens: Martha Martha ſollicita es, & turbaris circa plurima: Maria optimam elegit, quæ non auferetur ab ea. Et beatus Dauid ſolum hoc neceſſarium homini eſſe definiens, Deo iugiter adhærere deſiderat, dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Et alibi: Vnam petij à Domino, & cætera. Vna ergo & ſola eſt Theorica, id eſt, contemplatio Dei: cui meritò omnium iuſtificationum merita, vniuerſa virtutum ſtudia poſtponuntur. Actiua etenim vita cum corpore deficit: contemplatiua autem vita hic incipitur, vt in cæleſti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cùm ipſum quem amat, viderit, in amore eius amplius igneſcit. Contemplatiua ergo vita minimè aufertur, quia ſubtracta præſentis ſæculi luce perficitur: ſed ante omnia, humilitatis & patientiæ cuſtodia ſeruis Dei neceſſaria eſt: quia qui ſe exaltat, humiliabitur, qui autem in patientiæ virtute perſeuerauerit, hic ſaluus erit. *Tom 4. lib. 2. Commentar. in cap. tertium Lament. Hier. fol. 320. fac. 1.*

*Lucæ 10.* *Pſalm. 72.* *Ibidem. 26.* *Laus Theoricæ vitæ præ practica*

CANDIDIORES Nazarei eius niue, & cætera. His duabus ſententijs oſtenditur, quomodo omnis decor prioris populi, quem habebat in ornatu templi, & cultu diuino. Propter peccata eorum emarcuerit, & deſtruentibus hoſtibus, ad nihilum redactus ſit. Myſticè autem caſus animarum quorundam fidelium à Propheta deploratur. Quid enim Nazareorum nomine, niſi abſtinentium & continentium vita ſignatur, quæ niue & lacte nitidior dicitur. Nix enim ex aqua cōgeleſcit, quæ de inferioribus nutritur. Quid enim per niuem, niſi candor vitæ cæleſtis? Quid per lac, niſi temporalis diſpenſationis adminiſtratio demonſtratur? Et quia plerumque continentes viri in Eccleſia, tam mira opera faciunt: vt ab eis multi, qui cæleſtem vitam tenuerunt, multi, qui terrena benè diſpenſauerunt, ſuperari videantur, & candidiores niue, & nitidiores lacte referuntur: qui etiam qui per feruorem ſpiritus, antiquorum & fortium patrum nonnunquam vincere vitam videantur, rectè adiungit: Rubecundiores ebore antiquo. Dum enim ruboris nomen imprimitur, ſancti deſiderij flamma ſignatur. Ebur verò eſſe os magnorum animalium non ignoramus. Ebore vtique antiquo rubicundiores ſunt: quia ſæpè ante humanos oculos nonnullos præcedentibus patribus ſtudij ſeruentiores exiſtunt. De quibus, vt totum ſimul oſtendatur, adiungitur: Sapphyro pulchriores. *Tomo 4. libr. 3. Com. in cap. 4. Lamentat. Hierem. fol. 392. fa. 1.*

*Nazarei ſunt abſtinẽtes & continentes monachi.*

*Anachoretæ & monachi chriſtiani athletæ ſunt.* *Gen. 29.* *Pſalm. 117.*

QVI athleta eſt Domini, & exercetur ad luctam, & præparat ſe contra aduerſarias poteſtates, dormit in nuda humo, imitans Iacob, & ponit ſibi lapidem ad caput, quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. Qui verò delicijs vacant atque luxuriæ, & omnia cauſa ventris faciunt, dormiunt in lectis eburneis mortui animalis, & immundis hærent oſſibus: & quia pulchra videntur vitia, & præſenti nitore delectant, requieſcunt in eorum lectulis, & ſopore grauiſsimo deprimuntur. Iſti non comedunt ſolidum cibum & athlæticum, de quo roborantur vires lactantium, ſed mollem & tenerum, & ſiniſtrarum partium: quales ſunt hædi de gregibus & vituli ſaginati, & tenelli, immò adhuc lacte nutriti, hoc enim ſignificat, μοχάρια γαλαθηνά. Concrepant quoque manibus ad vocem organorum & ſonitum: vt omnia opera eorum expectēt voluptatem: nihilque faciunt, niſi quod ventri procurent & libidini. *Tom 5. lib. 3. Comment. in cap. 6. Amos fol. 114. fac. 1.*

*Solitaria vita quatenus laudanda ſit, vel vituperanda.*

PORRO hi populi, & iſtæ oues propterea percutientur, & paſcentur in virga, quia habitauerant ſoli in ſaltu. Quod quidem poſſumus & de his accipere, qui ſe de Eccleſia ſeparantes, conuiuijs dedunt, amicitijſque gentilium: Nec non & de his, qui odio generis humani vitam appetant ſolitariam: qualem Timonem fuiſſe Athenis, legimus, non quod ſolitaria vita & prophetica, quam habuerunt, Elias & Ioannes, condemnanda ſit: ſed quia ſi cæteros deſpiciens, ipſe ſuperbiat, & habitet in ſaltu vitiorum, virga corripienda ſit. *Tom. quinto libr. 2. Com. in c. 7. Mich. fo. 169. fa. 2.*

LICET ἄσκησις plurimum præſtet, & vitæ continentiæ ſuper mortificatione lumborū: tamen nihil eos ita mortificat, vt cognitio veritatis: vnde dicitur: Accingite lumbos veſtros in veritate. Si enim veritas eſt Chriſtus: qui tota in Chriſto mente credidit, lumbos ſuos mortificauit in Chriſto. *To. 5. Com. in c. 2. Nahum, fo. 175. f. 2.*

QVIA ſpes noſtra certa eſt, & Iudęorum caſſa ſunt vota, ſecundū priorem intelligentiam, iam taxamus præſens extremumque capitulum, & de Ieſu filo Syrach teſtimoniū proferamus: Qui mittit lapidem in excelſum, ſuper caput ſuū mittit. *Eccle. 23.* Quia enim Syon & Hieruſalem in excelſo poſitę ſunt: quicumq; Syon detrahit & Hieruſalem, & mittit in eam contumeliarū lapides, in ſuum eos caput iacit, & reuertetur opprobrium eius in caput ſuum, & dolor eius & iniquitas ſuper verticē eius deſcendet. *Pſal. 7.* Quanti hodie exprobant animæ Dei myſteria conſectanti, volentiq; videre pacē eius, & dicunt, Inſanus eſt & ebrius, & muſto plenus: hominum cœtus fugit, delicias aſpernatur, aurum pro luto computat, ſolam diligit paupertatem. Qui autem infideles ſunt, etiam crucem Chriſti exprobrant ei, & ſi quando eum in anguſtia viderint, & in tentatione dicūt: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ & iuſtitiæ quas operatus es? Quid loquar de infidelibus, cū Eccleſiarum nonnulli principes huiuſcemodi hominibus exprobrēt, & vitam ipſorū arbitrentur amentiā, & non pręſentem laudent conuerſationē, ſed vetera peccata exprobrent: nec audiunt eſſe pręceptū: Noli improperare homini, qui conuertitur à peccatis ſuis. *Eccle. 8.* Vę igitur ei, qui tulit opprobrium, atque ſuſcepit, & huiuſcemodi ſe officio māſipauit, vt detraheret Syon & ciuitati Dei: quia pro hac iniuria vrbis ſuæ vltor eſt Dominus, & dicit ad Syon: Ecce ego faciam in te, propter te, id eſt, faciam vltionem tuam, & ſaluabo afflictam: ſiue vt in Gręco dicitur: καὶ σώσω τὴν ἐκπεπιεσμένην id eſt, & ſaluabo expreſſam. Vt ſit ſenſus: Ego ſaluabo eam quæ tu præſentiarū, quaſi vua & oliua, ita tentationibus atque præſſuris, vt prælo & trabe preſſa eſt & afflicta: vt vinum faceret & oleum, & de vino biberet Ieſus in rȩgno patris ſui: de oleo autem vngeretur præ participibus ſuis. Ego

*Perfecti ſolitarij irridentur à populo & multitudine.*

*Vtiles ſanctis afflictiones à ſimilibus affectis* *Matth. 26.* *Pſalm. 44.*



Ego puto propter expreſſionem talis vini & olei Iob multa perpeſſum: poſtquam autem vinum & oleum fecerat, audiſſe à Domino: Putas me aliter reſpondiſſe, niſi vt appareres iuſtus? Quaſi ad vuam & oliuam loqueretur: Exiſtimas me aliter te preſſiſſe, & afflixiſſe atque contriuiſſe, niſi vt vinum de te & oleum exprimerem? Sequitur: Et eam quæ repulſa fuerat, ſuſcipiam. Videtur nos Deus repellere, quando relinquit tentationi. Vnde & Iob: Viſitatio, inquit, Domini reſpexit me. *Iob 10.* Et non ſolùm iuſti loquuntur, & dicunt: Nunc autem repuliſti & confudiſti nos: ſicut & in quadrageſimo tertio Pſalmo ſcriptum eſt. Sed ipſe Dominus atque Saluator ex perſona hominis quem aſſumpſerat: Tu autem, ait, repuliſti & deſpexiſti: Diſtuliſti Chriſtum tuum: ſubuertiſti teſtamentum ſerui tui. *Pſal. 88.* Quod autem iuſtorum perſona ſit in quadrageſimo tertio Pſalmo dicentium: Nunc autem repuliſti & confudiſti nos, ex ſequentibus approbatur: Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, neque iniquè egimus in teſtamento tuo, nec receſſit retro cor noſtrum. Eam igitur quæ in tētationibus videbatur abiecta, ſuſcipiet Dominus in fine, & ponet eos in gloriam, & nominatos in vniuerſa terra: filios videlicet expreſſæ & repulſæ, id eſt, Eccleſiæ. *Tomo quinto, Commentariorum in cap. 3. Sophoniæ. Fol. 221. fac. 2.*

QVID exiſtis in deſertum? Numquid ob hoc, vt hominem videretis calamo ſimilem, qui omni vento circumfertur, & leuitate mentis de eo ambigeret, quem antea prædicarat? An forſitan ſtimulis contra me inuidiæ cogitur, & prędicatio eius vanam ſectatur gloriam, vt ex ea quærat lucra? Cur diuitias cupiat vt affluat dapibus? Locuſtis veſcitur & melle ſylueſtri. An vt mollibus veſtiatur? Pili Camelorum tegmen eius ſunt. Iſtiuſmodi cibus & veſtis, carceris hoſpitio recipiuntur, & prędicatio veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores ſunt, & ſectantur lucra, & quęrunt diuitias, & delitijs affluūt, & mollibus veſtiuntur, iſti in domibus Regum ſunt. Ex quo oſtenditur rigidam vitam, & auſteram prædicationem vitare debere aulas Regum, & mollium hominum palatia declinare. *Tomo ſexto, libro ſecundo Commentariorum in caput vndecimum Matthæi. Can. 18. fac. 2.*

*Rigida & ſeuera vita monaſtica Ioannis Baptiſtæ.*

SED & vitę auſteritas, rigorque mentis Eliæ & Ioannis pares ſunt: Ille enim in eremo, iſte in eremo. Ille zona pellicea cingebatur, & iſte ſimile habuit cingulum. *Ibid. Can. 19. fac. 1.*

EATENVS ſuorum peccatorum vnuſquiſq; conſtringitur, ſed in martyrio meo dirupiſti vincula peccatorum meorum, & de vinculis plicaſti mihi coronam victorię. *Rom. 5.* Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Poſt martyrium vbi ſacrificat? In regione viuorum. Sacrificabo, inquit, tibi ſacrificium. Quale ſacrificium? Nunquid hircum aut vitulum? Illa Iudaica erant, & tranſierunt. Sacrificabo tibi hoſtiam laudis. Hæc eſt laus Martyrū. Sicut enim Martyres laudant Dominum purè in regione viuorum, ita & Monachi, qui die ac nocte pſallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum, ſiquidem ipſi Martyres ſunt. Quod enim faciunt Angeli in cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. *Tomo 7. Commentarior. in Pſal. 115. Fol. 151. fac. 1.*

*Monachi Angelis et Martyribus comparantur.*

ECCE quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum.] Duo dicit: Bonum & iocundum. Bonum eſt martyrium, ſed non eſt iocundum, habet enim ſupplicia & pœnas, & ſemper in cruciatibus dolor eſt, & vtique in dolore non eſt iocunditas. Ecce quàm bonum & quā iocundum. Rurſum voluptas iocunda eſt: Ac ſi dicat: Cibum dulcem comedere videtur iocūdum eſſe, compellit enim ad libidinem. Hic ergo duo poſuit, & quod ſibi videbatur eſſe cōtrarium, bonum ſcilicet & iocundum, vno ſermone coniunxit. Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Fratres mente non corpore. Eſau & Iacob fratres fuerunt, & quia ſimul habitabant, fuit eis cauſa diſcordiæ. Ergo quod dixit hic, fratres: non fratres dicit corpore, ſed fratres ſpirituales. Fratres de quib9 loquebatur & Saluator, & dicebat ad mulieres: Ite: nunciate fratribus meis. *Matt. 28.* Ecce quam bonū & quam iocundum, habitare fratres in vnū. Propriè Pſalmus iſte cœnobijs & monaſterijs conuenit. Licet enim & de Eccleſijs intelligatur: ſed ibi propoſiti diuerſitate nō videtur eſſe tanta concordia. Quæ eſt enim ibi fraternitas? Vtiq; alius ad domū ire feſtinat, alius in circum, alius in Eccleſia de vſuris cogitat. In monaſterijs autem, ſicut vnum propoſitū, vnus & animus eſt. Ecce quam bonū & quam iocundū habitare fratres in vnū. Verè bonum, verè iocundū. Vnum fratrem dimiſimus, & ecce quantos inuenimus: frater meus ſæcularis (qd' de meo loquor, de ſingulis loquor) non tantum me amat, quàm ſubſtantiā meam. Cęterùm fratres ſpirituales, qui ſua vtiq; negligunt, alia non quęrunt, Sicut & legimus in Actis Apoſtolorum: Quoniam multitudinis credētium erat cor vnum, & anima vna. *Act. 4.* Et erant, inquit, illis omnia communia. Rectè erant eis omnia communia, qui vnum Chriſtum poſſidebant. *Tom. 7. Commentariorum in Pſalmum 132 Fol. 166. fac. 2.*

*Iocunda ſpiritualium fratrum concordia.* *Pſalmus 132 de monaſterijs & cœnobijs intelligẽtur.*

DICAMVS eſſe aliquem Dominum ditiſſimum. Iſte habet familiam, habet & ſeruos, qui ſibi miniſtrent. Nunquid tantùm habent fiduciam ſerui, qui in villis ſunt, quātam illi qui quotidiè miniſtrāt? Illis magna dignitas eſt, qui faciem vident Domini, & miniſtrant ei. Deniq; cæteri ſerui, qui faciem non vident Domini ſui, ſi voluerint aliquid impetrare, conſeruos petunt. Hoc totum quare dixi? Dominus noſter Ieſus habet & ipſe multam familiam, habet quaſi ad faciem ſuam, qui ſibi miniſtrant: habet alios in agris. Monachos & virgines ego puto illos eſſe, qui ad faciem miniſtrant Domino ſuo: ſęculares autem, qui ſunt quaſi in agro, de familia ſua. Deniq; illi, qui ſunt in agris, iſtos poſtulant, vt rogēt Dominum, ſi quid neceſſarium habent. Quantam habent ergo dignitatem, qui quotidie vident faciem Domini, tantam habent pœnam, qui negligunt miniſterium Domini. Solent enim mali ſerui quando ſunt in agris, magis timere Dominū: quia non vidēt. Si aūt quotidiè cœperint videre, contemnūt, & familiaritas ſuperbiam facit. Et nos igitur non debemus de conſuetudine contemnere bonitatē Dei noſtri. *Tom. 7. Comm. in Pſal. 133. Fol. 168. fac. 1.*

*Varia familia Domini Ieſu.*

ALIVS noſtrum in primo gradu eſt, nō deſperet ſecundum; qui in ſecundo gradu eſt, nō deſperet tertium. Fœlices Martyres, quorum multi de nouiſſimo gradu, in primum gradum aſcendere meruerunt. Qui viuit in iſto ſęculo, nō poteſt ſtatim de primo ad ſummū conſcēdere. Nō debem9 igitur cōtenti eſſe primo gradu, ſemper debemus

*Aſcita Iacobus Patriarcha.* *Geneſ. 28.* *1. Pet. 2.*

ad maiora conari. Nec qui in nouiſſimo eſt, deſperet primum: nec qui in primo eſt, debet eſſe ſecurus: poteſt enim cadere in vltimum. Ego puto illud eſſe quod ſignificat etiam Iacob ſcala, quando fugit Iacob Eſau fratrem ſuum. Et venit, inquit, in Bethel, & dormiuit ibi, & poſuit lapidem ad caput ſuum. Videte ἀσκητὴν noſtrum. Fugiebat hominem crudeliſſimum: fugiebat fratrem, & auxilium inuenit in lapide. Lapis ille Chriſtus eſt: lapis hic, his qui perſecutionem patiuntur, auxiliũ eſt. Cæterùm Iudæis incredulis, lapis offenſionis, & petra ſcandali. Et vidit, inquit, ibi Iacob ſcalam erectam de terra vſq; ad cœlum, & in cœlo, inquit, Dominum. Et vidit, inquit, Angelos aſcendentes & deſcendentes. Videte quid dicat: Vidit Angelos conſcendentes: Vidit Paulum conſcendentem. Vidit Angelos deſcendentes. Iudas proditor corruebat. Vidit Angelos aſcendentes, ſanctos homines de terra ad cœlum pergentes. Vidit Angelos deſcendentes: Diabolum & dæmones cum exercitu ſuo de cœlo præcipitatos. Grandis eſt difficultas de terris ad cœleſtia conſcendere. Facilius ruimus, quam conſcendimus: facile ruimus, in aſcendendo grandis labor eſt, grãdis ſudor eſt. Si fuero in primo gradu, quã tum mihi reſtat vſque ad cœlum? Si fuero in ſecundo, ſi in tertio, ſi in quarto, ſi in decimo, quid mihi prodeſt, niſi ad ſummum peruenero? Fac mihi iſtam ſcalam quindecim habere gradus, veni vſque ad quartum decimum: niſi quintum decimũ tenuero, quid mihi prodeſt, quod ad quartum decimum veni? Et ſi ad quintum decimum venero, & corruero, maior aſcenſus, maior ruina eſt. Simulq́ue conſidera Sacramentum: quia grandis labor eſt, & grandis ſudor, de terris ad cœlum conſcendere. *Tom. 7. Commentariorum in Pſal. 119. 2. expoſitione. Fol. 188. fac. 1.*

## *Appendix, Iidem Monachi & Epiſcopi?*

*In vno et eodem imitabatur Monachum & Epiſcopum.*

CVM arderet quotidie, aut ad Aegypti monaſteria pergere, aut Meſopotamiæ inuiſere choros, vel certè inſularum Dalmatiæ, quę Altino tantùm freto diſtant, ſolitudines occupare, auunculum Pontificem deſerere nõ audebat, tot in illo cernens exempla virtutum, domiq; habẽs vnde diſceret, in vno atq; eodem, & imitabatur Monachum, & Epiſcopum venerabatur, nec in pleriſq; accidere ſolet, aſſiduitas familiaritatem, familiaritas contemptum illius fecerat: ſed ita eũ colebat, quaſi parentem, ita admirabatur, quaſi quotidie nouum cerneret. *Tom. 1. Epiſt. 3. cap. 6.*

*Multi Monachi Sacerdotes & Leuitæ.*

OCCVRRENTE ſibi ſancto & venerabili Epiſcopo Iſidoro Confeſſore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos ſacerdotalis & Leuiticus ſublimabat gradus, lætabatur quidem ad gloriam Domini, ſed ſe indignam tãto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, Arſenios, Serapionas, & reliqua columnarum Chriſti nomina? cuius non intrauit cellulã? quorum pedibus non aduoluta eſt? Per ſingulos ſanctos Chriſtum ſe videre credebat: & quicquid in eos contulerat, in Dominum ſe contuliſſe lætabatur. *Tom. 1. Epiſt. 27. cap. 7.*

*Nazianzenus ex Epiſcopatu rediit ad Monachi vitam.*

VIVO ſe, Epiſcopum in loco ſuo ordinans, ruri vitam Monachi exercuit. *Tom. 1. in catalogo ſcript. Eccleſiaſt. in Gregorio Nazianzeno. Fol. 131. f.*

LIBELLVM hunc libello illius copulato, vt cum ille te Monachum erudierit, hic clericum doceat eſſe perfectum. *Tomo primo, Epiſtola ſecunda capite quarto. f.*

## *Appendix. De diſcrimine Monachorum & Clericorum.*

*Diſcrimen Clerici & Monachi.* *Matt. 16. 12.* *1. Cor 13.*

SED alia vt ante perſtrinxi, Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oues: ego paſcor. Illi de altario viuunt: mihi, quaſi infructuoſæ arbori, ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero. Nec poſſum obtendere paupertatem cum in Euangelio anum viduam, duo, quæ ſola ſibi ſupererant, æra mittentem in gazophilacium, laudauerit Dominus. Mihi ante Presbyterum ſedere non licet: illi, ſi peccauero, licet tradere me Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini Ieſu. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut, extra caſtra poſitus, lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta cõtemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut, eiectus de Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur. *Tom. 1. Epiſt. 1. cap. 7.*

*Ex monachis eligebantur Clerici.*

ITA ergo age, & viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis, vt adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules, vt altare Chriſti, quaſi de thalamo virgo procedas, & habeas de foris bonum teſtimonium, fœminæq́ue nomen tuum nouerint, & vultum tuum neſciant. Cùm ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit: agito, quæ Clerici ſunt, & inter ipſos ſectare meliores: quia in omni conditione & gradu optimis mixta ſunt peſſima. *Tomo primo, Epiſtola 4. cap. 8.*

*Clerici patres Monachorum.*

IVNGVNTVR noſtri ordinis qui & roduntur, & rodunt aduerſus nos loquaces, pro ſe muti: quaſi & ipſi aliud ſint, quàm Monachi, & non, quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui patres ſunt Monachorum. Detrimentũ pecoris, paſtoris ignominia eſt. Sicut è regione, illius Monachi vita laudanda eſt, qui venerationi habet Sacerdotes Chriſti, & non detrahit gradui, per quam factus eſt Chriſtianus *Tom. 1. Epiſt. 10. ad Furiam. cap. 1. f.*

*Marc. 6.* *Luc. 6.* *Aliud officium Clericorum aliud Monachorũ.* *Act. 5.*

REVERA, vt ſimpliciter motus mentis meæ fatear, conſiderans & propoſitum tuum, & ardorem, quo ſæculo renunciaſti, differentias in locis arbitror, ſi vrbibus & frequentia vrbium derelicta, in agello, & Chriſtum quæras in ſolitudine, & ores ſolus in monte cum Ieſu, Sanctorumq́ue tantum locorum vicinitatibus perfruaris, id eſt, vt & vrbe careas, & propoſitum Monachi non amittas. Quod loquor non de Epiſcopis, non de Presbyteris, non de Clericis loquor, quorum aliud officium eſt, ſed de Monacho & Monacho quondam apud ſæculum nobili, qui idcirco pretium poſſeſſionum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuit, docens pecuniam eſſe calcandam, vt humiliter & ſecreto victitans ſemper contemnat, quod ſemel contempſit. *Tomo primo, Epiſtol. 13. capite ſecundo f.*

*1. Tim. 6.* *Pſal. 23. 14.*

NEQVE nos ambimus Sacerdotium, qui latemus in cellulis: nec humilitate damnata Epiſcopatum auro redimere feſtinamus: nec electum Pontificem à Deo, rebelli cupimus mente iugulare: nec fauendo hæreticis, hæreticos nos docemus: pecunias nec habemus, nec habere volumus, habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus: illud de aſcenſore montis Dominici iugiter decantantes: Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: Qui facit hæc, non commouebitur in æternum, ergo qui non facit, iam corruit in ęternum. *Tomo ſecundo, libro primo Apologia aduerſus Ruffinum, capite ſeptimo.*

NVM rogaui te, vt ordinarer? Si ſic Presbyterium tribuis, vt Monachum nobis non auferas: tu videris de iudicio tuo, ſui autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod ſæculum dereliqui: ego habeo quod ſemper habui: nullũ diſpendium in ordinatione paſſus es. *Tom. 2. Epiſtola 61. cap. 16.*

## *Articulus II. Monachorum inſtitutum exemplo ex traditione Apoſtolorum confirmari.*

*Prophetarũ & Apoſtolorum exemplum Paulus Eremita ſequutus inter eorundẽ choros in ſublime conſcendit.*

CVM iam dies alia illuxiſſet, & trium horarum ſpatio viam remeauiſſet, vidit inter Angelorum cateruas, inter Prophetarum & Apoſtolorum choros, niueo Paulum candore fulgentem in ſublime conſcendere, & ſtatim in faciem ſuam procidens, ſabulum capiti ſuperiaciebat, ploransq́ue & eiulans, aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur inſalutatus abis tam tardè notus, tam cito recedis? *Tom. 1. in vita Pauli. Fol. 108. fac. 1.*

*Hegeſippus ſimplicem vitam & characterem dicẽdi Apoſtolorũ expreſſit.*

HEGESIPPVS vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem, Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici: vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. *Tom. 1. De Viris Illuſtribus in Egeſippo.*

*Serapion Aſcita.*

LEGVNTVR & ſparſim eius breues Epiſtolæ authoris ἀσκήσει, & vitæ congruentes. *Ibidem in Serapione.*

*Ioannis Baptiſtæ cibus & veſtitus monaſticus.*

IPSE Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum.] De pilis habebat, non de lana. Aliud auſteræ veſtis indicium eſt, aliud luxurię mollioris. Zona autem pellicea, qua accinctus fuit & Elias, mortificationis ſymbolũ eſt. Porrò quod ſequitur. Eſca autem eius erat.] Habitatori ſolitudinis congruum eſt, non delitias ciborum, ſed neceſſitatem humanæ carnis explere. *Tomo ſexto, Commentariorum in caput tertium Matthæi, Canone tertio, facie 2.*

## *Articulus III. Apoſtolos vt & Monachos & Prophetas paupertatem ex voto ſeruaſſe.*

*Paupertas Apoſtolica.* *Matt. 4.* *Luc. 9.*

ANIMADVERTE frater, non tibi licet de tuis quicquam habere rebus. Omnis, inquit Dominus, qui non renunciauerit cunctis, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cur timido animo Chriſtianus es? Reſpice Petro relictum rete, reſpice ſurgentem de theloneo publicanum ſtatim Apoſtolum. Filius hominis non habet, vbi caput reclinet, & tu amplas porticus & ingentia tectorum ſpatia metiris? Hæreditatem expectans ſæculi, cohęres Chriſti eſſe non poteris. *Tom. 1. Epiſtola 1. ad Heliodorum cap. 5.*

*Matt. 19. Heliodorum ad paupertatem perfectionemq; monaſticam cohortatur.* *Matt. 6.* *Luc. 9.*

DOMINVM auſculta dicentem: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperib. & veni & ſequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cum derelicta militia te caſtraſti propter regna cœlorum, quid aliud quam perfectam ſecutus es vitam? Perfectus autem ſeruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet: aut: ſi quid prȩter Chriſtum habet, perfectus non eſt, & ſi perfectus non eſt, cum ſe perfectũ fore Deo pollicitus ſit, ante Deum mentitus eſt. Os autem quod mentitur occidit animam. Igitur vt concludam, ſi perfectus es, cur bona paterna deſideras? Dominũ fefelliſti, ſi perfectus non es. Diuinis Euangelium vocibus contonat: Nõ poteſtis duobus Dominis ſeruire, & audet quiſquam mendacem Chriſtum facere, mammonæ & Domino ſeruiẽdo? vociferantur ille ſæpe: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuã, & ſequatur me. Et ego onuſtus auro arbitror me Chriſtũ ſequi: Qui dicit ſe in Chriſtum credere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare. quod ſi nihil habes, vt te reſponſurum ſcio: cur tam benè paratus ad bella, non militas? *Ibidem ad Heliodorum cap. 6.*

*Proprietas monachis prohibita.* *Act. 5.* *Liberalitate liberalitas perit.*

IAM non ſunt tua, quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Saphyræ: illi ſua timidè ſeruauerunt: tu conſidera, ne Chriſti ſubſtãtiam imprudenter effundas, id eſt, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas, non pauperibus: & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, liberalitas pereat. *Tomo primo, Epiſtola 13. capite tertio.*

*Matt. 4.* *Luc. 5. 9.* *Matt. 8.* *Pietatis genus eſt impium eſſe pro Domino.* *Veſtitus, paupertas & cõtinentia Monachorum.* *Conuitia improborum cõtemnenda.*

ORO te, quid tale vnquam, quale Apoſtoli, fecimus, vt meritò ſcandalizentur? Patrem ſenem cum nauicula & reti dimittunt. Publicanus à Thelonio ſurgit, & ſequitur Saluatorem: volens diſcipulus reuerti domum, & ſuis ante renunciare, magiſtri voce prohibetur. Sepultura non datur patri: & pietatis genus eſt, impium eſſe pro Domino. Nos quia ſerica veſte non vtimur, Monachi iudicamur, quia ebrij non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus, continentes vocamur, & triſtes, ſi tunica non canduerit, ſtatim illud è triuio, impoſtor, & Græcus eſt. Cauillentur vafriora licet, & pingui aqualiculo fartos circumferant homines. Bleſilla noſtra ridebit, nec dedignabitur loquacium ranarum audire conuicia, cum eius dictus ſit Beelzebub. *Tom. 1. Epiſtola 23. ad Marcellam. f.*

*Apoſtoli, Prophetæ perfecti & Chriſtus ipſe paupertatem ſeruarunt.* *Act. 5.* *1. Cor. 9.* *1. Tim. 5.* *1. Tim. 6.*

SI vis eſſe perfectus, & deſideras eſſe quod Prophetæ, quod Apoſtoli, quod Chriſtus eſt, vende, non partem ſubſtantiæ, ne timor pecuniæ infidelitatis occaſio ſit, & cum Anania & Saphyra pereas, ſed vniuerſa quæ poſſides. Cumq́ue vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non ſuperbis: da quo neceſſitas ſuſtentetur, non quo augeantur opes. Cumq́ue legeris illud Apoſtoli: Boui trituranti os non alligabis: Et, Dignus eſt operarius mercede ſua: Et qui altario miniſtrant, de altario participantur: Memento quoque huius ſententiæ: Habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus. Vbi videris fumare patinas, & Phaſides aues lentis vaporibus decoqui, vbi argenti pondus, vbi feruentes Buricos mannos, comatulos pueros, pretioſas veſtes, picta tapetia, ibi ditior eſt largitore, cui largiendum eſt. *Tom. 1. Epiſtola 26. ad Pammachium cap. 3. f.*

*Omnia Chriſto offerenda & externa & interna eſt.* *Geneſ 4.*

APOSTOLI, quantũ ad diuitias, nihil, quantum ad voluntatem, totum mundum pariter reliquerunt. Si offeramus Chriſto opes cum anima noſtra, libenter ſuſcipiet, ſi autem, quæ foris ſunt Deo, quæ intus ſunt, diabolo demus, non æqua partitio; & dicitur nobis: Nonne ſi rectè offeras, & non rectè diuidas peccaſti. *Ibidem capite quinto.*

*Luc.18.*

QVONDAM diues adoleſcens omnia, quæ in lege præcepta ſunt, ſe impleſſe iactabat, ad quem Dominus in Euangelio. Vnum, inquit, tibi deeſt. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & ſequere me. Qui omnia ſe feciſſe dicebat, in primo certamine diuitias vincere non poteſt: vnde & difficile intrant diuites in regna cœlorum: quæ expeditos & alarum leuitate ſubnixos habitatores deſiderant. Vade, inquit, & vende, non partem ſubſtantiæ, ſed vniuerſa quæ poſſides, & da, non amicis, non conſanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid addam: nihil tibi ex omnibus metu inopiæ reſeruans, ne cum Anania damneris & Saphyra: ſed da cuncta pauperibus: & fac tibi amicos de iniquo mammoma, qui te recipiant in æterna tabernacula, vt me ſequaris, vt Dominum mundi poſſeſſionem habeas, vt poſſis canere cum Propheta: Pars mea Dominus, & vt verus Leuita, nihil de terrena hæreditate poſſideas. Et hoc hortor. Si vis eſſe perfectꝰ, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmen cupis, ſi ſublata cruce Chriſtum ſequi, ſi apprehenſo aratro non reſpicere poſt tergum, ſi in ſublimi tecto poſitus, priſtina veſtimenta contemnis, & vt euadas Aegyptiam dominam, ſæculi pallium derelinquis. Vnde & Helias, ad cœlorum regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio, ſed mundi in mundo veſtimenta dimittit. Sed hoc, ais, Apoſtolicæ dignitatis eſt, & eius qui velit eſſe perfectus. Cur autem & tu nolis eſſe perfectus? cur, qui in ſæculo primus es, non & in Chriſti familia primus ſis? an quia vxorem habueris? habuit & Petrus, & tamen, cum reti eam & nauicula dereliquit. *Tom. 1. Epiſtola 34. ad Iulianum, cap. 2.*

*Matt. 16. — Vincere diuitias ſumma perfectio eſt. — Act. 5. Luc. 19. Pſal. 72. 118. — Deut. 10. — Apoſtolicæ dignitatis culmen acquiritur paupertate. Luc. 9. 17. Geneſ. 39. — 4. Reg 2. Prophetæ et Apoſtoli pauperes. — Petrus vxorem dereliquit.*

QVOD ſi teipſum Domino dederis, & Apoſtolica virtute perfectus, ſequi cœperis Saluatorem: tunc intelliges, vbi fueris, & in exercitu Chriſti, quam extremum tenueris locum. *Ibidem capite tertio.*

PHILO Iudæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcircò à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia in noſtrorum laude verſatus eſt, non ſolùm eos ibi, ſed in multis quoque prouincijs eſſe memorans, & habitacula eorum dicens monaſteria. Ex quo apparet talem primum Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt, vt nihil cuiuſquam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur, & pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas refert, primum Hieroſolymæ fuiſſe credentes. *Tomo primo, de Viris Illuſtribus in Philone.*

*Marci Euangeliſtæ monaſtica vita deſcripta à Philone. — Primi Chriſtiani Monachi fuerunt. — Act. 4. c. Primi credentes communiter viuentes quaſi monachi.*

ET de vita noſtrorum liber vnus, de quo ſupra diximus, id eſt, de Apoſtolicis viris, quem & inſcripſi περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν, quod videlicet cœleſtia contemplentur, & ſemper Deum orent. *Ibidem in Philone.*

*Apoſtolicorum virorũ vita monaſtica.*

CONSTAT hunc miræ ἀσκήσεως, & appetitorem voluntariæ paupertatis, ſcientiſſimumque Dialecticæ & Rhetoricæ artis, & poſt perſecutionem omne vitæ ſuæ tempus Romæ fuiſſe verſatum. *Ibid. de Viris Illuſtr. in Philone.*

*Philo ipſe ἀσκητα.*

REFERT Satyrus, qui illuſtrium virorum ſcribit hiſtorias, quod Diogenes palliolo duplici vſus ſit propter frigus, peram pro cellario habuerit, ſecumque portauit lanam ob corpuſculi fragilitatem, quia iam ſenex membra ſuſtentare ſolitus erat, & ἡμερόβιος, vulgo appellatus ſit, in præſentem horam poſcens à quolibet, & accipiens cibum. Habitabat autem in portarum veſtibulis, & porticibus ciuitatum: Cumq; ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum iocabatur, & ſe cum temporibus immutantem, frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æſtate ad Septentrionem, & vtcunque Sol ſe inclinauerat, Diogenis ſimul prætorium vertebatur. Quodam verò tempore habens ad potandum cauum ligneum, vidit puerum manu concaua habere, & eliſiſſe illud fertur ad terram, dicens: Neſciebam, quod natura haberet poculum. Virtutem eius & continentiam mors quoque indicat, nam cum ad Agonem Olympiacum, qui magna frequentia Græciæ celebrabatur, iam ſenex pergeret, febri in itinere dicitur apprehenſus, accubuiſſe in crepidine viæ: volentibusq; eum amicis, aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquieuit: ſed tranſiens ad arboris vmbram, locutus eſt: Abite quæſo, & ſpectatum pergite: hæc me nox aut victorem probabit, aut victum ſi febrem vicero, ad Agonem veniam: ſi me vicerit, ad inferna deſcendam, ibique per noctem eliſo gutture, non tã mori ſe ait, quam febrem morte excludere. Vnius tantùm Philoſophi exemplum poſui, vt formoſuli noſtri & thoroſoli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, quorum verba in pugis ſunt, & ſyllogiſmi in calcibus, qui paupertatem Apoſtolorum, & crucis duritiam aut neſciunt, aut contemnunt, imitentur ſaltem gentilium parcitatem. *Tomo 2. libr. 2. contra Iouinianum. cap. 9. Fol. 169. fac. 2.*

*Diogenis exemplo ad paupertatem Apoſtolorũ, & crucis duritiam, & parcitatem gentilium cohortatur.*

DOMINVM audies tibi reſpondentem: Qui poteſt capere capiat. Et ſi vis eſſe perfecta, non tibi iugum neceſſitatis imponit, ſed poteſtati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis eſſe perfecta, & in primo ſtare faſtigio dignitatis, fac qd' fecerũt Apoſtoli, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & ſequere Saluatorem, & nudam ſolamque crucem nuda ſequaris & ſola. Non vis eſſe perfecta, ſed ſecundum vis tenere gradum virtutis: dimitte omnia, quæcunque habes, da filijs, da propinquis. nemo te reprehendit, ſi inferiora ſecteris; dummodò illam ſcias tibi iure prælatam, quę elegerit prima. *To. 3. Epiſt. 150. ad Hedibiam. quæſt. 1. Fol. 416. fac. 1.*

*Primum faſtigium dignitatis ſequi paupertatem Apoſtolicã.*

SPIRITVALES benedictiones in cœleſtibus. ſunt, quia terra benedictionem nõ capit ſpiritualem. Siquidem & benedictiones illæ quæ in Leuitico Dei pręcepta ſeruantibus promittuntur, verbi cauſa, externis gentibus fœnerare, plena eſſe horrea frumentis: benedictos eſſe in vrbibus, benedictos in agris, & cætera his ſimilia, in Prophetis non videmus expleta: hominibus qui in melotis, & in caprinis pellibus errauerunt: in egeſtate, in anguſtia, in deſertis montibus, in ſpeluncis & cauernis petrarum, perſecutorum impetus declinantes. *Tomo ſexto, lib. 1. Comm. in cap. 1. ad Epheſios, Fol. 161. fac. 1.*

*Deut. 28. Leuit. 26. — Afflictiſſima & inops ac miſera Prophetarum vita.*

NON puto tam diuitem fuiſſe Apoſtolum, & tantis ſarcinis occupatum, vt pręparato egeret hoſpitio, & non vna contentus cellula: breues corporis ſui ſpacio ædes ampliſſimas exiſtimaret. Sed vt dum eum expectat Philemon ad ſe eſſe venturum, magis faciat quod rogatus eſt. Si autem hoc non diſpenſatoriè, ſed verè quis exiſtimat imperatum: vt ſibi hoſpitium præpararet: Apoſtolo magis quàm Paulo hoſpitium præparandum eſt. Venturus ad nouam ciuitatem, prædicaturus crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, ſciebat ad ſe plurimos concurſuros, & neceſſe erat primum, vt domus in celebri eſſet vrbis loco, ad quã facilè conueniretur: Deinde vt ab omni oportunitate vacua, vt ampla, quæ plurimos caperet audientium ne proxima ſpectaculorum locis, ne turpi vicinia deteſtabilis: Poſtremo vt in plano potius eſſet ſita, quàm in cœnaculo. Quã ob cauſam cum exiſtimo etiam Romæ in conducto mãſiſſe biennium. Nec parua, vt reor erat manſio, ad quam Iudæorum turbæ quotidie confluebant. *Tomo ſexto, lib. 1. Commentariorum in caput 1. ad Philemonem. Fol. 215. fac. 2.*

*Pauli Apoſtoli paupertas. — Cur magis Apoſtolo quàm Paulo hoſpitiũ præparandum.*



DICIT aliquis: Da teſtimonium, quomodo ſancti cellaria non habent. Reſpicite, inquit, aues cœli, quoniam non habent cellaria neque horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illas. Aues iſtæ ſpecialiter Monachi ſunt: non habent cellaria, non habent apothecas: ſed habent apothecarum & cellariorum Dominum ipſum Chriſtum. Non habent horrea, ſed horreorum Dominum. Non habent diuitias diaboli, ſed habent paupertatem Chriſti. Diabolus quid dicit? Hæc omnia mea ſunt, ſi procidens adoraueris me, dabo tibi ea. Chriſtus quid dicit ad ſuos. Qui non vendiderit omnia ſua quæ habet, & dederit pauperibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ille regna & diuitias pollicetur, vt occidat: hic paupertatem pollicetur vt ſaluet. Nihil grande facimus, ſi noſtra relinquamus. Chriſtus patrem reliquit, & regna cœlorum propter nos. Nemo putet me blaſphemare: quia dixi, patrem reliquit. Secundum diſpenſationem humanitatis loquor, ſecundum quod mittitur: ſecundum quod dicitur: Pater qui me miſit, maior me eſt. Deus nõ mittitur. Deus non ſubijcitur ſeruituti: ſed diſpenſatio mittitur. Si Deus vbique eſt, & omnia in Deo ſunt, quomodo Deus ad aliquid mittitur, cùm Deus ſit omnia? Chriſtus igitur pro nobis pauper factus eſt. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum centeſimum quadrageſimum tertium. Fol. 178. fac. 1.*

*Matt. 6. Monachi ob paupertatem cum auibus cõparantur. — Matt. 4. Ibid. 13. Luc. 12. — 14.*

DAT eſcam eſurientibus, Eſurientibus dat, non eructãtibus. Qui ergo non habet Monachus, confidenter accipiat. Qui habet & eructans eſt, non accipiat. Scis quia eſuris, ſcis quia non habes: ſi eſurieris & non habes, magis das beneficium, ſi accipias quod tribuitur tibi. Si autem habes & non eſuris, non debes cibum eſurientium tollere & accipere ſaturatus. Accipe qd' in ventrem mittas, non ꝙ in ſacculũ: accipe tunicam, quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat. *Tom. 7. Comm. in Pſal. 145. Fol. 180. fac. 1.*

*Monachi pauperes emendicare debent.*

SECVNDVS gradus eſt ſæculo renunciare, nihil de ſæculo quęrere, terrena contemnere. Aliquis dicat: Et hoc facere, ſecundus eſt? Ego dico ſecundum. Nihil eſt terrena dimittere: vitia animæ dimittere, grande eſt. Si enim ieiunauero, hoc eſt, ſi fuero in primo gradu: ſi dimiſero poſſeſſiones meas, hoc eſt, ſi fuero in ſecundo gradu, quid mihi prodeſt, ſi rixoſus ſum, ſi iracundus ſum, ſi detractor ſum, ſi inuidus ſum? Nihil grande eſt terrena dimittere: maiora ſunt vitia, quæ dimittẽda ſunt, ſed dicat aliquis, difficile eſt, grãde eſt, durum eſt. Et ideo grande eſt, quia difficile eſt. Athleta non coronatur, niſi legitimè certauerit. Nulli faciat deſperationẽ: arduus aſcenſus eſt, difficilis eſt: deſperatio naſcitur. Noli deſperare ô homo: in quinto decimo gradu Dominus ſupra eſt: intuetur te, dat auxilium. *Tom. 7. in 2. expoſitione Pſalm. 119. Fol. 188. fac. 1.*

*Monachorũ perfectio in ſæculi renunciatione.*

NON erubeſcimus, non dolemus, dimiſimus matres, dimiſimus patres, dimiſimus ſorores, dimiſimus vxores, dimiſimus filios, dimiſimus patrias noſtras, dimiſimus domos, dimiſimus cellulas noſtras, dimiſimus cellas in quibus nati ſumꝰ & nutriti, & dimiſimus ſeruulos, cum quibus nutriti ſumus, venimus in monaſterium: & propterea hæc dimiſimus omnia, vt propter rem friuolam, rixam cũ fratribus faciamus in monaſterio? Dimiſimus poſſeſſionem, dimiſimus patriam, dimiſimus ſæculum: & propter calamum rixam facimus in monaſterio: Si verbum amarum audiero, ferre non poſſum, æſtuat in corde meo: ſcribitur in medullis meis decem aut quindecim diebus, non poteſt tolli de corde meo: loquor fratri meo, qui mihi iniuriam fecerat, & pacẽ labijs promitto, & corde venenum teneo. Frequenter & oculi, & vultus mentis indicium ſunt. Quando cor noſtrum vulneratum eſt contra aliquem, nõ poſſumus eum aſpicere rectis oculis. vultus ipſe & oculi quaſi ſpeculum animæ noſtræ ſunt. Quid dicit Scriptura. Et non poterant loqui ei quicquam pacificum, non poterat lingua mentiri, quod cor intus non continebat. *Ibidem. Fol. centeſimo nonageſimo, facie prima. f.*

*Concordia et pax in monaſterijs eſt neceſſaria. — Gen. 37.*

## *Articulus IIII. Anachoretas Monachos & Moniales, non ſine magno numero, tempore Hieronymi caſtè ſancteque vixiſſe.*

DE India, Perſide, Aethiopia, Monachorum quotidie turmas ſuſcipimus. *Tom. 1. Epiſtola 7. ad Lætam, cap. 2.*

*Turmæ Monachorũ peregrinatiõis ergò Hieroſolymam veniebant.*

HAEC ab Alexãdrinis prius Sacerdotibus, Papaq; Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionẽ Arrianæ hęreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimũ communionis ſuæ portum Romam confugerãt, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, monaſteriorumq; in Thebaide Pachumij, & virginum ac viduarum didicit diſciplinam: nec erubuit profiteri, quod Chriſto placere cognouerat. Hãc multos poſt annos imitata eſt Sophronia, & aliæ: quibus rectiſſimè illud Ennianum aptari poteſt: vtinam ne in nemore Pelio. Huius amicitijs fruita eſt Paula venerabilis, in huiꝰ cubiculo nutrita Euſtochium, virginitatis decus: vt facilis æſtimatio ſit, qualis magiſtra, vbi tales diſcipulæ. *Tom. 1. Epiſtola 16. ad Principiam, cap. 3.*

*Roma portꝰ fidelium in perſequutionibus. — Monaſteria in Thebaide.*

IN noſtrum locum ſtatim audiuimus te illius adhæſiſſe conſortio, & nunquam ab illa, ne tranſuerſum quidem vnguem, vt dicitur receſſiſſe; eadem domo, eodẽ cubiculo vſam, vt omnibus in vrbe clariſſima notum fieret, & te matrem, & illam filiam reperiſſe. Suburbanus ager vobis pro monaſterio fuit, & rus electum pro ſolitudine, multoq; ita vixiſtis tempore, vt, ex imitatione veſtri, & conuerſatione multarum gauderemus Romam factam Hieroſolymam. Crebra virginum monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentia ſeruientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, eſſet poſtea gloriæ. *Ibid. capite quarto. p:*

*Crebra virginũ monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo.*

Certè flos quidam, & pretioſiſſimus lapis, inter Eccleſiaſtica ornamenta, Monachorum & virginum chorus eſt. Quicunq; in Gallia fuerit primꝰ, hu-

*Monachorũ et virginum chorus flos et lapis pretioſus Eccleſiaſtici ordinis.*

huc properat. Diuiſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole demiſſo, quęrit locum fama ſibi tantùm, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas, quid Indiæ, quid Etiopum populos, ipſamq́; iuxta Aegyptum fertilem Monachorũ Pontum & Cappadociam, Syriam, Cœlen, & Meſopotamiam, cunctaq́; Orientis examina? Quæ iuxta Saluatoris eloquium, dicentis: Vbicunq́; fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ: concurrunt ad hęc loca, & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, ſed vna religio, tot penè pſallentium chori, quot gentium diuerſitates, & inter hęc, quæ vel prima in Chriſtianis virtus eſt, nihil arrogant ſibi de continentia ſupercilij. *Tom. 1. Epiſt. 17. ad Marcellam c. 6.*

*Iuxta Aegyptum fertilis Monachorũ Pontus & Cappadocia. Matt. 24. Peregrinatiões frequẽtes ad loca ſancta tempore Hieronymi. Pſallentium diuerſi chori*

O quando illud tempus aduenict, cum anhelus nuncium viator apportet, Marcellam noſtrã ad Paleſtinæ littus appuliſſe, & toti Monachorũ chori, tota virginum agmina concrepabunt? obuiam iam iamque geſtimus occurrere, & non expectato vehiculo, concitum pedibus ferre corp⁹. Tenebimus manus, ora cernemus, & à deſiderato vix auellemur amplexu. *Ibid. cap. 8.*

*Monachorũ chori, & virginum agmina.*

QVID ante non plures annos Nitriæ geſtum ſit, referemus: Quidam ex fratribus parcior magis quã auarior, & neſciens triginta argenteis Dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo acquiſierat, moriens dereliquit, initum eſt inter Monachos conſilium (nam in eodem loco circiter quinq́; millia diuiſis cellulis habitabant) quid facto opus eſſet, alij pauperibus, diſtribuendos eſſe dicebant, alij dandos Eccleſiæ, nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò, & Pambo, & Iſidorus, & cæteri quos Patres vocant, Sancto in eis loquente Spiritu decreuerunt infodiendos eſſe cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Nec hoc crudeliter quiſquam factum putet: tantus cunctos per totam Aegyptum terror inuaſit, vt vnũ ſolidum dimiſiſſe, ſit criminis. *Tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium, cap. 14. f.*

*Act. 8. Nitriæ monachorum quinque millia in diuiſis cellulis. Patres, Monachorum. Horrendum & memorabile exemplũ puniti proprietarij.*

NOSTRIS temporibus Roma poſſidet, quod mundus ante neſciuit. Tunc rari ſapientes, potentes nobiles, Chriſtiani, nunc multi Monachi, ſapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus ſapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis ἀρχιστρατηγὸς Monachorum. Tales Paulina morte ſua nobis liberos dedit, quos viuens concupiuerat poſſidere. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniam, quot Romæ ſunt pauperes, tot filios repentè genuiſti. *Tom. 1. Epiſt. 26. ad Pammachium cap. 2.*

*Multi Romæ Monachi ſapiẽtes, potentes, nobiles. Eſa. 54.*

NOS in iſta prouincia ædificato monaſterio, & diuerſorio propter extructo, ne forte & modo Ioſeph cum Maria in Bethlehem veniens non inueniat hoſpitium tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, vt nec cœptum opus deſere, nec ſuprà vires ferre valeamus. vnde quia penè nobis illud de Euangelio contigit, vt futuræ turris non ante computaremus expenſas, compulſi ſumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, vt ſemirutas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, & parentum communium cenſus venderet, ne cœptum ſanctorum miniſterium deſerentes, riſum maledicis & æmulis præbeamus. *Ibid. cap. 6. f.*

*Luc. 2. Turbæ Monachorum. Luc. 14. Sanctis Hieroſolymam peregrinationis cauſa venientibus miniſtrabat S. Hieronymus*

TESTOR Ieſum & Sanctos eius, ipſumq́; proprium Angelum, qui cuſtos fuit & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui, ſed quidquid dicturus ſum pro teſtimonio dicere, & minus eius eſſe meritis, quam totus orbis canit, Sacerdotes mirantur, virginum chori deſiderant, Monachorum & pauperum turbæ deplangunt. *Tomo primo, Epiſtola 27. ad Euſtochium cap. 1.*

*Virginũ chori & Monachorum turbæ.*

DELATA ad inſulam Pontiam, quàm clariſſimę quõdam fœminarum ſub Domitiano Principe pro confeſsione nominis Chriſtiani Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium, vidensque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, ſumptis fidei alis Hieroſolymam, & ſancta loca viſere cupiebat. Tardi erant venti, & omnis pigra velocitas. Inter Scyllam & Charibdim Adriatico ſe credens Pelago, quaſi per ſtagnum venit Methonen: ibique refocillato corpuſculo. Et ſale tabentes artus in littore ponens, per Maleam & Cytheram, ſparſasque æquor Cycladas, & crebris fera concita terris, poſt Rhodum & Lyciam tandem venit Cyprum: vbi ſancti & venerabilis Epiphanij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta eſt, non in refectionem, vt ille arbitrabatur, ſed in opus Dei, vt re comprobatum eſt: nam omnia illius regionis luſtrans monaſteria, prout potuit, refrigeria ſumptuum fratribus dereliquit, quos amor ſancti viri de toto illuc orbe conduxerat. *Ibidem cap. 3.*

*Cellulæ monaſticæ. Honos ſummus Epiphanio Epiſcopo exhibitus. Paula monaſteria luſtrãs refrigeria ſumptuum, fratribus reliquit.*

NEC multò poſt in Bethlehem manſura perpetuo anguſto per triennium manſit hoſpitiolo, donec extrueret cellulas ac monaſteria, & diuerſorum peregrinorum iuxta viam conderet manſiones, in qua Maria & Ioſeph hoſpitium non inuenerant. *Ibid. cap. 7.*

*Paula cellulas, monaſteria, diuerſorum peregrinorum iuxta viam condidit mãſiones*

POST virorum monaſterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuerſis prouincijs congregarat, tam nobiles, quàm medij, & infimi generis, in tres turmas, monaſteriaque diuiſit, ita duntaxat, vt in opera, & in cibo ſeparatæ, pſalmodijs & orationibus iungerentur. *Ibidem cap. 10.*

*Paula 4. monaſteria extruxit, vnũ Monachorũ tria virginũ.*

ADERANT Hieroſolymarum & aliarum vrbium Epiſcopi, & Sacerdotum inferioris gradus, ac Leuitarum innumerabilis multitudo, omne monaſterium, virginum & Monachorum chori repleuerant. Statimque vt audiunt ſponſum vocantem: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea: Quoniam ecce hyems tranſijt, & receſſit: Pluuia abijt ſibi: Lœta reſpondit: Flores viſi ſunt in terra, tempus ſectionis aduenit. *Ibidem cap. 13. Fol. 81. fac. 1.*

*Læta mors Paulæ. Cant. 2.*

AVGVSTA miſericordiæ eius Roma fuit. Peragrabat ergo inſulas, & totum Etruſcum mare, Volſcorumque prouinciam, & reconditos curuorum littorum ſinus, in quibus Monachorum conſiſtunt chori, vel proprio corpore, vel tranſmiſſa per viros ſanctos ac fideles munificentia circumibat. *Tomo primo, Epiſtola triceſima ad Oceanum, capite 3.*

*Monachorũ chori.*

AVDIO te Aegypti ſecreta penetrare, Monachorum inuiſere choros, & cœleſtem in terris circumire familiam. *Tomo primo, Epiſtola quadrageſima prima. p.*

*Monachorũ chori cœleſtis in terra familia.*

EXEMPLO eius per totam Palæſtinam innumerabilia monaſteria eſſe cœperunt, & omnes ad eum Monachi certatim currere: quod ille cernens, laudabat Domini gratiam, & pro affectu animi ſingulos cohortabatur. *To. 1. in vita Hilarionis. Folio 112. fac. 1.*

ELEGIT



ELEGIT quadraginta Monachos, qui haberent viaticum, & poſſent ieiunãtes ingredi, id eſt, poſt ſolis occaſum cibum ſumere. *Ibi. Fol. 113. fa. 1.*

AVDIO prę terea eum libenter virginum & viduarũ cellulas circumire, & adducto ſupercilio, de ſacris inter eas litteris philoſophari. *To. 2. Epiſt. 61 ad Donnionem Fol. 187. fac. 1.*

QVAE eſt hæc tanta arrogantia, non reſpõdere de fide interrogantibus? tantam fratrum multitudinem, & Monachorum choros, qui tibi in Palęſtina non communicat, quaſi hoſtes publicos ęſtimare? *Tom. 2, Epiſt. 61. ad Pamma. cap. 2.*

*Fratrum & monachorũ in Palæſtina multitudo.*

PONE verũ eſſe quod dicis: propter vnius mulierculę delicias, ne te abſente doleat caput, faſtidium ſuſtineat, ſtomacho perfrigeſcat, Eccleſiæ cauſam negligis? tot virorum & Chriſtianorum & Monachorum contemnis præſentiam? *Ibidem cap. 15.*

VNVS in pluribus es, vt ſis vnus ex pluribus. *Tom. 2. Epiſt. 62. ad Theophilum cap. 1.*

MVLTA me virginum crebro turba circumdedit. Diuinos libros vt potui, nõnullis ſæpe diſſerui. lectio aſſiduitatem, aſsiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicãt, qui vnquam in me aliter ſenſerint, quàm Chriſtianum decebat. Pecuniã cuiuſquam accepi? numera vel parua vel magna non ſpreui? In manu mea ęs alicuius inſonuit? obliquus ſermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud obijcitur, niſi ſexus meus: & hoc nunquam obijcitur, niſi cum Hieroſolymam Paula & Melania proficiſcuntur. Eſto: crediderunt mentienti: cur non credunt neganti? Idem eſt homo ipſe, qui fuerat, fatetur inſontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certè veritatem magis exprimunt tormẽta quam riſus. Niſi quod facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, vt fingatur, impellitur. Antequam domum ſanctæ Paulæ noſſem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant, omniũ penè iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Beatæ memorię Damaſus meus ſermo erat. Dicebar ſanctus: dicebar humilis & diſertus. Nũquid domum alicuius laſciuioris ingreſſus ſum? Nũquid me veſtes ſericę, nitẽtes gẽmę, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarũ, quæ meam poſſet edomare mentem, niſi lugens atque ieiunans, ſqualens ſordibus, fletibus pene cæcata, quam continuijs noctibus miſericordiam Domini deprecantem ſol ſæpe deprehendit? cuius canticum Pſalmi, ſermo Euangelium, deliciæ continentia, vita ieiunium? nulla me potuit alia delectare, niſi illa, quam manducantem nunquam vidi? ſed poſtquam eam pro ſuę meritò caſtitatis venerari, colere, ſuſcipere cœpi, omnes me ilicò deſeruere virtutes. O inuidia primũ mordax tui: O Satanæ calliditas, ſemper ſancta proſequens. Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulam præbuerunt, niſi Paula & Melania: quæ contemptis facultatibus, pignoribuſque deſertis, crucẽ Domini, quaſi quoddam pietatis leuauere vexillum? *Tom. 2. Epiſt. 99. ad Aſellam Fol. 331.*

*B. Hieronymus virginibus diuinos libros explicauit. Calumniæ ſiue falſæ ſycophantiæ quæ & hodie Lutheranorum eſt, reſpondet. B. Hieronymus omniũ iudicio dign⁹ eſt habitus Pontificatu. Lutherus quoq́; noſtro ſæculo criminẽ inceſtus ſanctiſsimo caſtiſsimoq́; viro impudenter auſus fuit impingere vt ipſe proprium inceſtum minueret. teſtis eſt Aurifaber in Colloquijs Menſalibus Lutheri Fol. 477.*

MVLTAS ſanctorum fratrum ac ſororum de veſtra prouincia ad me detulit quæſtiones, ad quas vſque ad diem Epiphaniarum largiſſimo ſpatio me reſponſurum putabam. cumq́; furtiuis noctium lucubratiunculis ad pleraſque dictarum, & expletis alijs, me ad veſtram, quaſi ad difficillimam reſeruarem; ſubito ſuperuenit, aſſerens ſe ilicò profecturum. cumque eum rogarẽ, vt differret iter, liberè mihi cœpit famem obtendere monaſteriorum, AEgypti neceſſitates, Nili non plenas aquas, multorum inediam: vt propè offenſa eſſet in Dominum, illum vltra velle retinere. *Tom. 3. Epiſt. 152. Fol. 444. fac. 1 p.*

*Dies Epiphaniarum.*

IN die illa erit Iſrahel tertius Aegyptio & Aſſyrio &c. ] Nequaquam Iſrahel inter Aegyptiũ & Aſſyrium medius elidetur, nunc Antiochis & Demetrijs ad ſe Iudæ trahentibus regnum, nunc Ptolomęis poſſeſſionem eius, ſibi vendicantibus: ſed & ipſa ſub Romano imperio, ac per hoc Chriſti imperio conſtituta, erit eius cõditionis, cuius & Aegyptus & Aſſyrij: & benedicetur in omni terra: Quia ex Sion exibit lex & verbum Domini de Hieruſalem: Tunc dicetur à Domino: Benedictus populus meus Aegypti: quando nequaquam Moyſe, ſed Chriſto Domino præeunte, infinita hominum millia ſolitudines repleuerint: & Pharaone ſubmerſo, dixerint in deſerto: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Tunc & opus manuum Domini erit in Aſſyrijs: hæ enim vel maximè gentes monachorum florent examinibus, Aegyptus & Meſopotamia: & pari inter ſe pietate contendunt. *Tom, 4. lib. 5. Comme. in cap. 19. Eſaiæ, Fol. 55. fac. 1. f.*

*Eſaiæ. 2. Infinita monachorũ millia ſolitudines Aegypti repleuerunt. Exod. 25. Monachorũ examina in Aegypto & Meſopotamia.*

NE dicant Monachi: Ecce tantæ multitudines, ciuitates plenæ ſunt, omnis orbis: nemo ergo ſaluatur, niſi qui in monaſterijs eſt? Ecce tantæ multitudines: nos ergo ſoli ſaluamur? Quando ergo hoc cogitaueris, audi: Ne timeas grex paruule, quia complacuit patri habitare in te. Et nunc lectum eſt in Euangelio: quod vna anima ſaluatur, & duo millia porcorum pereant. Hoc totum quare dico? Quoniam pretioſior eſt vnius ſancti anima, quàm infinitę multitudines peccatorum. De toto mundo duodecim elegit Apoſtolos: de duodecim vnus receſsit, remanſerunt vndecim. Venit crux, decem fugerunt: remanſit vnus Petrus. vnus cum vno. Et ipſe vnus fugit, et vtinam fugiſſet, & non negaſſet. Ergo dicamus vniuerſum genus humanum perijt. Quoniam perierat propterea Dominus crucifixus ait: Torcular calcaui ſolus, de gentibus non eſt vir mecum. Eo tẽpore completus eſt Pſalmus: Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus. Non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum. Ille qui promiſerat dicens: Si me neceſſe eſt mori, aut ire in carcerem, non te negabo, negauit. Hoc totũ quare dico? Quia Monachus non debet aſpicere multitudinem peccatorum, ſed ad conuerſationem, & paucitatem ſanctorum. Vniuerſa Iudæa ducebatur in captiuitatem. Venerat Nabuchodonoſor, tanta hominum millia ducebantur captiua in Babylonem, ſolus Hieremias erat, qui confitebatur Deum, & ipſe mittebatur in lacum luti, & tamen pretioſior erat vnius illius anima, quàm omnis populi. Vultis quid faciat vnus homo? Ieſus filius Naue cum vniuerſa terra habitaretur, ſolus erat. Vtiq́; erant infinitæ multitudines, & ille ſolus erat. Solus imperat Soli & Lunæ & ſtat: homo iubet & cœlum audit. Audit illum cælum quia ipſe audiebat Dominum. Hieremias erat in captiuitate: erant autẽ & multę multitudines. Et quid dicit? Solus ſedebam, quia amaritudine plenus sũ. Quo modo ſolus in ciuitate eras? Sed ideo ſolus quia propoſiti mei ſocium nõ habebam. *Tom. 7. Commen. in Pſalm. 143. Fol. 178. fac. 2. m.*

*Marc. 5. Pauci ſancti ſaluantur et maximè in monaſterijs. Vnius ſancti anima pretioſior quã infinitæ multitudines peccatorum. Eſaiæ. 63. Pſalm. 11. Matt. 14. Monachus reſpicere debet non ad multitudinẽ peccatorum ſed ad paucitatẽ ſanctorum. Hier. 15. Ioſue. 10. Hierem. 15.*



Ai

## *Articulus V. Hieronymum fuiſſe Monachum, & Monachorum inſtitutorem.*

*Hæc ſubſequentia teſtimonia inſpiciant Eraſmiani, qui Hieronymũ monachũ fuiſſe pernegãt. Eraſmus in præfatione ante opera Hieronymi. Hieronymi monachi in ſolitudine pænitentia.*

O Quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis prętſtãt habitaculũ putabam me Romanis intereſſe delicijs. ſedebã ſolus, quia amaritudine repletus eram, horrebãt ſacco mẽbra deformia: & ſqualida cutis ſitim Aetiopicæ carnis obduxerat. quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus immines oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. *Tomo primo, Epiſtol. 22. ad Euſtochium cap. 3.*

*Rigida monaſtica abſtinentia.*

Nos in iſta prouincia ædificato Monaſterio, & diuerſorio propter extructo, ne forte & modo Ioſeph cum Maria in Bethlehem veniens non inueniat hoſpitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, vt nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeamus. Vnde quia penè nobis illud de Euangelio contigit, vt futurę turris nõ ante computaremus expenſas, compulſi ſumus fratrem Paulinianum ad patriã mittere, vt ſemirutas villulas, quę barbarorum effugerunt manus, & parentum cõmunium cenſus venderet, ne cœptum ſanctorum miniſterium deſerentes, riſum maledicis & æmulis præbeamus. *Tom. 1. Epiſtola. 26. ad Pammachium cap. 6. f.*

*Luc. 2. Hieronymus pater monachorum in monaſterio à Paula extructo ſanctis miniſtrat.*

Scis ipſe (tibi enim patent pectora ſingulorũ, qui cordis arcana, qui tantæ beſtię aluo incluſum prophetam in profundo vides). vt ego & ille pariter à tenera infantia ad florentem vſque adoleuerimus ætatem; vt ijdem nos nutricum ſinus, ijdem amplexus fouerint baiulorum, & cum poſt Romana ſtudia ad Rheni ſemibarbaras ripas, eodem cibo, pari frueremur hoſpitio, vt ego primus cœperim velle te colere. Memento quæſo, hunc bellatorem tuum mecum quondam fuiſſe tyronem. Habeo promiſſum Maieſtatis tuæ. Qui docuerit & nõ fecerit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem docuerit, & fecerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. Fruatur ille virtutis corona, & ob quotidiana martyria ſtolatus agnum ſequatur. Multæ enim ſunt manſiones apud patrem. Et ſtella à ſtella differt in claritate. Mihi concede, vt inter ſanctorum calcanea caput poſſim leuare: vt cum ego voluerim, ille perfecerit, mihi ignoſcas, quia implere non potui, illi tribuas præmium, quod meretur. *Tom. 1. Epiſt. 41. ad Ruffinum f.*

*Ionæ. 14.*
*Colonienſes & Treuirenſes inuiſit Hieronymus.*
*Monaſticam vitam prim⁹ agreſſus Hieronymus. Matt. 5.*
*Apoc. 7. 14. Ioan. 14.*
*1. Cor. 1. 5.*

Hieronymvs & ij, qui cum eo ſunt, & ſecreto & coram omnibus, frequentiſſimè, & ſub iuſiurandi teſtificatione ſatis ei fecerunt, quod nunquam de nobis ambiguitatem aliquam habuerint fidei, dicentes: Quo modo eo tempore, quando communicabamus ei, nunc ſimiliter eũdem affectum habemus de ratione fidei. Videte quid faciat concordia dogmatum. Iſidorus, qui vt hæc ſignificaret, eius ſocius erat, homo Dei & presbyter θεοσεβέστατος, & vir potẽs, & ſacro ac venerabili inceſſu, & diuinæ intelligentiæ, & Hippocrates Chriſtianorũ vocatur. Ego miſellus, dũ in ſolitudine deliteſco, à tãto Pontifice repente trũcatus, presbyteri nomen amiſi. Et tamen iſte Hieronymus cũ pannoſa turba & ſordidatis gregibus, quid Iſidoro illi fulmineo auſus eſt reſpõdere? At ne forte ille non crederet, & opprimeret eos pręſentia, & mole corporis ſui, non ſemel nõ tertio, ſed frequentiſsime iurauerunt, ſe eum de quo quæſtio erat, ſcire Orthodoxũ, nec vnq̃ in ſuſpicione habuiſſe hæreſeos. O apertum impudenſque mendacium: O teſtimonium pro ſe, nec Catoni creditum. *Tom. 2. Epiſt. 61. ad Pammach. cap. 15. Fol. 223. fac. 2.*

*[...]ſsima [...] [...]dia.*
*Iſidorus Hippocrates Chriſtianorum.*
*Hieronymus cum pannoſa turba et ſordidatis gregibus monachus.*

Si ſic presbyterium tribuis, vt Monachum nobis nõ auferas: tu videris de iudicio tuo, ſin autẽ ſub nomine presbyteri tollis mihi, propter qđ ſæculum dereliqui: ego habeo quod ſemper habui: nullum diſpendium in ordinatione paſſus es. *Ibid. cap. 16. fac. 1.*

*Hieronymus monachus et presbyter.*

Nomen meum abſq; vllis officijs, quibus nos inuicem palpare ſolemus homines, frequẽter aſſumitur, carpitur, ventilatur, quaſi de libro viuẽtiũ deletus ſim: quaſi illius me litteræ ſigillauerint, aut iſtiuſmodi nugas vnquã quęſierim: q ab adoleſcentia in monaſterij clauſus cellulis, magis eſſe voluerim aliquid, quam videri. *Tom. 2. Epiſt. 62. ad Theophilum cap. 2. Fol. 226. fac. 1.*

*Hieronymus ab adoleſcẽtia in monaſterij cellulis fuit clauſus.*

Nvper nobis poſtulauit, & impetrauit exilium: atq; vtinam implere potuiſſet: vt ſicut illi voluntas imputatur pro opere, ita & nos non ſolum voluntate, ſed & effectu coronam haberem⁹ exilij. Fundendo ſanguinem, & patiendo magis, quam faciendo contumelias Chriſti fundata eſt Eccleſia. Perſecutionibus creuit, martyrijs coronata eſt, aut ſi iſti ſoli iuxta quod legimus, amant rigorem, & non nouerunt perſecutionem ſuſtinere, ſed facere: ſunt & hic Iudæi, ſunt variorum dogmatum hæretici, & maximè impuriſsimi Manichæi: cur eorum ne verbo quidem quempiam audent lædere, nos ſolos expellere cupiunt? Nos ſoli qui Eccleſiæ communicamus, Eccleſiã ſcindere dicimur? Oro te, nonne æqua eſt iſta poſtulatio, vt aut illos nobiſcum expellant, aut nos cũ illis teneant? Niſi quod in eo magis honorant, quos ſaltem exilio ab hæreticis ſeparant. Monachus prô dolor, monachis & minatur, & impetrat exilium: & hoc Monachus, Apoſtolicam cathedram habere ſe iactans. Non nouit terrori natio iſta ſuccumbere, & impendenti gladio magis ceruices, quàm manus ſubijcit. Quis enim Monachorum, exul patrię, non exul eſt mundi? Quid opus eſt auctoritate publica, & reſcripti impendijs & toto orbe diſcurſibus? Tangat ſaltem digitulo & vltro exibimus. Domini eſt terra & plenitudo eius. Chriſtus loco non tenetur incluſus. *Ibid. ca. 4. Fol. 226. fac. 2.*

*Sententia ex Cypriano & Tertulliano repetita ſæpe vſurpata ab Auguſtino.*
*Hieronymus monachus.*
*Monachi facti Epiſcopi.*
*Pſal. 23.*

Non ambimus ſacerdotiũ, qui latemus in cellulis nec humilitate damnata Epiſcopatum auro redimere feſtinamus, nec electum Pontificem à Deo, rebelli cupimus mente iugulare: nec fauendo hæreticis hæreticos nos docemus: pecunias nec habemus, nec habere volumus, habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus: Illud de aſcenſore montis Dominici iugiter decantantes: Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. *Tom. 2. libr. 1. aduerſus Ruffinum cap. 7. f.*

*Hieronymus latet in cellulis monach⁹.*
*1. Tim. 6.*
*Pſal. 23. 14.*

Sanctos fratres qui tecum ſunt in Monaſterio Dño ſeruientes, & tecum & per te plurimum ſalutamus. *Tom. 2. Epiſtol. 73. ad Hieronymum f.*

*Salutat Auguſtinus Hieronymũ monachum cũ ſuis fratrib⁹.*

Pvdet dicere: De cauernis cellularum damnamus orbẽ. In ſacco & cinere volutati de Epiſcopis ſentẽtiã ferim⁹. Quid facit ſub tunica pęnitentis regius animus? Catenæ ſordes & comæ nõ ſunt diadematis ſigna, ſed fletus. Permittant me quæſo nihil loqui. Cur eũ lacerant, qui non meretur inuidiam? Hæreticus ſum, quid ad te? quieſce iam dictum eſt. Plane times ne eloquentiſſimus homo in Syro ſermone vel græco Eccleſias circumeam, populos ſeducam, ſchiſma conficiam. Nihil alicui præripui, nihil otioſus accipio. Manu quotidie & proprio ſudore quærimus cibum, ſcientes ab Apoſtolo ſcriptum eſſe: Qui autem non operatur, nec manducet. *Tom. 2. Epiſt. 77. ad Marcum. Fol. 302. fac. 2.*

*Monaſtica pænitentia.*

tentis



*Hieronymus græco & Syro ſermone eloquens.*
*Monachorũ labores & opera. 2. Teſſ. 3.*

Hoc ſi placet, imo quia placet, vt quicunque credunt ex Iudæis, debitores ſunt legis faciendæ tu vt Epiſcopus in toto orbe notiſſimus, debes hanc promulgare ſententiam, & in aſſenſum tuũ omnes coepiſcopos trahere. Ego in paruo tuguriolo cum Monachis, id eſt, cum compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenuè confiteri, me maiorum ſcripta legere, & in commentarijs, ſecundũ omnium conſuetudinẽ, varias ponere explanationes, vt è multis ſequatur vnuſquiſq;, quod velit. quod quidem reputo & in ſæculari litteratura, & in diuinis libris me legiſſe, & probaſſe. *Tom. 2. Epi. 89. cap. 2. Fol. 316. fa 1.*

*Hieronymus monachus.*
*Conſuetudo familiaris Hieronymo in ſcribendis Cõmentarijs.*

Qvæso ne mihi imperitorum plebeculam concites, qui te venerantur vt Epiſcopum, & in Eccleſia declamantem, ſacerdotij honore ſuſcipiunt, me autem ætatis vltimę & pene decrepitũ ac monaſterij & ruris ſecreta ſectantem, parui pẽdunt, & quæras tibi, quos doceas, ſiue reprehendas. Ad nos enim tantis maris atque terrarum, ſpatijs à te diuiſos vix vocis tuæ ſonus peruenit. *Ibid. cap. 5.*

*Hieronymus monaſterij & ruris ſecreta ſectatur.*

Tv qui Iuuenis es, & in põtificali culmine cõſtitutus doceto populos, & nouis Africæ frugib. Romana tecta locupletato. Mihi ſufficit, cum auditore & lectore pauperculo in angulo monaſterij ſuſurrare. *Ibid. ca. 6.*

*Hieronymus in ãgulis monaſterij ſuſurrat.*

Vt ante iam ſcripſi, aut mitte eandem Epiſtolam tua ſubſcriptam manu: aut ſenem latitãtem in cellula laceſſere deſine. Sin autem tuam vis vel exercere vel oſtendere doctrinam, quære iuuenes & deſertos & nobiles, quorum Romæ dicuntur eſſe quamplurimi, qui poſſint & audeant tecum cõgredi, & in diſputatione ſanctarum ſcripturarum, iugum cum Epiſcopo ducere. *To. 2. Epiſto. 92. ad Auguſtinum fac. 2.*

*Hieronymus ſenex latitat in cellula.*

Nos in Monaſterio conſtituti, varijs hinc inde fluctibus quatimur: & peregrinationis moleſtias ſuſtinemus. ſed credimus in eo qui dixit: Confidite, ego vici mundum: quod ipſo tribuente & præſule, contra hoſtem diabolum victoriam conſequemur. *Tom. 2. Epiſt. 98. ad Auguſtinum.*

*Hieronymus in monaſterio conſtitutus. Ioan. 16.*

Erat in Monaſterio noſtro vir apud ſuos haud ignobilis, Euſebius Cremonenſis, qui cum hæc Epiſtola per multorum ora volitaret, & mirarentur eam pro doctrina & puritate ſermonis docti pariter & indocti cœpit à me obnixiè petere, vt ſibi eam in Latinum verterem, & propter intelligendi facilitatem, apertius explicarẽ. *Tom. 2. Epiſt. 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi cap. 1. Fol. 332. fac. 1.*

*Hieronymi monaſteriũ.*
*Euſebij Cremonẽſis laus*

Secvndvm orationibus veſtris ô Paula & Euſtochium ad Epheſios aggredimur librum: noua quoque Romam munuſcula tranſmiſſuri. Non quod hæc dignetur legere doctorum ſenatus, & bibliothecis veterum aſcribere: ſed quod ſancta Marcella idipſum fieri per Epiſtolas flagitet. Cuius ergo quotieſcunque ſtudiorum, ingenij laboris recordor, toties me damno inertię, qui in monaſterij ſolitudine conſtitutus, & illud præſepe contra videns, in quo vagientem partulum ęſtiui adorauere paſtores, id facere non poſſum quod mulier nobilis inter ſtrepentem familiam & procurationem domus explet operis ſucciſius. *Tom. 6. lib. 2. Commentar. in Epiſtolam ad Epheſios ibidem in proœmio p.*

*Interceſſio ſanctorum.*
*Hieronymus in monaſterij ſolitudine conſtitutus.*

## *Articulus VI. Facultates ſuas relinquere propter Chriſti conſilij eſſe Euangelici, & meriti ſingularis.*

Baltheo, poſito, habituque mutato, quicquid caſtrenſis peculij fuit, in pauperes erogauit. legerat enim, Qui vult perfectus eſſe, vendat omnia quę habet, & det pauperibus & ſequatur me, & iterum: Non poteſtis duobus Dominis ſeruire, Deo & Mammonæ. Excepta vili tunica & operimento pari, quo tecto tantũ corpore frigus excluderet. nihil ſibi amplius reſeruauit. *To. 1. Epiſt. 3. ad Heliodorum Cap. 6. Fol. 9. fac 2.*

*Heliodori voluntaria paupertas.*
*Matth. 19.*

Alii nummum addant nummo, & in marſupium ſuffocantes, matronarum opes venentur obſequijs: ſint ditiores Monachi, quam fuerant ſæculares: poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete diabolo non habuerant, & ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Nepotianus noſter, aurum calcãs, ſcedulas conſectatur, & ſicut ſui in carne contemptor eſt, & paupertate incedit ornatior, ita totum animæ inueſtigat ornatum. *Ibidem cap. 8. & cap. 5. ibidem paupert. v, abſtinentia, & rigidæ monaſticæ vitæ exercitia deſcribuntur.*

*Nepotiani paupertas.*

Qvid igitur? ſolitariam vitam reprehendimus? Minimè, quippe quàm ſępe laudauimus: ſed de ludo Monaſteriorum huiuſcemodi volumus egredi milites quos eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſuæ multo tempore dederint, qui omniũ fuerint minimi, vt primi omnium fierent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, ſermo vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt, qui neſciunt ſecundũ quoſdam ineptos homines, dæmonum pugnantium contra ſe portenta confingere; vt apud imperitos & vulgi homines miraculum ſui faciant, & exinde lucra ſectentur. Vidimus nuper, & plãximus. Cræſi opes vnius morte deprehenſas, vrbiſq; ſtipes quaſi in vſus pauperum congregatas, ſtirpi & poſteris derelictas. Tũc ferrum quod latebat in profundo, ſupernatauit aquę & inter palmarum arbores, myrrhe amaritudo monſtrata eſt. Nec mirum, talem & ſocium, & magiſtrũ habuit: qui egentium famẽ ſuas fecit eſſe diuitias: & miſeris derelicta in ſuam reſeruauit miſeriã, quorum clamor tandem peruenit ad cælum, & patientiſſimas Dei vicit aures; vt miſſus angelus peſſimus Nabal Carmelo diceret: Stulte hac nocte auferent animã tuam à te: quæ autem præparaſti, cuius erunt? *Tomo primo, Epiſtola quarta, ad Ruſticum capite quarto.*

*Quales eſſe debeant monaſticæ vitæ cultores deſcribit.*
*Proprietatis monaſticæ periculosũ exemplum vide ſupra art. 4. ex tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 14.*
*4. Reg. 6. Exod. 15.*
*1 Reg 25. Lucæ. 12.*

Clericatvm non honorem intelligens, ſed onus primam curam habuit, Vt humilitate ſuperaret inuidia deinde vt nullam obſcœni in ſe rumoris fabulã daret, vt qui mordebãtur ad ętatẽ eius, ſtuperent ad continẽtiã, ſubuenire pauperib⁹, viſitare languẽtes, puocare hoſpitio, lenire blãditijs gaudere cũ gaudẽtib⁹, flere cũ flẽtib⁹.

*Humilitate ſuperatur inuidia.*
*Nepotiani laus.*

Cæcorum

Cęcorum baculũ,eſurientium cibus,ſpes miſerorum,ſolamen lugentiũ fuit.Ita in ſingulis virtutibus eminebat,quaſi cęteras non haberet. *Tom.1. Epiſt.3.in Epitaphio Nepotian.cap.7.*

PLERIQVE artibus & negotiationibus priſtinis carere nõ poſſunt,mutatiſq; nominib.inſtitorum,eadem exercent commercia,non victum

*1.Tim.6.*

& veſtitum,quod Apoſt.pręcipit,ſed maiora,quã ſęculi homines emolumẽta ſectãtes,& prius quidem ab ędilibus,quos ἀγορανόμους Gręci appellãt, vendẽtiũ coërcebatur rabies,nec erat impune peccatũ:nũc autẽ ſub religionis titulo exercẽtur

*Reprehẽdit clericos & monachos negotiatores.*

iniuſta cõpendia,& honor nominis Chriſtiani,fraudem magis facit,quã patitur,quodq; pudet dicere,ſed neceſſe eſt,vt ſaltẽ ſic ad noſtrũ erubeſcam⁹ dedecus:publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus,& contra omnium opinionẽ plenis ſacculis morimur diuites, qui quaſi pauperes viximus.Tibi cũ in monaſterio fueris hęc facere nõ licebit : & inoleſcente paulatim conſuetudine, quod primum cogebaris,velle incipies, & delectabit te labor tuus,oblituſque præteritorũ, ſemper priora ſectaberis,nequaquã conſiderans,quid alij mali faciant,ſed quid boni tu facere debeas. *Tom.1.epiſt.4.ad Ruſtic.cap.7.*

*Paupertas voluntaria eſſe debet nõ coacta.*

VTINAM,quod renũciamus ſęculo,voluntas ſit,nõ neceſſitas,& paupertas habeat expetita gloriã,non illata cruciatũ. Cæterum iuxta miſerias huius temporis, & vbiq; gladios ſæuientes, ſatis diues eſt,qui pane non indiget. Nimium potens eſt,qui ſeruire non cogitur .Sanctus Exuperius.

*3.Reg.17.*

Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallẽte ieiunijs, fame torquetur aliena,omnemq; ſubſtantiam Chriſti

*Exuperij Tholoſai epiſcopi commendatio.*

viſceribus erogauit.Nihil illo ditius, qui corpus Domini camiſtro vimineo,ſanguinẽ portat in vitro;qui auaritiam eiecit è templo,qui abſq; funiculo,& increpatione, cathedras vendentium columbas,id eſt,dona ſancti ſpiritus,menſaſq; ſubuertit mammonæ, & nummulariorum æra diſ-

*Matt.21.*

perſit; vt domus Dei, domus vocetur orationis, & non latronum ſpelunca. Huius tu è vicino ſectare veſtigia,& cęterorum, qui virtutũ illius ſimiles ſunt, quos ſacerdotiũ & humiliores facit, & pauperes:Aut, ſi perfecta deſideras, exi cũ Abraham de patria,& cognatione tua,& da paupe-

*Gen.12.*

ribus:ſi non habes,grandi onere liberatus es: nudum Chriſtum nudus ſequere. Durum,grande, difficile,ſed magna ſunt præmia. *Ibid. cap.10.*

FERTVR,& omnium Chriſtianorũ laude celebratur,quicquid fuerat nuptijs pręparatũ, à ſãcta Chriſti Sinoride virgini traditum,ne ſponſo fieret iniuria: imò vt dotata priſtinis opibus veniret ad ſponſum,& quod in reb. mundi periturum erat,domeſticorum Dei ſuſtentaret inopiã. Quis hoc credat?Proba illa,omniũ dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomẽ illu-

*Clerici & monachi nõ debent emere prædia tãta nobilitate vendente: lege Codicem & Iuriſconſultos.*

ſtrius,cuius ſanctitas,& in vniuerſos effuſa bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum Probini,Olibrij,& Probi,non fatigarunt ordinarij conſulatus,& cum, incenſis direptiſq; domibus,in vrbe captiuitas ſit,nũc habitas venũdare dicitur poſſeſſiones.& facere ſibi amicos de iniquo Mammona, qui ſe recipiant in

*Luc.16.*

ęterna tabernacula;vt erubeſcant omnis Eccleſiaſtici miniſterij gradus, & caſſa nomina Monachorum emere prædia, tanta nobilitate vendente. *Tom 1. Epiſt. 8. cap. 4.*

APOSTOLICI faſtigij eſt, perfectæq; virtutis vendere omnia,& pauperib. diſtribuere,& ſic leuem atque expeditum cũ Chriſto ad cœleſtia ſubuolare. Nobis, immò tibi diligens credita eſt diſpenſatio:quamquam in hoc omni ætati, omnique perſonæ libertas,arbitrij relicta ſit.Si vis,inquit,eſſe perfectus.Non cogo,nõ impero,ſed propono palmam,oſtendo præmia :tuũ eſt eligere ſi volueris in agone atq; certamine coronari.Et cõſideremus,quã ſapienter ſapientia ſit locuta:Vẽde:quę habes: Cui iſta præcipiuntur ? nempè illi, cui dictũ eſt:Si vis eſſe perfectus.Non partẽ bono-

*Deus cõſulit non imperat paupertatẽ.*

rum tuorũ vende,ſed omnia.Cumq; vendideris, qd ſequitur?Et da pauperibus. Nõ diuitibus, nõ propinquis,non ad luxuriam,ſed ad neceſſitatẽ. Siue ille ſacerdos ſit,ſiue cognatus, & affinis, nihil in illo aliud conſideres, quam paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, non ructantiũ

*Actor.4. Actor.5.*

opulenta cõuiuia.In Actis Apoſtol. quãdo Domini noſtri adhuc calebat cruor,& feruebat recẽs in credẽtib.fides,vendebant omnes poſſeſſiones ſuas,& pretia earũ ad Apoſtolorum deferebant, pedes, vt oſtẽderent pecunias eſſe calcandas,dabaturq; ſingulis, prout cuiq; opus erat. Ananias & Saphyra,diſpenſatores timidi, imò corde duplici,& ideo condẽnati,quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua,& non eius cui ſemel ea vouerant;

*Poſt votum nihil proprij habent Monachi.*

partemq; ſibi iã alienæ ſubſtantię reſeruauerunt, metuentes famem,quã vera fides non timet; præſentẽ meruere vindictã non credulitate ſententiæ,ſed correptionis exẽplo.Deniq; & Apoſtolus

*Vera fides nõ timet inopiã.*

Petrus nequaquã imprecatur eis mortem,vt ſtultus Porphyrius calumniatur ,ſed Dei iudicium prophetico ſpiritu annunciat, vt pœna duorum hominum,ſit doctrina multorũ.Ex eo tempore quo virginitati perpetuę conſecrata es,tua nõ tua ſunt,immo verè tua quia Chriſti eſſe cœperunt, quæ auia viuente,vel matre, ipſarũ arbitrio diſpenſanda ſunt. *Tom. 1 .Epiſt.8.ad Demetriadẽ cap .7.*

DENIQVE & tu, audita ſententia Saluatoris:

*Matt.19.*

Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia, quæ habes,& da pauperibus, & veni ſequere me: verba vertis in opera,& nudam crucẽ nudus ſequens ex-

*Paulini paupertas.*

peditior & leuior ſcãdis ſcalam Iacob. Tunicam mutas cum animo:nec pleno Marſupio, glorioſas ſordes appetis,ſed puris, manibus, & candido pectore,pauperem te & ſpiritu & operibus gloriaris.Nihil eſt enim grande,triſti & lurida facie vel ſimulare vel oſtentare ieiunia,poſſeſſionũ redditibus abũdare, & vile iactare palliolum. Crates ille Thebanus,homo quondã ditiſſimus,cum ad philoſophandũ Athenas pergeret,magnum auri pondus abiecit,nec putauit ſe ſimul poſſe & virtutes & diuitias poſſidere. Nos ſuffarcinati auro Chriſtum pauperem ſequimur, & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes,quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timidè reſeruamus? Plenus venter facilè de ieiunijs diſputat. *Tomo.1.Epiſtol.13. ad Paulinum capite primo.*

*Exemplum proprietarij admodũ notabile.*

QVID ante non plures annos Nitriæ, geſtum ſit,referemus.Quidam ex fratrib. parcior magis quàm auarior, & neſciens triginta argenteis Dominum venditum,centũ ſolidos,quos lina texendo acquiſierat,moriens derelinquit, initium eſt inter Monachos conſilium ( nam in eodem loco circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant)quid facto op⁹ eſſet,alij pauperib.diſtribuendos eſſe dicebant,alij dandos Eccleſię,nõnulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo,&



Iſidorus,& cæteri quos patres vocant, ſancto in eis loquente ſpiritu, decreuerunt infodiẽ-

*Pecunia proprietarij poſt mortem eius inuenta defoſſa fuit in terra.*

dos eſſe cum eodẽ dicentes.Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ. Nec hoc crudeliter quiſquã putet factum: tantus cunctos per totam Aegyptũ terror inuaſit,vt vnum ſolidum dimiſiſſe,ſit criminis. *Tõ.1. Epiſt.22.ad Euſtoch.cap.14.f.*

*Vnum ſolidũ dimiſiſſe eſt criminis.*

AD tertium genus veniam,quos Anachoratas vocant:qui & de cœnobijs exeuntes, excepto pane & ſale,ad deſerta nihil perferũt amplius.Huius vitæ auctor Paulus,illuſtrator Antonius,& vt ad ſuperiora conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta fuit. Talem verò virum Hieremias quo-

*Luc.1. Thren.3.*

que propheta deſcribit,dicens: Bonum eſt viro, cũ portauerit iugum ab adoleſcẽtia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit,quoniã ſuſtulit ſuper ſe iugũ, & dabit percutienti ſe maxillam,ſaturabitur opprobrijs,qa non in ſempiternum abijciet Dominus. Horũ laborem & conuerſationem in carne

*Euſtochium oẽs diuitias in Chriſto debet haberet repoſitas.*

non carnis, alio tempore ſi volueris explicabo. Nunc ad propoſitum redeam, quia de auaritia diſſerens,ad Monachos veneram. Quorum tibi exemplum proponens,non dico aurum atque argentum & cæteras opes,ſed ipſam terram & cælũ deſpiciens. & Chriſto copulata,cãtabis: Pars mea

*Pſal.15.*

Dominus. *Ibid.cap.16.*

TEIPSAM conſiderans,noli in alterius ruina,

*Periculoſa exempla virorum habẽtium propria vitanda.*

ſed in tuo opere gloriari.Nec illarum tibi exempla proponas quæ carnis curam facientes poſſeſſionũ redditus & quotidianas domus impenſas ſupputant. Neque.n. vndecim Apoſtoli Iudę ꝑditione ſunt fracti:nec Phileto & Alexãdro faciẽ-

*2.Tim.2.*

tibus naufragium cęteri à curſu fidei ſubſtiterũt. Nec dicas,Illa & illa ſuis rebus fruitur,honoratur ab hominib⁹:fratres ad eã cõueniũt & ſorores.Nũ quid ideo virgo eſſe deſijt?Primũ dubium eſt, an

*1.Reg.16.*

virgo ſit talis.Non.n.quo modo videt homo,videt De⁹.Homo videt in facie, Deus autẽ videt in

*1.Cor.7.*

corde.Dehinc,etiam ſi corpore virgo eſt,an ſpiritu virgo ſit,neſcio. Apoſtolus autẽ ita virginem definiuit:vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Ad extremũ habeat ſibi gloriam ſuam. Vincat Pauli ſentẽtiam,delicijs fruatur,& viuat.Nos meliorum exempla ſectemur. *Ibid.*

ET adhuc ſic locutus ſum,quaſi vnã de turbis cõuenerim Chriſtianã. Nunc vero,cum ſciã toti te renũciaſſe mũdo, & abiectis calcatiſq; delicijs

*Paulæ paupertas.*

ſęculi,orationi,ieiunijs lectioni vacare quotidie, cũ ad exẽplum Abrahã cupias exire de terra tua & de cognatione tua,vt & Chaldęis & Meſopotamia derelictis terrã repromiſſionis introeas,cum omnẽ ſubſtantiolam aut pauperib. dilargita ſis, aut filijs ante mortẽ mundo mortua dederis. Miror te ea facere,quę ſi facerẽt cæterę, reprehẽſione dignæ viderentur. *To.1.Epi. 25. ad Paulam cap.5.*

PARS ſacrilegij eſt,rẽ pauperum dare nõ pauperibus.Et tamẽ non eſt ſatis perfecto & cõſummato viro opes contẽnere,pecuniam diſſipare,& proijcere,q in momento & perdi & inueniri poteſt. Fecit hoc Crates, Thebanus,fecit Anthiſte-

*Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare,quam mũdi philoſophus.*

nes,fecerũt plurimi,quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus pręſtare,quàm mũdi philoſophus,glorię animal & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi nõ ſufficit opes contemnere,niſi Chriſtũ ſequaris.Chriſtum autem ſequitur qui peccata dimittit,& virtutum comes eſt. Chriſtum ſcimus ſapientiam. *Tom.1. Epiſt.26.ad Pamma.cap.4.*

FATEOR,nulla ſic amauit filios,quib.anteq̃ proficiſceretur, cuncta largita eſt , exhæredans ſe in

*Qui ſe in terra exhæredat hæreditatem in cælo inueniet.*

terra,vt hæreditatẽ inueniret in cęlo. *Tom.1.Epiſt. 27.ad Euſtochium cap.5.*

SEMINABAT carnalia,vt meteret ſpiritualia: dabat terrena,vt cœleſtia tolleret:breuia concedebat,vt pro his ęterna mutaret. *Ibid.cap.10.*

*Qui dimittit terrena tollit cæleſtiã.*

QVAE maluit inimicitias hominũ ſubire perpetuas,quam Dei offenſam amicitijs noxijs prouocare: *Ibid.cap.12.*

TESTIS eſt Ieſus,ne vnum quidem nummũ ab ea filiæ derelictum,ſed vt ante iam dixi, derelictum magnum ęs alienum,& quod his difficilius eſt,fratrũ & ſororum immẽſam multitudinẽ, quos & ſuſtentare arduum, & abijcere impiũ eſt. Quid hac virtute mirabilius fœminã nobiliſſi-

*Paula omniã elargita vt ad egeſtatẽ peruenerit.*

mę familię magnis quondã opib⁹ tanta fide omnia dilargitam,vt ad egeſtatẽ penè vltimam perueniret?Iactent alij pecunias & in corbonam Dei ęra cõgeſta,funalibuſq; aureis dona pendẽtia, nemo plus dedit pauperib⁹,quàm quę ſibi nihil reſeruauit.Nũc illa diuitijs fruitur,& ijs bonis,quę nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt. *Ibidem cap.14.p.*

ABRAHAE dicitur:Egredere de terra tua,& de

*Gen.12.*

cognatione tua,& de domo patris tui, & vade in terrã,quã monſtrauero tibi.reliquit Chaldęã,reliquit Meſopotamiã:quęrit quod neſcit, ne perdat quod inuenerat. Non.n.arbitratus eſt ſimul ſe habere poſſe,& patriam & Dominum, ſed iam tunc illud prophetæ Dauid opere cõplebat: Ad-

*Pſal.38.*

uena ego ſum apud te,& peregrinus ſicut oẽs patres mei. Hæbręus,id eſt, περάτης, atque trãſitor, dũ non eſt præſenti virtute cõtentus,ſed pręteritorũ obliuiſcens,in futurũ ſe extẽdit,& ſcit illud: Ibũt de virtute in virtutẽ, myſticũ ſortitus eſt no-

*Pſal.83.*

mẽ &, viã tibi aperuit, quo modo nõ quęras eaq; tua ſunt,ſed quę aliena:& illos putas parẽtes, fratres,affines atq; cognatos,q tibi in Chriſto copulati ſunt. Mater inqt mea,& fratres mei ſunt hi,qui

*Matt.12.*

faciunt voluntatem patris mei. Habes tecum prius in carne nunc in ſpiritu ſociam, de coniuge germanam, de fœmina virum, de ſubiecta parẽ,

*perfectio paupertatis Euangelicæ comẽdata.*

quæ ſub eodem iugo ad cœleſtia ſimul regna feſtinat. Cauta rei familiaris diſpenſatio, & ad calculos rediens,non cito deponitur. Ioſeph cum tunica Eegyptiam effugere non potuit. Adoleſcẽs

*Gene.39.*

ille qui opert⁹ ſindone ſequebatur Ieſũ:quia ten-

*Mar.14.*

tus fuerat à miniſtris, terrenũ abijciens operimẽtum,nudus euaſit. Helias igneo curru raptus ad cælum,melotẽ reliquit in terris. Heliſæus boues & iuga prioris operis vertit in vota. Loquitur ſa-

*4.Reg.2. 3.Reg.19.*

pientiſſimus vir:Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Quamdiu verſamur in rebus ſęculi,& anima noſtra poſſeſſionũ ac redituum procuratio-

*Eccleſ.13.*

ne deuincta eſt,de Deo liberè cogitare non poſſumus.Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate,aut quę ſocietas lucis ad tenebras?qui cõſen-

*2.Cor.6.*

ſus Chriſti ad Belial ? quæ pars fideli cũ infideli? Non poteſtis,inquit,Dominus Deo ſeruire & mãmonæ:Aurum deponere, incipientium eſt, non perfectorũ. Fecit hoc Crates Thebanus,fecit Antiſthenes ſeipſum offerre Deo,propriè Chriſtianorũ eſt & Apoſto. qui duo cũ vidua paupertatis ſuæ in Gazophilaciũ æra mittentes totum cenſũ, quem habuerunt,Domino tradiderunt, & merentur audire:Sedebitis ſuper duodecim ſolia, iudicantes duodecim tribus Iſrahel. Hæc & ipſe intelligis quo animo replicem, & quod ſub alijs verbis te ad ſanctorũ locorũ inuitẽ habitaculum.

Abun-

Cęcorum baculũ,eſurientium cibus,ſpes miſerorum,ſolamen lugentiũ fuit.Ita in ſingulis virtutibus eminebat,quaſi cęteras non haberet. *Tom.1. Epiſt.3.in Epitaphio Nepotian.cap.7.*

*1.Tim.6.*

*Reprehẽdit clericos & monachos negotiatores.*

PLERIQVE artibus & negotiationibus priſtinis carere nõ poſſunt,mutatiſq́; nominib.inſtitorum,eadem exercent commercia,non victum & veſtitum,quod Apoſt.pręcipit,ſed maiora,quã ſęculi homines emolumẽta ſectãtes,& prius quidem ab ędilibus,quos ἀγορανόμους Gręci appellãt, vendẽtiũ coërcebatur rabies,nec erat impune peccatũ:nũc autẽ ſub religionis titulo exercẽtur iniuſta cõpendia,& honor nominis Chriſtiani,fraudem magis facit,quã patitur,quodq́; pudet dicere,ſed neceſſe eſt,vt ſaltẽ ſic ad noſtrũ erubeſcamꝰ dedecus:publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus,& contra omnium opinionẽ plenis ſacculis morimur diuites, qui quaſi pauperes viximus.Tibi cũ in monaſterio fueris hęc facere nõ licebit : & inoleſcente paulatim conſuetudine, quod primum cogebaris,velle incipies, & delectabit te labor tuus,oblituſque præteritorũ, ſemper priora ſectaberis,nequaquã conſiderans,quid alij mali faciant,ſed quid boni tu facere debeas. *Tom.1.epiſt.4.ad Ruſtic.cap.7.*

*Paupertas voluntaria eſſe debet nõ coacta.*

*3.Reg.17.*

*Exuperij Tholoſai epiſcopi commendatio.*

*Matt.21.*

*Gen.12.*

VTINAM,quod renũciamus ſęculo,voluntas ſit,nõ neceſſitas,& paupertas habeat expetita gloriã,non illata cruciatũ. Cæterum iuxta miſerias huius temporis, & vbiq; gladios ſæuientes, ſatis diues eſt,qui pane non indiget. Nimium potens eſt,qui ſeruire non cogitur .Sanctus Exuperius. Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallẽte ieiunijs , fame torquetur aliena,omnemq; ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit.Nihil illo ditius, qui corpus Domini camiſtro vimineo,ſanguinẽ portat in vitro;qui auaritiam eiecit è templo,qui abſq; funiculo,& increpatione, cathedras vendentium columbas,id eſt,dona ſancti ſpiritus,menſaſq́; ſubuertit mammonæ, & nummulariorum æra diſperſit; vt domus Dei , domus vocetur orationis, & non latronum ſpelunca. Huius tu è vicino ſectare veſtigia,& cęterorum, qui virtutũ illius ſimiles ſunt, quos ſacerdotiũ & humiliores facit, & pauperes:Aut, ſi perfecta deſideras , exi cũ Abraham de patria,& cognatione tua,& da pauperibus:ſi non habes,grandi onere liberatus es: nudum Chriſtum nudus ſequere. Durum,grande, difficile,ſed magna ſunt præmia. *Ibid. cap.10.*

FERTVR,& omnium Chriſtianorũ laude celebratur,quicquid fuerat nuptijs pręparatũ, à ſãcta Chriſti Sinoride virgini traditum,ne ſponſo fieret iniuria : imò vt dotata priſtinis opibus veniret ad ſponſum,& quod in reb. mundi periturum erat,domeſticorum Dei ſuſtentaret inopiã. Quis hoc credat?Proba illa,omniũ dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomẽ illuſtrius,cuius ſanctitas,& in vniuerſos effuſa bonitas etiam apud barbaros venerabilis fuit , quam trium liberorum Probini,Olibrij,& Probi,non fatigarunt ordinarij conſulatus,& cum, incenſis direptiſq́; domibus,in vrbe captiuitas ſit,nũc habitas venũdare dicitur poſſeſſiones,& facere ſibi amicos de iniquo Mammona, qui ſe recipiant in ęterna tabernacula;vt erubeſcant omnis Eccleſiaſtici miniſterij gradus, & caſſa nomina Monachorum emere prædia , tanta nobilitate vendente.*Tom 1.Epiſt. 8.cap. 4.*

*Clerici & monachi nõ debent emere prædia tãta nobilitate vendente: lege Codicem & Iuriſconſultos.*

*Luc.16.*

APOSTOLICI faſtigij eſt, perfectæq́; virtutis vendere omnia , & pauperib. diſtribuere,& ſic leuem atque expeditum cũ Chriſto ad cœleſtia ſubuolare. Nobis , immò tibi diligens credita eſt diſpenſatio:quamquam in hoc omni ætati, omniq́ue perſonæ libertas,arbitrij relicta ſit.Si vis, inquit,eſſe perfectus.Non cogo,nõ impero,ſed propono palmam,oſtendo præmia :tuũ eſt eligere ſi volueris in agone atq; certamine coronari.Et cõſideremus,quã ſapienter ſapientia ſit locuta: Vẽde:quę habes: Cui iſta præcipiuntur ? nempè illi, cui dictũ eſt:Si vis eſſe perfectus.Non partẽ bonorum tuorũ vende,ſed omnia.Cumq́; vendideris, qđ ſequitur?Et da pauperibus. Nõ diuitibus, nõ propinquis,non ad luxuriam,ſed ad neceſſitatẽ. Siue ille ſacerdos ſit,ſiue cognatus, & affinis, nihil in illo aliud conſideres, quam paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera , non ructantiũ opulenta cõuiuia. In Actis Apoſtol. quãdo Domini noſtri adhuc calebat cruor,& feruebat recẽs in credẽtib.fides,vendebant omnes poſſeſſiones ſuas,& pretia earũ ad Apoſtolorum deferebant, pedes , vt oſtẽderent pecunias eſſe calcandas,dabaturq́; ſingulis , prout cuiq́; opus erat . Ananias & Saphyra,diſpenſatores timidi , imò corde duplici,& ideo condẽnati,quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua,& non eius cui ſemel ea vouerant; partemq́; ſibi iã alienæ ſubſtantię reſeruauerunt, metuentes famem,quã vera fides non timet; præſentẽ meruere vindictã non credulitate ſententiæ,ſed correptionis exẽplo.Deniq; & Apoſtolus Petrus nequaquã imprecatur eis mortem,vt ſtultus Porphyrius calumniatur ,ſed Dei iudicium prophetico ſpiritu annunciat, vt pœna duorum hominum,ſit doctrina multorũ. Ex eo tempore quo virginitati perpetuę conſecrata es,tua nõ tua ſunt,immo verè tua quia Chriſti eſſe cœperunt, quæ auia viuente,vel matre , ipſarũ arbitrio diſpenſanda ſunt.*Tom. 1 .Epiſt.8.ad Demetriadẽ cap .7.*

*Deus cõſulit non imperat paupertatẽ.*

*Actor. 4.*
*Actor.5.*

*Poſt votum nihil proprij habent Monachi.*

*Vera fides nõ timet inopiã.*

*Matt.19.*

*Paulini paupertas.*

DENIQVE & tu, audita ſententia Saluatoris: Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia , quæ habes,& da pauperibus , & veni ſequere me : verba vertis in opera,& nudam crucẽ nudus ſequens expeditior & leuior ſcãdis ſcalam Iacob. Tunicam mutas cum animo:nec pleno Marſupio, glorioſas ſordes appetis,ſed puris, manibus , & candido pectore,pauperem te & ſpiritu & operibus gloriaris.Nihil eſt enim grande,triſti & lurida facie vel ſimulare vel oſtentare ieiunia,poſſeſſionũ redditibus abũdare , & vile iactare palliolum . Crates ille Thebanus,homo quondã ditiſſimus,cum ad philoſophandũ Athenas pergeret,magnum auri pondus abiecit,nec putauit ſe ſimul poſſe & virtutes & diuitias poſſidere. Nos ſuffarcinati auro Chriſtum pauperem ſequimur , & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes,quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timidè reſeruamus? Plenus venter facilè de ieiunijs diſputat . *Tomo.1.Epiſtol.13. ad Paulinum capite primo.*

*Exemplum proprietarij admodũ notabile.*

QVID ante non plures annos Nitriæ, geſtum ſit,referemus. Quidam ex fratrib. parcior magis quàm auarior, & neſciens triginta argenteis Dominum venditum, centũ ſolidos,quos lina texendo acquiſierat,moriens dereliquit, initium eſt inter Monachos conſilium ( nam in eodem loco circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant)quid facto opꝰ eſſet,alij pauperib. diſtribuendos eſſe dicebant,alij dandos Eccleſię,nõnulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo,& Iſidorus,& cæteri quos patres vocant , ſancto in eis loquente ſpiritu , decreuerunt infodiẽdos eſſe cum eodẽ dicentes.Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ. Nec hoc crudeliter quiſquã putet factum : tantus cunctos per totam Aegyptũ terror inuaſit,vt vnum ſolidum dimiſiſſe,ſit criminis.*Tõ.1.Epiſt.22.ad Euſtoch.cap.14.f.*



*Pecunia proprietarij poſt mortem eius inuenta defoſſa fuit in terra.*

*Vnum ſolidũ dimiſiſſe eſt criminis.*

*Luc.1.*
*Thren.3.*

*Euſtochium oẽs diuitias in Chriſto debet haberet repoſitas.*

*Pſal.15.*

AD tertium genus veniam,quos Anachoratas vocant:qui & de cœnobijs exeuntes, excepto pane & ſale,ad deſerta nihil perferũt amplius.Huius vitæ auctor Paulus,illuſtrator Antonius,& vt ad ſuperiora conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta fuit. Talem verò virum Hieremias quoque propheta deſcribit,dicens : Bonum eſt viro, cũ portauerit iugum ab adoleſcẽtia ſua . Sedebit ſolitarius & tacebit,quoniã ſuſtulit ſuper ſe iugũ, & dabit percutienti ſe maxillam,ſaturabitur opprobrijs,qa non in ſempiternum abijciet Dominus . Horũ laborem & conuerſationem in carne non carnis, alio tempore ſi volueris explicabo. Nunc ad propoſitum redeam , quia de auaritia diſſerens,ad Monachos veneram. Quorum tibi exemplum proponens,non dico aurum atque argentum & cæteras opes,ſed ipſam terram & cælũ deſpiciens. & Chriſto copulata,cãtabis : Pars mea Dominus.*Ibid.cap.16.*

*Pericaloſa exempla virorum habẽtium propria vitanda.*

*2.Tim.2.*

*1.Reg.16.*

*1.Cor.7.*

TEIPSAM conſiderans,noli in alterius ruina, ſed in tuo opere gloriari.Nec illarum tibi exempla proponas quæ carnis curam facientes poſſeſſionũ redditus & quotidianas domus impenſas ſupputant . Neque.n. vndecim Apoſtoli Iudę ꝑditione ſunt fracti:nec Phileto & Alexãdro faciẽtibus naufragium cęteri à curſu fidei ſubſtiterũt. Nec dicas,Illa & illa ſuis rebus fruitur,honoratur ab hominibꝰ:fratres ad eã cõueniũt & ſorores.Nũquid ideo virgo eſſe deſijt?Primũ dubium eſt, an virgo ſit talis.Non.n.quo modo videt homo,videt Deꝰ.Homo videt in facie, Deus autẽ videt in corde.Dehinc,etiam ſi corpore virgo eſt,an ſpiritu virgo ſit,neſcio. Apoſtolus autẽ ita virginem definiuit:vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.Ad extremũ habeat ſibi gloriam ſuam.Vincat Pauli ſentẽtiam,delicijs fruatur,& viuat.Nos meliorum exempla ſectemur. *Ibid.*

*Paulæ paupertas.*

ET adhuc ſic locutus ſum,quaſi vnã de turbis cõuenerim Chriſtianã. Nunc vero,cum ſciã totite renũciaſſe mũdo, & abiectis calcatiſq́; delicijs ſęculi,orationi,ieiunijs lectioni vacare quotidie, cũ ad exẽplum Abrahã cupias exire de terra tua & de cognatione tua,vt & Chaldęis & Meſopotamia derelictis terrã repromiſſionis introeas,cum omnẽ ſubſtantiolam aut pauperib. dilargita ſis, aut filijs ante mortẽ mundo mortua dederis. Miror te ea facere,quę ſi facerẽt cæterę, reprehẽſione dignæ viderentur.*To.1.Epi. 25. ad Paulam cap.5.*

*Plus debet Chriſti diſcipulus præſtare,quam mũdi philoſophus.*

PARS ſacrilegij eſt,rẽ pauperum dare nõ pauperibus.Et tamẽ non eſt ſatis perfecto & cõſummato viro opes contẽnere.pecuniam diſſipare,& proijcere,ꝙ in momento & perdi & inueniri poteſt. Fecit hoc Crates , Thebanus,fecit Anthiſtenes,fecerũt plurimi,quos vitioſiſsimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipulus pręſtare,quàm mũdi philoſophus,glorię animal & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi nõ ſufficit opes contemnere,niſi Chriſtũ ſequaris.Chriſtum autem ſequitur qui peccata dimittit,& virtutum comes eſt. Chriſtum ſcimus ſapientiam. *Tom.1. Epiſt.26.ad Pamma.cap.4.*

FATEOR,nulla ſic amauit filios,quib.anteq̃ proficiſceretur, cuncta largita eſt , exhæredans ſe in terra,vt hæreditatẽ inueniret in cęlo.*Tom.1.Epiſt. 27.ad Euſtochium cap.5.*

*Qui ſe in terra exhæredat hæreditatem in cælo inueniens.*

SEMINABAT carnalia,vt meteret ſpiritualia: dabat terrena,vt cœleſtia tolleret:breuia concedebat,vt pro his ęterna mutaret. *Ibid.cap.10.*

*Qui dimittit terrena tollit cæleſtiã.*

QVAE maluit inimicitias hominũ ſubire perpetuas,quam Dei offenſam amicitijs noxijs prouocare: *Ibid.cap.12.*

*Paula omnia elargita vt ad egeſtatẽ peruenerit.*

TESTIS eſt Ieſus,ne vnum quidem nummũ ab ea filiæ derelictum,ſed vt ante iam dixi, derelictum magnum ęs alienum,& quod his difficilius eſt,fratrũ & ſororum immẽſam multitudinẽ, quos & ſuſtentare arduum, & abijcere impiũ eſt. Quid hac virtute mirabilius fœminã nobiliſſimę familię magnis quondã opibꝰ tanta fide omnia dilargitam,vt ad egeſtatẽ penè vltimam perueniret?Iactent alij pecunias & in corbonam Dei ęra cõgeſta,funalibuſq́; aureis dona pendẽtia, nemo plus dedit pauperibꝰ,quàm quę ſibi nihil reſeruauit.Nũc illa diuitijs fruitur, & ijs bonis,quę nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt.*Ibidem cap.14.p.*

*Gen.12.*

*Pſal.38.*

*Pſal.85.*

*Matt 12.*

*perfectio paupertatis Euãgelicæ comẽdata.*

*Gen.39.*

*Mar.14.*

*4.Reg.2.*
*3.Reg.19.*

*Eccleſ.13.*

*2.Cor.6.*

ABRAHAE dicitur:Egredere de terra tua,& de cognatione tua,& de domo patris tui, & vade in terrã,quã monſtrauero tibi.reliquit Chaldęã,reliquit Meſopotamiã:quęrit quod neſcit, ne perdat quod inuenerat . Non.n.arbitratus eſt ſimul ſe habere poſſe,& patriam & Dominum, ſed iam tunc illud prophetæ Dauid opere cõplebat: Aduena ego ſum apud te,& peregrinus ſicut oẽs patres mei. Hæbręus,id eſt, περάτης, atque trãſitor, dũ non eſt præſenti virtute cõtentus,ſed pręteritorũ obliuiſcens,in futurũ ſe extẽdit,& ſcit illud: Ibũt de virtute in virtutẽ,myſticũ ſortitus eſt nomẽ &, viã tibi aperuit, quo modo nõ quęras eaq; tua ſunt,ſed quę aliena:& illos putas parẽtes, fratres,affines atq; cognatos,q tibi in Chriſto copulati ſunt .Mater inqt mea,& fratres mei ſunt hi,qui faciunt voluntatem patris mei . Habes tecum prius in carne nunc in ſpiritu ſociam, de coniuge germanam, de fœmina virum , de ſubiecta parẽ, quæ ſub eodem iugo ad cœleſtia ſimul regna feſtinat. Cauta rei familiaris diſpenſatio , & ad calculos rediens,non cito deponitur. Ioſeph cum tunica Eegyptiam effugere non potuit . Adoleſcẽs ille qui opertꝰ ſindone ſequebatur Ieſũ:quia tentus fuerat à miniſtris, terrenũ abijciens operimẽtum,nudus euaſit . Helias igneo curru raptus ad cælum,melotẽ reliquit in terris . Heliſæus boues & iuga prioris operis vertit in vota. Loquitur ſapientiſſimus vir:Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Quamdiu verſamur in rebus ſęculi,& anima noſtra poſſeſſionũ ac redituum procuratione deuincta eſt,de Deo liberè cogitare non poſſumus.Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate,aut quę ſocietas lucis ad tenebras?qui cõſenſus Chriſti ad Belial ? quæ pars fideli cũ infideli? Non poteſtis,inquit,Dominus Deo ſeruire & mãmonæ:Aurum deponere, incipientium eſt , non perfectorũ. Fecit hoc Crates Thebanus,fecit Antiſthenes ſeipſum offerre Deo,propriè Chriſtianorũ eſt & Apoſto. qui duo cũ vidua paupertatis ſuæ in Gazophilaciũ æra mittentes.totum cenſũ, quem habuerunt,Domino tradiderunt , & merentur audire:Sedebitis ſuper duodecim ſolia, iudicantes duodecim tribus Iſrahel . Hæc & ipſe intelligis quo animo replicem , & quod ſub alijs verbis te ad ſanctorũ locorũ inuitẽ habitaculum.

*ſLuciniũ ad ſanctorum locorum habitaculum inuitat.*

Abundantia tua multorum inopiã ſuſtentauit: & vt horum diuitiæ in tuam indulgentiam redundarent. Feciſti tibi amicos de iniquo Mammona qui te reciperent in æterna tabernacula Laudanda res,& Apoſtolicorum temporum virtutibus coæquanda,quando venditis poſſeſſionibus ſuis,credentes afferebant pecunias atque fundebant ante pedes Apoſtolorum oſtendentes auaritiam eſſe calcandã.Sed Dominus magis quęrit animas credentium,quam opes,Legimus:Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. Poſſumus quidem diuitias proprias intelligere , quæ non de alieno,non de rapinis ſunt,iuxta illud: Honora Deum de tuis iuſtis laboribus . ſed melior eſt intelligentia , vt diuitias proprias cognoſcamus theſauros abſconditos , quos nec fur poſſit ſuffodere,nec latro violentius eripere. *Tom.1. Epiſtol. 28.ad Lucinium.*

*Luc.16.* *Actor.4.* *Prou.13.* *Luc.12.*

APOSTOLI gloriantur,quod omnia dimiſerint & ſequuti ſunt Saluatorem , & certè præter retia & nauem nihil legimus eos dimiſiſſe: & tamen teſtimonio futuri iudicis coronantur : quia ſe offerentes, totum dimiſerant quod habebant. Hæc loquor non in ſugillationem operum tuorum,vel quod extenuem liberalitatem , & eleemoſynas tuas,ſed quod te nolim inter ſæculares eſſe Monachum ſæcularem: totumque à te expetam,cuius audio mẽtem diuino cultui deditam. Si huic conſilio noſtro vel amicus vel aſſecla vel propinquus renitatur,& te ad delicias ſplendentis menſæ reuocet: intelligito eum non de tua anima,ſed de ſuo ventre cogitare, & omnes opes, lautaque conuiuia, ſubita morte finiri . *Tomo primo , Epiſtola trigeſima quarta , ad Iulianum , capite quarto p.*

*Iulianum nõ vult inter ſæculares eſſe monachum & inter monachos ſecularem*

ILLVD prudentiæ tuæ breuiter ſignificaſſe ſufficiat,vt memineris Apoſtolicæ ſententiæ. Vinctus es vxori,ne quæras ſolutionem : ſolutus es ne quæras vxorem,id eſt,alligationem,quę ſolutioni contraria eſt.Qui igitur ſeruit officio cõiugali, vinctus eſt,qui vinctus eſt,ſeruus eſt . Qui autem ſolutus eſt,liber eſt. Cũ ergo Chriſti gaudeas libertate,& aliud agas,aliud repromittas, ac propemodum in domate conſtitutus ſis,non debes ad tollendam tunicam tecto deſcendere, nec reſpicere poſt tergum,nec aratri ſemel arrepti ſtiuam dimittere,ſed ſi fieri poteſt,imitare Ioſeph, & Aegyptiæ Dominæ pallium relinque, vt nudus ſequaris Saluatorem, qui dicit in Euangelio: Niſi quis dimiſerit omnia & tulerit crucem ſuã, & ſecutus me fuerit,non poteſt meus eſſe diſcipulus. Proijce ſarcinã ſæculi , ne quęras diuitias,quę camelorum prauitatibus comparantur, nudus & leuis ad cælum euola, ne alas virtutum tuarũ auri deprimant pondera. Hoc autẽ dico;Non quod te auarum didicerim , ſed quod intelligam , idcirco adhuc militiæ operam dare,vt impleas ſacculum,quem euacuare Dominus præcepit. Si igitur qui habent poſſeſſiones, & diuitias, iubenter omnia vendere, & dare pauperibus , & ſic ſequi Saluatorem: dignatio tua aut diues eſt , & debet facere quod præceptum eſt , aut adhuc tenuis, & non debet quærere, quod erogatura eſt . Certè Chriſtus pro animi voluntate omnia in acceptũ refert.Nemo Apoſtolis pauperior fit,& nemo tãtum pro Domino dereliquit.Vidua illa in Euangelio paupercula, quæ duo minuta miſit in Gazophilacium, cunctis præfertur diuitibus, quia totum quod habuit,dedit.Et tu igitur eroganda non quæras, ſed quæſita iam tribue, vt fortiſſimum tyrunculum ſuum Chriſtus agnoſcat,vt lętus tibi de largiſſima regione venienti occurrat pater,vt ſtolam tribuat,vt donet anulum, vt immolet pro te vitulum ſaginatum. *Tom.1.Epiſt.35. ad Exuperantium.*

*1.Cor.7.* *Luc.17.* *Luc.9.* *Gen.39.* *Luc.14.9.* *Matt.19.*

*Exuperantiũ ad relinquẽdas facultates ſeculi hortatur.*

*Luce 22.*

*Geneſ.28.* *Matt.16,6.* *Luc.9.* *Pſal.125.* *Num.21.*

BONOSVS tuus,immo meus, & vt verius dicam noſter ſcalam præſagatam Iacob ſomniante iam ſcandit,portat crucem ſuam,nec de craſtino cogitat,nec poſt tergum reſpicit . Seminat in lachrymis,vt in gaudio metat.Et ſacramẽto Moyſi ſerpentem in eremo ſuſpendit.Cedant huic veritati tam Græco quam Romano ſtylo mendacijs ficta miracula . Ecce puer honeſtis ſæculi nobiſcum artibus inſtitutus, cum opes affatim , dignitas apprimè inter æquales erat,contempta matre, ſororibus & chariſſimo ſibi germano , inſulam pelago circumſonante naufragã, cui aſperę cautes,& nuda ſaxa,& ſolitudo terrori eſt,et,quaſi quidam nouus paradiſi colonus incedit nullus ibi agricolarum,nullus Monachorum,ne paruulus quidem,quẽ noſti . Oneſimus,quo velut fratre in oſculo,fruebatur , in tanta vaſtitate adhæret lateri comes,ſolus ibi, immo iam Chriſto comitante,non ſolus videt gloriam Dei, quam etiã Apoſtoli,niſi in deſerto,non viderant. Non quidem conſpicit turritas vrbes,ſed in nouæ ciuitatis cenſu dedit nomen ſuum,Horrent ſacco mẽbra deformia, ſed ſic melius obuiam Chriſto rapietur in nubibus . Nulla Euriporum amœnitate perfruitur, ſed de latere Domini aquam vitæ bibit. *Tomo primo, Epiſtola 41. ad Ruffinum Folio 93. facie ſecunda.*

*Bonoſus nouus paradiſi colonus laudatur.* *Matt.17.* *1.Teſſ 4.*

REVERSVS eſt cum quibuſdam Monachis ad patriam , & parentibus iam defunctis, partem ſubſtantiæ fratribus;partem pauperibus largitus eſt, nihil ſibi omninò reſeruans , timens illud de Actibus Apoſtolorum , Ananiæ & Saphyrę , vel exemplum vel ſupplicium, maximeque Domini memor,dicentis : Qui non renunciauerit omnibus quæ habet non poteſt meus eſſe diſcipulus. Erat autem tunc annorum quindecim . Sic nudus & armatus in Chriſto , ſolitudinem , quæ in ſeptimo milliario à Maioma,Gazæ emporio,per littus euntibus AEgyptum ad Leuam flectitur, ingreſſus eſt. *Tom.1.in vita Hilarionis Fol.109.fac.1.*

*Hilarion omnia reliquis* *Actor.5.* *Luc.14.*

ALIO quoque anno cum exiturus eſſet ad viſenda monaſteria, & digereret in ſcedula , apud quos manere , quos in tranſitu viſitare deberet, ſcientes Monachi quendam de fratribus parciorem,ſimulque cupientes vitio eius mederi , rogabant vt apud eum maneret.Et ille,Quid, inquit, vultis & vobis iniuriam,& fratri vexationem facere ? Quod poſtquam frater ille parcus audiuit, erubuit,& annitentibus cunctis,vix ab inuito impetrauit,vt ſuum quoque monaſterium in manſionum ordinem poneret . Poſt diem ergo decimum venerunt ad eum,cuſtodibus iam in vinea, qua venirent,illi diſpoſitis;qui cum lapidibus & glebarum iactu, fundæque vertigine accedentes deterrerent , ſine eſu vuæ mane omnes profectæ ſunt, ridente ſene, & diſſimulante ſcire, quod euenerat.Porrò ſuſcepti ab alio monacho , cui Sabas vocabulum eſt(debemus quippe parci tacere vocabulum,largi dicere)quia dominicus erat dies inuitabantur vniuerſi ab eo in vineam,vt ante horam cibi vuarum paſtu laborem viæ ſubleuarent,Et ſanctus:Maledictus , ait, qui prius refectionem corporis , quã animæ quæſierit.oremus Pſallamus ,reddamus Domino officium,& ſic ad vineam properabitis.Completo itaq; miniſterio in ſublimi ſtans benedixit vineæ, & ſuas ad paſcẽdum dimiſit oues. Erant autem, qui veſcebãtur, non minus tribus millibus. Cumq; centum lagenis æſtimata fuiſſet integra adhuc vinea,poſt dies viginti trecẽtas fecit. Porrò ille parcus frater multò minus ſolito colligens etiam id, quod habuerat, verſum in acetum ſerò doluit:hoc multis fratribus,ſenex ante futurum dixerat Deteſtabatur autem præcipuè Monachos, qui infidelitate quadam in futurum reſeruarent ſua , & diligentiam haberẽt, vel ſumptuum ,vel veſtitus,aut alicuius earum rerum, quæ cum ſæculo tranſeunt. Denique vnum de fratribus in quinto ferè à ſe milliario manentem,quia comperiebat horculi ſui nimis cautum timidumque cuſtodem , & pauxillũ habere mummorum, ab oculis abegerat, qui volens ſibi reconciliare ſenem, frequenter veniebat ad fratres,& maximè ad Heſychium,quo ille vehæmentiſsimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris faſcem virentis,ſicut in herbis erat, detulit quem cũ Heſychius poſuiſſet in menſa ad veſperam; exclamauit ſenex,ſe putorem eius ferre non poſſe,ſimulque, vnde eſſet rogauit;Reſpondente autem Heſychio, quod frater quidam primitias agelli ſui fratribus detuliſſet, Non ſentis,inquit, putorem teterrimum,& in cicere fętere auaritiã? mitte bubus,mitte brutis animalibus , & vide,an comedant. Quod cùm ille iuxta præceptum in præſepe poſuiſſet, exterriti boues , & plus ſolito mugientes, ruptis vinculis in diuerſa fugerunt. Habebat enim ſenex hanc gratiam , vt ex odore corporum , veſtiumque & earum rerum , quas quis tetigerat,ſciret cui dæmoni, vel cui vitio ſubiaceret. *Tom.1.in vita Hilarionis,fol.112.fac.B.*

*Vexatione medetur auaritiæ cuiuſdã monachi.*

*Vinum auari fratris in acetum fuit conuerſum.*

*Hilarionis gratia.*



HABENS ſenex Gazanum ſecum,aſcendit claſſem,quæ Siciliam nauigabat. cumque venundato Euangeliorum codice, quem manu ſua adoleſcens ſcripſerat,dare naulum diſponeret, in medio fermè Adriæ,naucleri filius arreptus à dæmone,clamare cœpit, & dicere: Hilarion ſerue Dei, cur nobis per te & in pelago tutos eſſe non licet? Da mihi ſpatium , donec ad terram veniam ; ne hic eiectus præcipiter in Abyſſum . Cui ille, Si Deus meus ait,tibi concedit, vt maneas,mane: ſin autem ille te eijcit,quid mihi inuidiam facis,homini peccatori,atque mendico ? Hoc autem dicebat,ne nautæ & negotiatores,qui in naui erant,ſe cùm ad terram perueniſſent,proderent.Nec multò pòſt purgatus eſt puer, patre fidem dante,& cęteris,q adderãt,nihil ſe ſuper eius nomine locuturos.Ingreſſus autem Pachinum , promontoriũ Siciliæ,obtulit nauclero Euangelium, pro ſubiectione ſua,& Gazani, qui nolens accipere, maximè cùm videret illos,excepto illo codice , & ijs, quibus veſtiti erant,amplius nihil habere,ad extremum iurat,ſe non accepturum . Sedet ſenex, accenſus fiducia pauperis conſcientiæ, in eo magis lætabatur, & quod nihil haberet, ſæculi,& ab accolis illius loci mendicus putaretur. *ibidem folio 114.fac.1.*

*Paupertas Hilarionis.*

IGITVR octogeſimo ætatis ſuæ anno,cùm abſens eſſet Heſychius,quaſi teſtamenti vice breuem manu propria ſcripſit epiſtolam,omnes diuitias ſuas ei derelinquens , Euangelium ſcilicet; tunicam ſacceam,cucullam & palliolum: *ibidem folio 115 fac.B.*

*Diuitiæ Hilarionis Euangelium,tunica,cuculla & palliũ.*

POST multos annos incidit mihi deſiderium, vt ad patriam pergerem , &, dum adhuc viueret mater(iam enim patrem mortuum audieram) ſolarer viduitatem eius , &, exinde venundata poſſeſsiuncula , partem erogarem pauperibus, partem, monaſterio conſtituerem , quid erubeſco confiteri infidelitatem meam? partem in ſumptuum meorum ſolatia reſeruarem.Clamare cœpit Abbas meus, diaboli eſſe tentationem , & ſub honeſtæ rei occaſione, latere antiqui hoſtis inſidias: hoc eſſe, reuerti canem ad vomitum ſuum: ſic multos monachorum eſſe deceptos, nuſquam diabolum aperta ſe fronte prodere. Proponebat mihi exempla de ſcripturis plurima: inter quæ illud,quod initio Adam quoq; & Euam ſpe diuinitatis ſupplantauerit. Et cũ perſuadere non poſſet, prouolutus genibus obſecrabat, ne ſe dexererem,ne me perderem,nec aratrũ tenens poſt tergum reſpicerem. Væ miſerò mihi: vici monitorẽ peſsima victoria, putans illum non meam ſalutem ,ſed ſuum ſolatium quærere. Proſecutus ergo me de monaſterio quaſi funus efferret , & ad extremum valedicens : Videbo,ait,te fili Sathanæ cauterio notatum: non quæro cauſas , excuſationes non recipio. Ouis,quæ de ouilibus egreditur lupi ſtatim morſibus patet. *Tom. 1.in vita Malchi, fol.116.fac.2.*

*Diaboli tentatio eſt monachũ ſibi quid proprij reſeruare.* *2 Petr.2.* *Gen.3.* *Lucæ.2.*

PVLCHRVM mihi ſpectaculum dies illa tribuit, vnde recordatus Salomonis,ad formicarum ſolertiam nos mittentis, & pigras mentes, tali exemplo ſuſcitãtis, cœpi tædere captiuitatis, & monaſterij cellulas quærere ac formicarum illarum, ſimilitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium,cumq; nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt. *Ibidem fol.117.fac.2.*

*Pro. 6.* *Monachi cũ formicis eleganter comparantur. Monachorũ omnia communia nil proprium.*

CHRISTIANVS factus,omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit, ac poſt non multum temporis electus in presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus eſt. *Tom. 1 .de viris illuſtr.Cypriano.*

NON ambimus ſacerdotium , qui latemus in cellulis: nec humilitate damnata, epiſcopatu auro redimere feſtinamus: nec electum pontificem à Deo, rebelli cupimus mente iugulare: nec fauẽdo hæreticis, hęreticos nos docemus: pecunias nec habemus,nec habere volumus, habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus: illud de aſcenſore montis dominici iugiter decantantes. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. *Tom.2 .lib.1 .aduerſus Ruffinum cap.7.f.*

*Paupertas B Hierony.* *1.Tim.6.* *Pſal.23.14.*

FESTINA queſo te,& hęrentis in ſalo nauiculæ funẽ magis pręcide, quã ſolue; Nemo renũciatur° ſeculo, benè poteſt vẽdere, quæ contẽpſit, vt vẽderet. Quicquid in ſumptus de tuo tuleris, p lucro cõputa. Antiquũ dictũ eſt: Auaro tã deeſt,  habet quã quod nõ habet Credẽti totus mundus diuitiarũ eſt: infidelis etiã obulo indiget. Sic viuamus tanquã nihil habentes, & omnia poſsidẽtes, vict⁹ & veſtitus diuitiæ Chriſtianorũ ſunt. Si habes in poteſtate rem tuã vende, ſi nõ habes, proijce. Tollenti tunicam, & pallium relinquendũ eſt . Scilicet, ni tu ſemper procraſtinans, & diem de die trahẽs, cautè & pedetẽtim tuas poſſeſsiunculas vẽdideris, non habet Chriſtus, vnde alat pauperes ſuos. Totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit. Apoſtoli nauẽ tantũ & retia reliquerũt. Vidua duo ęra miſit in Gazophilaciũ, & pręfertur Cræſi diuitijs. Facilè contẽnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum. *Tom.3.epiſt.103.ad Paulinum cap.9.f.*

*Hortatur Paulinũ ad paupertatem Apoſtolicã.* *2.Cor.6.* *Marc.5.* *Matth.4.* *Marc.12.* *Lucæ.21.*

INTERROGAS quomodo perfectus eſſe quis *Matth.19.* poſsit, & quo modo viuere debeat vidua, quæ ſine liberis derelicta eſt. Hoc idem in Euangelio legiſdoctor interrogat: Magiſter quid faciens, vitam æternam poſsidebo? Cui reſpondit Dominus: Mandata noſti? dicit ille: Quæ? Ieſus autẽ dixit: Non homicidium facies, non adulterium, nõ furtum, non falſum dices teſtimonium: honora patrem & matrem, & diliges proximum tuũ ſicut teipſum. Et illo dicente: Hæc omnia feci: Dominus intulit. Vnum tibi deeſt: Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Itaque & ego tibi Domini noſtri reſpondebo ſermonibus. Si vis eſſe perfecta, & tollere crucem tuam, & ſequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrũ, dicentem: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperib. & ſequere Saluatorem. Non dixit, da filijs, da fratrib. da propinquis, quos etiamſi haberes, iure eis Dominus præferretur, ſed da pauperibus, immò da Chriſto, qui in pauperibus paſcitur. Qui cùm diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, qui loquitur in 39. Pſalmo: Ego autem mendicus ſum, & pauper, & Dominus ſollicitus eſt pro me. Statimque 40. Pſalmi exordium de eo eſt: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Intelligentia opus eſt, vt poſt intelligentiæ beatitudinẽ ſciatur quis ſit egenus, & pauper: non vtique ille, qui mendicitate & ſqualore coopertus eſt, & tamen non recedit à vitijs: ſed de quib. Apoſtolus loquitur: Tantum vt pauperum memores eſſemus. Ob quorũ refrigeria laborat Paulus & Barnabas in Eccleſijs gentium, vt collectæ fierent per primam ſabbathi, & hanc ipſam oblationem non per alios, ſed per ſe deferre feſtinant ijs, qui ſuas pro Chriſto amiſere ſubſtantias, qui perſecutiones paſsi ſunt, qui dixerunt patri ſuo, & matri, vxoribus & liberis. Non nouimus vos. Hi impleuerunt voluntatem patris, & audierunt dicentem Dominũ Saluatorem: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui faciunt voluntatem patris mei. Et hæc dicimus, nõ quod in pauperes Iudæos, ſiue gentiles, & omnino cuiuslibet gentis ſint pauperes, prohibeamus faciendam eleemoſynam, ſed quod Chriſtianos credentes pauperes incredulis præferamus; & inter ipſos Chriſtianos ſit multa diuerſitas, vtrum peccator, an ſanctus ſit. Vnde & Apoſtolus paſſim in omnes miſericordiam probans infert: Maximè in domeſticos fidei. Domeſticus fidei eſt, qui eadem tibi religione coniungitur, quem à conſortio fraternitatis peccata nõ ſeparant. Quod ſi de inimicis quoque nobis præcipitur, vt ſi eſurierint, demus eis cibum, ſi ſitierint, demus eis potum, & hæc facientes, congregemus carbones ſuper caput eorum; quantò magis de ijs, qui nõ ſunt inimici, & qui Chriſtiani ſunt & ſancti? Neque verò hoc, quod dicitur: Hoc enim faciens, carbones ignis congregabis ſuper caput eius: in malam partem accipiendum eſt, ſed in bonam. Quando enim inimicis noſtris præbemus beneficia, malitiam eorum, noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam, iratumque animum, ad mollitiam & beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus carbones ſuper capita eorum, de quib. ſcriptum eſt: Sagittæ potentis acutæ, cũ carbonibus deſolatorijs: vt quo modo de altari à Seraphin carbo ſublatus, prophetæ labia purgauit, ita & inimicorũ noſtrorũ peccata purgentur, & vincamus in bono malũ, & benedicamus maledicentib. & imitemur patrem noſtrũ, qui ſolẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Igitur & tu, quia paucos habes filios, plurimos fac tibi amicos, de iniquo mãmona, qui te recipiãt in ęterna tabernacula. Pulchrè dixit, de iniquo: oẽs enim diuitię ab iniquitate deſcendũt, & niſi alter perdiderit, alter nõ poteſt inuenire. Vnde & illa vulgata ſentẽtia mihi videtur eſſe veriſsima: diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Quod cũ legiſdoctor audiſſet, & ferre nõ poſſet, quia habebat diuitias multas, conuerſus Dñs ad diſcipulos, ait: Quam difficile, qui diuites ſunt, intrare poſſunt in regna cælorum. Non dixit impoſsibile, ſed difficile: licet exemplum poſuerit impoſsibilitatis. Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnũ Dei. Hoc autem non tam difficile eſt, quam impoſsibile: nũquam enim fieri poteſt, vt Camelus tranſeat per foramen acus, nunquam ergo diues intrare poterit regna cælorum. Sed Camelus tortuoſus & curuus eſt, & graui ſarcina prægrauatur. Et nos ergo quando prauas ingredimur ſemitas, & rectã Domini viam dimittimus, & oneramur mundi diuitijs, ſiue pondere delictorum, regnũ Dei ingredi nõ valemus. Quid ſi deponamus grauiſsimam ſarcinã & aſſumamus nobis pennas columbæ, volabimus & requieſcemus, & dicetur nobis: Si dormiatis inter medios cleros pennæ colũbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Dorſum noſtrum, quod prius informe erat, & graui ſarcina premebatur, habeat nitorẽ auri, quod interpretatur, in ſenſu, & alas deargentatas, quæ intelliguntur eloquia ſcripturarum, & regnum Dei intrare poterimus. Dicent Apoſtoli ſe omnia, quæ ſua fuerant, dimiſiſſe, & mercedem pro hac virtute audacter expoſcunt. Quibus reſpõdit Dominus: Omnis qui relinquit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. O quanta beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro mortuis ſemper viuentia, & habere Dominũ debitorem. Si qua autẽ vidua habet liberos, & maximè ſi nobilis familiæ eſt, egentes filios non dimittat, ſed ex ęqualitate eos amet, & vt meminerit primum animę ſuæ, & ipſam putet de filijs, & partiatur potius cũ liberis, quã omnia filijs derelinquat: imò Chriſtũ filiorum ſuorũ faciat cohęredẽ. Reſpondebis: difficile eſt, durũ eſt, & contra naturã: Sed Dñm audies tibi reſpondentem: Qui poteſt capere, capiat. Et ſi vis eſſe perfecta, non tibi iugũ neceſsitatis imponit, ſed poteſtati tuæ liberũ concedit arbitriũ. Vis eſſe perfecta, & primo ſtare faſtigio dignitatis: fac, quod fecerũt Apoſt. vẽde omnia quę habes, & da pauperib. & ſequere Saluatorẽ, & nudã ſolamq; crucẽ, nuda ſequaris & ſola. Nõ vis eſſe perfecta, ſecundũ vis tenere gradũ virtutis, dimitte omnia quecũq; habes, da filijs, da propinquis, nemo te reprehendit, ſi inferiora ſecteris, dũmodo illã ſcias tibi iure pręlatã, quę elegerit prima. Dices: Hoc Apoſtolorum eſt, & virorum: mulierẽ autẽ nobilem nõ poſſe omnia vendere, quę multis adiumẽtis huius vitę indigeat. Audi igitur Apoſtolũ cõmonentẽ. Non vt alijs refrigeriũ, vobis aũt tribulatio: ſed ex ęqualitate, veſtra abũdantia illorum ſuſtẽtet inopiã: vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementũ. Vnde inquit Dñs: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Quid ſi Schytiæ frigora ſint, & alpinæ niues, quę non duabus & tribus tunicis, ſed vix pecudũ pellibus repelluntur? Quidquid ergo corpori noſtro ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda eſt tunica: & quicquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde præceptum eſt, Non cogitetis de craſtino, hoc eſt de futuro tempore. Et Apoſtolus: Habentes, inquit, victum & veſtitum, his contenti ſumus. Si plus habes, quã tibi ad victum veſtitumq; neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem eſſe te noueris. Ananias & Saphyra Apoſtoli meruere ſententiam, quia ſua timidè reſeruarunt. Ergo ne inquies, puniendus eſt, qui ſua dederit? Minimè: ideò puniti ſunt, quia mentiri voluerunt ſpiritui ſancto, & reſeruantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfectè ſæculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur. Alioqui licet liberè vel dare, vel non dare: quamquã ei, qui cupiat eſſe perfectus, præſens paupertas futuris diuitijs compenſanda ſit. *Tom.3.epiſt.150.ad Hebidiam, quæſtione prima.*

*Matth.19.* — *Præter mandata conſilia perfectionis Chriſtus propoſuit.* — *Mar.10.* — *Quibusnam ſint præcipuè eleemoſynæ præſtandæ.* — *Galat.2.* — *Rom.8.* — *Deut.33.* — *Matth.12.* — *Galat.6.* — *Rom.12.* — *Pſalm.119* — *Eſa 6.* — *Rom.12.* — *Matth.5.* — *Lucæ 16.* — *Matth.19.* — *Marc.10.* — *Luc.18.* — *Pſal.54.67.* — *Marc 10.* — *Matth.19.* — *Matth.19.* — *Lucæ 3.* — *Matth.6.* — *1.Tim.6.* — *Actor.5.*

DIVES ille, qui inſtar cameli portabat in Euangelio diuitiarum pondera, & camelus erat, noluit Domini audire conſilia, nec exonerari: vt abiecta ſarcina, alis columbæ volaret ad cælũ, propterea triſtis abijt. Et de iſtiuſmodi Camelo Saluator loquitur: Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regna cælorũ. Difficultatem rei propoſuit, non impoſsibilitatem. Deniq; ſanctæ memoriæ mater tua Paula, fraterque Pammachius per foramen acus, hoc eſt per arctam & anguſtam viam, quæ ducit ad vitam, tranſierunt ad regna cælorum: latam viam cum ſarcinis relinquentes, quæ ducit ad Tartarum. Imò quicquid habebant, in Domini dona portarunt, implentes illud, quod ſcriptũ eſt: Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. Quæ enim apud homines impoſsibilia, apud Deum poſsibilia ſunt: Habẽtes in munerib. principalia, aurum ſenſuum & thus odoris optimi, atq; dicentes: dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Et Chriſti bonus odor ſumus in omni loco: exemplo virtutis ſuæ quotidie nunciant ſalutare Domini: vt omnes oues Cedar congregẽtur in Eccleſia, & de erroris tenebris ad lucẽ tranſeant. Arieteſq; prophetarum, de quibus in viceſimooctauo Pſalmo canitur. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietũ, veniant & offerantur: ſiue (iuxta Theodotionem) Offerant ſe ſacrificium Domino, & placabiles hoſtiæ fiant: vt Chriſti glorificetur Eccleſia. *Tom.4.lib.17.Com.in cap.60.Eſaiæ, fol.201.fac.1.*

*Marc.19.* — *Pro.13.* — *Matth.19.* — *Pſalm.140.* — *2.Cor.2.*

QVOD de decimis primitijſq; diximus, quæ olim dabantur à populo ſacerdotibus ac Leuitis, in Eccleſiæ quoq; populis intelligite: quibus pręceptum eſt: non ſolùm decimas dare, & primitias, ſed & vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & ſequi Dominum Saluatorem. *Tomo quinto Commentar. in caput tertium Malachiæ, folio 285. facie prima.*

*Matth.19.* — *Marc.10.* — *Lucæ 18.*

SI vis perfectus eſſe vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.] In poteſtate noſtra eſt, vtrũ velimus eſſe perfecti. Tamen quicunque perfectus eſſe voluerit, debet vendere, quæ habet, & non ex parte vendere, ſicut Ananias fecit, & Saphyra: ſed totum vendere, & cũ vendiderit, dare omne pauperibus, & ſic ſibi præparare theſaurum in regno cælorũ. Et hoc ad perfectionẽ nõ ſufficit, niſi poſt contemptas diuitias Saluatorẽ ſequatur, id eſt, relictis malis, faciat bona. Faciliùs enim ſacculus cõtemnitur, quã voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dñm non ſequuntur. Sequitur autẽ Dominũ, qui imitator eius eſt, & per veſtigia illius graditur. Qui enim dicit ſe in Chriſto credere, debet quomodo ille ambulauit, et ipſe ambulare. Abijt triſtis: erat enim habens multas poſſeſsiones.] Hęc eſt triſtitia, quæ ducit ad mortem. Cauſaq; triſtitiæ redditur, quòd habuerit multas poſſeſsiones, id eſt, ſpinas & tribulos, quæ ſementem dominicam ſuffocauerint. *Tom.6.lib.3.Com.in cap.19.Matthæi, Canon.40.fac.1.*

*Actor.5.* — *1.Ioan.2.* — *Triſtitia quæ ad mortem ducit.*

INTERRVPIT mare, & eduxit nos. Vſq; hodie ô Monache fidelis, quando duceris de Aegypto, interrumpitur mare, & ſic educeris. *Tom.7. Com.in Pſalm.77.fol.95.fac.2.*

*Monachus ducitur de Aegypto.*

SI ieris in ciuitatem monachus ſolus, & cœperis deambulare, & audieris clamorem in circo, & aliquis tibi dixerit: veni & ſpecta, circus eſt, & cœperis ei tu dicere, non licet: non poſſum ire: ſi ille tibi reſponderit infinita hominum millia, & dixerit tibi, ducenta hominum millia ibi ſunt: ergò illi omnes perituri ſunt, & tu ſolus ſaluus eris: tu debes intelligere: quia Symptoma diaboli eſt, hoc eſt, ſcire debes, quia plures cadunt. *Ibidẽ Pſal.90.fol.116.fac.1.*

*Symptoma diaboli.*

QVANTI ſanctorum fecerunt eleemoſynã, ſed in ſanctitate ruerunt. Perfecti non fecerunt eleemoſynas, quia nõ habebant, vnde facerent. Eleemoſynas nõ facere, crimen habẽtis eſt. Cæterũ qui non habet vnde faciat eleemoſynã, liber eſt. Quantũcunq; dare voluerit, tantum dedit, quia voto dedit. *Tom.7.Com.in Pſal.111 fol.146 fac.1.*

PROPRIE Pſalmus iſte Cœnobijs & monaſterijs conuenit. Licet enim & de Eccleſijs: ſed ibi propoſiti diuerſi, non videtur eſſe tanta concordia. Quæ eſt enim ibi fraternitas? Vtique alius ad domum ire feſtinat, alius ad circum, alius in Eccleſia de vſuris cogitat. In monaſterijs autem, ſicut vnum propoſitum, vnus & animus eſt. Ecce quam bonum & quam iucundum. Vnũ fratrem dimiſimus, & ecce quantos inuenimus. Frater meus ſæcularis (quod de meo loquor, de ſingulis loquor) non tantum me amat, quam ſubſtantiam meam. Cæterùm fratres ſpirituales, qui ſua vtique negligunt, alia non quærunt. Sicut & legimus in Actis Apoſtolorum: Quoniam multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et erant, inquit, illis omnia communia. Rectè erant eis omnia communia, qui vnum Chriſtum poſsidebant. *Ibidem in Pſalm.132. folio 166.fac.2.*

*Concordia monaſteriorum.* — *Monachi prò fratribus ſecularibus inueniunt ſpirituales.* — *Actor.4.*

### *Articulus VII. Placere Deo obedientiam, quæ prælatis propter Deum exhibetur.*

DICAM aliud, quod in Aegypto viderim. Græcus adoleſcens erat in cœnobio, qui nulla abſtinẽtia, nulla operis magnitudine flãmam poterat carnis extinguere, hunc periclitantẽ pater monaſterij hac arte ſeruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgijs atque conuitijs inſectaretur hominem, & poſt irrogatam iniuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati teſtes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat, flere ille contra mendacium: nullus alius credere veritati: ſolus

*Pater Monaſterij.* — *Praxis monaſtica ad liberandum adoleſcentẽ à fornicatione adhibita.*

ſolus pater defenſionem ſuam callidè opponere, ne abundantiori triſtitia abſorberetur frater, quid multa? ita annus ductus eſt, quo explєto, interrogatus adoleſcens ſuper cogitationibus priſtinis, an adhuc moleſtè aliquid ſuſtineret, Pape, inquit: viuere mihi non licet, & fornicari libeat? Hic ſi ſolus fuiſſet, quo adiutore ſuperaſſet? *Tomo 1. epiſt. 4. ad Ruſticum ca. 6.*

*Præpoſitus Monaſterij.*

PROPOSITVM monaſterij timeas, vt Dominum, diligas vt parentem. Credas tibi ſalutare quicquid ille præceperit, nec de maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi Iſrahel, & tace. *Ibidem ad Ruſticum cap. 7.*

*Deut. 26.*

INTER hos ſæpè ſunt iurgia: quia ſuo viuentes cibo, non patiuntur ſe alicui eſſe ſubiectos. *To. 1. Epiſtol. 22. ad Euſtochium cap. 15. fol. 63. facie ſecunda.*

*Decani & præpoſiti monachorũ patres.*

PRIMA apud eos cõfœderatio eſt, obedire maiorib. & quicquid iuſſerint facere: diuiſi ſunt per decurias atq; centurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit, & rurſus decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat, manent ſeparati, ſed iũctis cellulis vſq; ad horam nonam, vt inſtitutum eſt, nemo pergit ad aliũ, exceptis his decanis, quos diximus, vt ſi cogitationibus fortè quis fluctuat, illius conſoletur alloquijs: poſt horam nonam in commune concurritur: Pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur ex more, & completis orationibus cunctiſq; reſidentibus, medius, quem patrem vocant, incipit diſputare: quo loquente tantum ſilentium fit, vt nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare, dicentis laus in fletu eſt audientiũ, tacitę voluuntur per ora lachrymæ, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. *Ibidem fac. 2.*

*Patre loquẽte ſilentium.*

*Viri gubernatores monaſteriorum*

POST virorum monaſterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuerſis prouincijs congregarat, tam nobiles, quàm medij & infimi generis in tres turmas, monaſteriaq; diuiſit, ita duntaxat, vt in opere & in cibo ſeparatæ, Pſalmodijs & orationibus iungerentur. *Tom. 1, epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 10.*

VNVMQVODQVE agmen matrem propriã ſequebatur. *Ibidem.*

*Matres Cœnobiorum.*

HADRIANVS infelix volens Palæſtinam reuerti, & priſtinam ſub nomine magiſtri quærẽs gloriam, multas ei fecit iniurias. Ad extremum, conuaſatis, quæ à fratribus ei miſſa detulerat, neſciente illo profectus eſt. Super hoc quia alter locus referendi non eſt, hoc tantum dixerim in terrorem eorum, qui magiſtros deſpiciũt, quod poſt aliquantulum temporis computruerit morbo regio. *Tom. 1. in vita Hilarion. fol. 114. m.*

*Qui magiſtrum cœnobij contẽpſit, computruit morbo regio.*

*Malchus magiſterio monachorum ſe tradidit.*

QVID multa? Perueni tandem ad eremum Chalcidos, quę inter Iemmam & Eſſam magis ad Auſtrum ſita eſt, ibi repertis monachis, eorũ me magiſterio tradidi, manuum labore victum quæritans, laſciuiamque carnis refrenans ieiunijs. *Tõ. 1. in vita Malchi fol. 116 fac. 2.*

POST grande interuallum, dum ſolus in Eremo ſedeo & præter cælum terramq; nihil video, cœpi mecum tacitus voluere, & inter multa contubernij quoque monachorum recordari, maximeque vultum patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdidAfter ideratque, ſicque cogitans aſpicio formicarum gregem anguſto calle feruere, ferre onera maiora, quam corpora, aliæ herbarũ quædam ſemina forcipe oris trahebant, aliæ egerebãt humum de foueis, & aquarũ meatus aggerib. excludebant, illæ venturę hyemis memores, ne madefacta humus in herbã horrea verteret, illata ſemina pręcidebant, hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant, quod magis mirum, in tanto agmine egrediens non obſtabat intranti, quin potius, ſi quam vidiſſent ſub faſce & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adiuuabant: Quid multa? Pulchrum mihi ſpectaculum dies illa tribuit: vnde recordatus Salomonis ad formicarum ſolertiã nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo ſuſcitantis, cœpi tœdere captiuitatis & monaſterij cellulas quærere, ac formicarum illarum ſimilitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium. Cumque nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt. *Ibidem folio 117. fac. 1. f.*

*Pater monachos erudiebat.*

*Monachorũ & formicarum ſimilitudo appoſitiſſima.*

*Pro. 6.*

ET quia iam Abbas ille meus dormierat in Domino, ad hæc delatus loca me monachis reddo, hanc trado virginibus, diligens eam, vt ſororem, non tamen ei me credens vt ſorori. *Ibidem. fo. 118. fac. 2. f.*

*Abbas monachorum.*

BASILIVS Cæſariæ, Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, Epiſcopus, egregios contra Eunomium elaborauit libros, & de ſpiritu S. volumen, & in Hexameron homilias nouem, & ἀσκητικὸν & breues, varioſq; tractatus. *Tomo. 1. de viris illuſt. in Baſilio.*

*ἀσκητικὰ Baſilij.*

SED & illud vehementer admiratus ſum, ꝙ meis locutus es clericis, aſſerens te per ſanctum presbyterum, & Abbatem monachorum Gregorium mandaſſe mihi, ne quemquam ordinarem. *To. 2. Epiſtola 60. ad Ioanem Hieroſolomytanũ cap. 2. p.*

*Abbas monachorum.*

REGES iſti, qui ſub tanto rege ſunt reguli, patres tui ſunt, qui Euangelica te genuere doctrina. *To. 3. epiſt. 140. ad Principiam fol. 396. fac. 2.*

*Patres ſpirituales.*

NEC magiſter nec pater vocandus eſt alius; niſi Deus pater & Dominus noſter Ieſus Chriſt⁹. Pater, quia ex ipſo ſunt omnia. Magiſter, quia per ipſum omnia, vel quoniam per diſpenſationem carnis eius omnes reconciliati ſumus Deo. Quæritur quare aduerſum hoc præceptum doctorem gentium Apoſtolus ſe eſſe dixerit, aut quo modo vulgato ſermone, maximè in Palæſtina & Aegypti monaſterijs ſe inuicem patres vocent. Quod ſic ſoluitur. Aliud eſſe natura patrem vel magiſtrũ: aliud indulgentia. Nos ſi hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus: non auctorem noſtræ oſtendimus vitę. Magiſter quoq; dicitur, ex cõſortio veri magiſtri. Et ne infinita replicem, quo modo vnus per naturã Deus, & vnus filius, nõ præiudicat cęteris, ne per adoptionẽ Dei vocentur & filij, ita & vnus pater & magiſter nõ pręiudicat alijs, vt abuſiuè appellentur patres & magiſtri. *To. 6. lib. 4. Com. in cap. 23. Matthæi Car 50. fac. 1.*

*Antinomiæ reconciliatio*

*2. Cor. 5. Col. 1.*

*In Palæſtinã & in Aegypto in monaſterijs ſe inuicem Patres vocant.*

*Vide doctè diſſerentem de hoc materia Tiletanũ in altera parte Apologiæ contra Kemnitiũ folio 142. 143.*

ABBA Hebraicũ eſt, idipſum ſignificans, quod & pater. Et hanc conſuetudinẽ in pluribus locis ſcriptura cõſeruat, vt Hebraicũ verbum cũ ſua interpretatione ponat Bartimeus filius Timei. Auſer diuitiæ. Tabita, Dorcas, & in Geneſi, Meſech, vernaculus, & cætera his ſimilia. Cùm autem Abba pater, Hebræo Syroq; ſermone dicatur, & Dominus noſter in Euangelio pręcipiat, nullũ patrem vocãdum, niſi Deum: neſcio, qua licentia in monaſterijs, vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquieſcamus. Et certè ipſe præcepit hoc qui dixerat non eſſe iurandum. Si non iuramus, ne patrem quidem quempiam nominemus. Si de patre interpretabimur aliter, & de iurando aliter ſentire cogemus. *Tom. 6. lib. 2. Comment. in cap. 4. ad Galat. fol. 139. fac. 1.*

*Mar. 10. Actor. 9. Gene. 15.*

*Ex præcedẽti teſtimonio colligitur hoc præſens eſſe ſuppoſitium, et ab aliquo apoſtata monacho inſertum, vide ſcholia.*

SCHO-



## SCHOLIA.

HIC *creditur Hieronymus improbaſſe piam monachorum conſuetudinem, qui præfectos ſuos honoris gratia Abbates ac patres appellant. Adhæc etiam iuramenti ſuis Chriſtianis videtur ademiſſe: Exiſtimo hanc periodũ à turbulento quopiam monacho in fronte paginæ deſcriptam; & inde poſtea operarum negligentia in contextum irrepſiſſe. Hoc vt credam adducor ipſius Hieronymi planè contraria authoritate ſupra etiam adducta, qui ex profeſſo libro 4. Com. in Matthæum inquirens quomodo intelligendum ſit illud ſeruatoris mandatum, Nolite vocari magiſtri; & patrem nolite vobis vocare ſuper terram, &c. ſic ait. Quæritur quare aduerſus hoc præceptum, Doctorem gentiũ ſe eſſe Apoſtolus dixerit; aut quomodo vulgato ſermone, maximè in Palæſtina & Aegypti monaſterijs, ſe inuicem Patres vocant? quod ſic ſoluitur. Aliud eſſe natura patrem, vel magiſtrum: aliud indulgentia. nos ſi hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus: non autem noſtræ auctorem oſtendimus vitæ. Magiſter quoq; dicitur ex conſortio veri magiſtri. Et ne infinita replicẽ, quomodo vnus per naturã Deus, & vnus filius cæteris non præiudicat, ne per adoptionem dij vocentur, & filij: ita & vnus pater & magiſter non præiudicat alijs, vt abuſiuè appellentur patres & magiſtri.*

QVI ſubdis populum meum ſub me] Hoc poteſt ex perſona Chriſti dici, hoc eſt, ex aſſumpto homine. Poteſt aũt ex perſona Apoſtolorũ dici, quia dicitur: Qui ſubdis populum meum ſub me. Dicit hoc & ſanctus pater in monaſterio, & gratias referens Deo dicit. Benedictus Dominus Deus meus, qui ſubdis populum meum ſub me. Nõ enim mihi ſubijcitur, ſed tibi ſubijcitur. Ideò mihi ſeruit, vt ſeruiat tibi. *Tom. 7. Com. in Pſal. 143. fol. 176. fac. 1.*

*Pater in monaſterio habet ſibi ſubiectos monachos,*

## *Articulus VIII. Qui coniugati erant. Monachos nonnunquam fuiſſe factos.*

NON eſt parum virum nobilem, virum diſertum, virum locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miſcere ſe turbis, adhęrere pauperib. ruſticis copulari, de principe vulgum fieri, ſed quantò humilior tantò ſublimior eſt. Lucet margaritum in ſordibus, & fulgor gemmæ puriſsimæ, etiã in luto radiat: Hoc eſt, quod Dominus repromiſit: Glorificantes me, glorificabo. Alij hoc intelligant de futuro, quando mœror vertetur in gaudium, & tranſeunte mundo, ſanctorum corona non tranſit; ego & in præſentiarum video ſanctorum promiſſa compleri. Antequã Chriſto tota mente ſeruiret, notus erat in ſenatu, ſed multi alij habebãt inſulas procõſulares. totus orbis huiuſcemodi honorib. plenus eſt. Primus erat, ſed inter primos. Præcedebat alios dignitate, ſed alios ſequebatur. Quãuis clarus honor vileſcit in turba, & apud viros bonos indignior ſit ipſa dignitas, quam multi indigni poſsident, vnde egregiè de Cæſare Tullius. Cùm quoſdam, inquit, ornare voluit, non illos honeſtauit, ſed ornamenta ipſa dehoneſtauit. At nunc omnes Chriſti Eccleſiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucuſq; diuitẽ neſciebat. Qui conſulatu illuſtrius? Annuus honor eſt, & poſtquã alius ſucceſſerit, prior deſinit. Latent in multitudine laureæ, & triũphi interdũ triumphantiũ ſordib. polluuntur. Quod ante per manus patricias tradebatur, & ſola nobilitas poſsidebat, quo conſul Marius, victor Numidię, Teuthonũ atq; Cimbrorũ, ob ignobilitatẽ familiæ putabatur indignus, quod Scipio vltra annos pro virtute meruit, nunc ſola malitia poſsidet, & agreſtiã dudũ corpora fulgens palma circũdat. Plus ergo accipimus, quã dedimus. Parua dimiſimus & grãdia poſsidemus. Contemplato fœnore Chriſti ꝓmiſſa redduntur. In tali & Iſaac quondam agro ſeuerat, qui paratus ad mortem, ante Euangelium Euãgelicam portauit crucem. Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Si vis perfectus eſſe. Semper gaudia in audientiũ ponũtur arbitrio, & ideò virginitatem Apoſtolus nõ imperat, quia Dominus diſputans de Eunuchis, qui ſe caſtraſſent propter regna cælorum, ad extremũ intulit. Qui poteſt capere, capiat. Non eſt enim volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Si vis perfectus eſſe. Non tibi imponitur neceſsitas, vt voluntas præmium cõſequatur. Si vis ergo eſſe perfectus, & deſideras eſſe, quod prophetæ, quod Apoſtoli, quod Chriſtus eſt: vende non partem ſubſtantiæ, ne timor penuriæ infidelitatis occaſio, ſit, & cũ Anania & Saphyra pereas, ſed vniuerſa, quæ poſsides. *Tom. 1. Epiſt. 26. ad Pammachium cap. 3.*

*1. Reg. 2.*

*Pammachi⁹ ex nobili conſulari vxorato factus monachus.*

*Matth. 19.*

*Gen. 26.*

*Matth. 19.*

*1 Cor. 7. Rom. 9.*

*Actor. 5.*

## *Articulus IX. Propter carnalem erga Parentes affectum, vota religionis deſideranda non eſſe.*

MATREM ita videas, ne per illã alias videre cogaris, quarũ vultus cordi tuo hæreãt, & tacitũ viuat ſub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidijs, q̃a quãto vilior earũ conditio, tãtò facilior eſt ruina. Et Ioan. Baptiſta ſanctã matrẽ habuit, põtificiſq; filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentũ cum periculo viueret caſtitatis. Viuebat in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtũ, nihil aliud dignabatur aſpicere, veſtis aſpera, zona pellicea, cibus locuſtæ, melq; ſylueſtre, omnia virtuti & cõtinentiæ præparata. Filij Prophetarum, quos monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas, propter fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabãt. *Tom. 1. Epiſt. 4. ad Ruſticum, cap. 2. f.*

*Lucæ 1.*

*Matth. 3. Marc. 1.*

*4. Reg. 6. Filij prophetarum monachi veteris teſtamenti.*

SED fortè reſpondeas: Nõ benè morata mater eſt, res ſeculi cupit, amat diuitias, ignorat ieiuniũ, oculos ſtibio linit, vult compta procedere, & nocet propoſito meo, nec poſſum cum huiuſmodi viuere. Primum quidem, & ſi talis eſt, vt cauſaris, maius habebis prœmium, ſi talem non deſideras. Illa te diu portauit in vtero, diu aluit, & difficiliores infantiæ mores blanda pietate ſuſtinuit. Lauit pannorum ſordes, & immundo ſæpè fœdata eſt ſtercore, aſſedit ægrotanti, & quę per te ſua faſtigia ſuſtinuit, tua quęq; paſſa ad hãc perduxit ętatem: Vt Chriſtum amares docuit. Non tibi diſpliceat eius conuerſatio, quæ te ſponſo tuo virginẽ cõſecrauit. Quod ſi ferre nõ potes, & delicias ei⁹ fugis, atq; (vt vulgo ſolet dici) ſecularis eſt mater: habes alias virgines, habes ſanctum pudicitiæ chorũ. Quid matrẽ deſerens, eum eligis, qui forſitan ſuã reliquit ſororem, & matrẽ? Illa difficilis, ſed iſte facilis, illa iurgatrix, ergo iſte placabilis. Quęro vtrũ virũ ſecuta ſis, an poſtea inueneris? Si eũ ſecuta es, manifeſtũ eſt, cur matrem reliqueris, ſi poſtea reperiſti, oſtendis, quid in matris hoſpitio, nõ potueris inuenire. Dur⁹ dolor, & meo mucrone me vulneras: Qui ambulat, inq̃t, ſimpliciter, ambulat cõfidenter. Tacerẽ ſi me non morderet cõſcientia, & in alijs meum crimen non reprehenderem, nec per trabem oculi mei alterius feſtucam viderem. Nunc autem cùm inter fratres

*Cum ſeculari matre religioſus non habeat conſuetudinem.*

*Pro. 10.*

*Matth. 7.*

 procul

procul habitans, eorumque fruens contubernio, honeſtè ſub arbitris, & videam raro & videar: impudentiſsimum eſt eius, te verecundiam non ſequi, cuius ſequeris exemplũ. Quod ſi dixeris. Et mihi ſufficit conſcientia mea: habeo Deũ iudicẽ, qui meæ vitæ eſt teſtis: non curo, quid loquantur homines: Audi Apoſtolum ſcribentem: Prouidentes bona non ſolũ coram Deo, ſed etiam corã hominibus. Si quis te capit, quod ſis Chriſtiana, & ſis virgo: non cures: quòd ideò dimiſeris matrem, vt in monaſterio inter virgines viueres, talis detractio laus tua eſt. Vbi non luxuria in puella Dei, ſed duritia carpitur, crudelitas iſta pietas eſt, illum enim præfers matri, quem præferre iuberis & animæ tuæ, quem ſi & ipſa prætulerit, & filiam te ſentiet & ſororem. *Tomo primo, epiſtola. 47. cap. 2.*

*Rom. 12.*

*Dimittunt ſecalares amicos religioſæ.*

*Matth. 10.*

*Ioann. 12.*

*Matth. 10.*

*Luca 9.*

MVLTA nos facere cogit affectus, & dum propinquitatem reſpicimus corporum, & corporis & animæ offendimus creatorem. Qui amat patrẽ aut matrem ſuper Chriſtum, non eſt eo dignus. Diſcipulus ad ſepulturã patris ire deſiderans, Saluatoris prohibetur imperio. Quanti monachorum, dum patris matriſque miſerentur, ſuas animas perdiderũt? Super patre & matre pollui nobis nõ licet, quãtò magis ſuper fratribus, ſororib. cõſobrinis, familia, ſeruulis? Genus regale & ſacerdotale ſumus. Illũ attendamus patrem, qui nunquàm moritur, aut qui pro nobis moritur, & qui ideò viuens mortuus eſt, vt nos mortuos viuificaret. Si quid habemus de Aegypto, quod princeps mundi huius ſuum poſſet agnoſcere, tenenti Aegyptiæ cum pallio relinquamus. Sindone opertus adoleſcens, vinctum Dominum ſequebatur: incurriſſet in laqueos, niſi expeditus & nudus per ſequentium declinaſſet impetum. Reddamus parentibus quæ parentum ſunt: ſi tamen viuunt, ſi ſeruientes Dño filios ſuos præferri ſibi gloriãtur. *Tom. 3. epiſt. 128. ad Fabiolam fol. 365. fac. 1.*

*1. Petr. 2.*

*Gene. 19.*

*Marc. 14.*

### *Articulus X. Monachos apoſtatas, quia retrò reſpexerũt in aperto æternæ ſalutis diſcrimine verſari.*

*Luca. 15.*

EGo ita ſum, quaſi à cũcto grege morbida aberrans ouis, quod niſi me bonus paſtor ad ſua ſtabula humeris impoſitũ reportarit: labunt greſſus, & in ipſo conamine veſtigia concident aſſurgentis, ego ſum ille prodigus filius, qui omni, quã mihi pater crediderat portione profuſa, necdum me ad genitoris genua ſubmiſi, necdum cœpi prioris à me luxuriæ blandimenta depellere: & quia paululum nõ tam deſiui à vitijs, quàm cœpi velle deſinere: nunc me nouis diabolus ligat retibus, nunc noua impedimenta proponens, maria vndique circundat, & vndique pontum: nunc in medio conſtitutus elemento, nec regredi valeo, nec progredi poſſum, ſupereſt, vt oratu veſtro ſancti ſpiritus aura me prouehat, & ad portum optatum optati littoris proſequatur. *Tom. 1. epiſt. 38. ad Theodoſium & alios Anachoretas.*

### *Articulus XI. Propter nonnullos improbos, non eſſe omnes monachos infamandos.*

NON poſſum ſine gemitu eloqui quod dicturus ſum. Cùm de media pompa funeris te exanimem referrent, hoc inter ſe populus muſſitabat: Nonne illud eſt, quod ſæpius dicebamus? Dolet filiam ieiunijs interfectam, quod non vel de ſecundo eius matrimonio tenuerit nepotes, quouſque genus deteſtabile monachorum non vrbe pellitur? non lapidibus obruitur? non pręcipitatur in fluctus? Matronam miſerabilem ſeduxerunt, quæ quia eſſe monacha noluerit, hinc probatur, quod nulla gentilium ita ſuos vnquàm fleuerit filios. Qualem putas ad iſtas voces Chriſtum habuiſſe triſtitiam? Quomodo exultaſſe ſatanam, qui nunc tuam animam eripere feſtinans, & pij tibi proponens doloris illecebram, dum ante oculos tuos filiæ ſemper imago verſatur, cupit matrem ſimul necare victricis, & ſolitudinem ſororis inuadere relictæ. Non vt terrena loquar, ſed, vt mihi teſtis eſt Dominus, quaſi ante tribunal eius aſsiſtens in hæc te verba conuenio. Deteſtandæ ſunt iſtæ lachrymæ, plenæ ſacrilegio, incredulitate pleniſsimæ, quę non habent modum, quæ vſque ad viciniam mortis accedunt. Vlulas & exclamitas, &, quaſi quibuſdam facibus accenſa quantum in te eſt, tui ſemper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Ieſus, & dicit: Quid ploras? Non eſt mortua puella, ſed dormit. *Tom. 1. epiſt. 25. cap. 6. fac. 1.*

*Pœna deteſtabilium monachorũ.*

*Matth. 9.*

TRIA ſunt in Aegypto genera monachorum: Primum Cœnobitæ, quod illi Sauſes gentili lingua vocant, nos in communi viuentes, poſſumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui ſoli habitant per deſerta, & ab eo, quod procul ab hominibus receſſerint, nuncupantur. Tertium genus eſt, quod Remoboth dicunt deterrimum, atque neglectum, & quod in noſtra prouincia, aut ſolum aut primum eſt. Hi bini vel terni nec multò plures ſimul habitant, ſuo arbitratu ac ditione viuentes, & de eo quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimum in vrbibus & caſtellis, & quaſi ars ſit ſancta, non vita, quidquid vẽdiderint, maioris eſt pretij, inter hos ſæpè ſunt iurgia, quia ſuo viuentes cibo, non patiuntur ſe alicui eſſe ſubiectos, re vera ſolẽt certare ieiunijs, & rem ſecretæ victorię faciunt. Apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſsior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum detractio clericorum: & ſi quando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum. *Tom. 1. epiſtola 22. ad Euſtochium cap. 15. fac. 1.*

*Ex triplici genere monachorum tertium peſſimum.*

*Monachi helluones lurcones & pigri ac craſsi vẽtres malæ beſtiæ graphicè deſcribuntur.*

PORRO mihi tanti ac talis viri conuerſatio, vitaque dicenda eſt. Vt Homerus quoque ſi adeſſet, vel inuideret materiæ, vel ſuccũberet, quam quam enim ſanctus Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, qui cum Hilarione plurimum verſatus eſt, laudem eius breui epiſtola ſcripſerit, quæ vulgò legitur: tamẽ aliud eſt, locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare virtutes. Vnde & nos fauore magis illius, quã iniuria, cœptum ab eo opus aggredientes, maledicorum voces contemnimus, qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forte detrahent & Hilarioni, illum ſolitudinis calumniati, huic obijcientes frequentiam, vt qui ſemper latuit, non fuiſſe, quia à multis viſus eſt vilis exiſtimetur. Fecerunt hoc & maiores eorum quondam Phariſæi, quibus nec Ioannis eremus, ac ieiunium, nec Domini ſaluatoris turbę, cibi, potuſque placuere. Verum deſtinato operi imponam manum, & Scyllæos canes obturata aure tranſibo. *Tom. 1. in vita Hilarionis. f.*

*Epiphanius Hilarionis laudem deſcribit.*

*Detractores & calumniatores vitæ monaſticæ reprehẽduntur.*

*Matth. 11.*

AVDIO pręterea eum libenter virginum & viduarum cellulas circumire, & adducto ſupercilio, de ſacris inter eos litteris philoſophari. Quid in ſecreto, quid in cubiculo mulierculas docet? Vt hoc



Vt hoc ſciant eſſe virgines, quod maritatas, vt florem ætatis non negligant, vt comedant & bibant, & balneas adeant, munditias appetant, vnguenta non ſpernant? An magis ieiunia & pudicitiam, & illuuiem corporis? vtique illa præcipit, quæ plena virtutis ſunt. Fateatur ergo publicè, quod domi loquitur: aut, ſi & domi eadem docet, quæ & publicè, à puellarum conſortio ſeparandus eſt. Miror autem, non erubeſcere iuuenem & Monachum, vt ſibi videtur, diſertũ, cuius de ore veneres fluunt, qui tantæ in ſermocinando elegantiæ eſt, vt comico ſale ac lepore conſperſus ſit, luſtrare nobilium domos, hærere ſalutationib. matronarũ, religionem noſtrã paganam facere, & fidẽ Chriſti contentione torquere, atque inter hæc fratri ſuo detrahere. Vtiq; ſi errare me arbitratus eſt (in multis enim offendimus omnes, etſi quis in verbo non peccat, hic perfectus eſt vir) debuit vel arguere vel interrogare per literas, quod vir eruditus & nobilis fecit Pammachius: cui ego reſponſum dedi, vt potui, & Epiſtola longiori deſerui; quo quidque ſenſu dixerim. Imitatus ſaltem fuiſſet tuam verecundiam, qui ea loca, quæ ſcandalum quibuſdam facere videbantur, excerpta de volumine per ordinem digeſsiſti, poſcens, vt vel emendarem, vel exponerem, & non tantæ me putaſti dementiæ, vt in vno atque eodem libro, & pro nuptijs & contra nuptias ſcriberem. Parcat ſibi, parcat mihi, parcat nomini Chriſtiano, monachum ſe eſſe non loquendo, & diſcurſando, ſed tacendo nouerit. Legat Hieremiam dicentem: Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolus & tacebit: quia tulit ſupra ſe iugum. Aut ſi certè in omnes ſcriptores cenſoriam accepit virgulam & idcircò ſe eruditum putat, quia Iouinianum ſolus intelligit: eſt quippe Prouerbiũ: Balbum melius balbi verba cognoſcere: πάντας συγγραφεῖς pellamus Attilio iudice. Ipſe quoque Iouinianus συγγραφεὺς ἀγράμματος iuſtiſsimè proclamabit: quod me damnant Epiſcopi, non eſt ratio, ſed conſpiratio. *Tom. 2. Epiſt. 51. ad Domnionem. m.*

*Monachum ſycophantam diſcipulum Iouiniani carpit, quod fæminarum arctiori conſuetudine vteretur, & clam ſe reprehenderet.*

*Iacob. 3.*

*Officium Monachi.*

*Thren. 3.*

QVIDAM pſeudomonachus, vel accepta pecunia, vt perſpicuè intelligi datur, vel gratuita malitia, vt incaſſum corruptor nititur perſuadere, compilatis chartis eius & ſumptibus, Iudas factus eſt proditor, deditque aduerſarijs latrandi contra me occaſionem, vt inter imperitos concionetur, me falſarium, me verbum non expreſsiſſe de verbo. *Tom. 2, Epiſtola 101. ad Pammachium, de optimo genere interpret. fol. 333. fac. 1.*

*Pſeudomonachus notatus.*

IN Nazaræis plerumque dum virtutum copia, etiam plus quam expedit proſperatur in quãdam ſui fiduciã mens adducitur, & decepta præſumptione propria, repente peccato ſurripiente infuſcatur. Vnde rectè ſubiungitur. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Nigri enim poſt candorem fiunt, quia amiſſa Dei iuſtitia, cum de ſe præſumunt, in ea etiam quæ non intelligunt, dilabuntur peccata. Et qui poſt amoris ignem ad frigus torporis veniunt extinctis carbonibus ex comparatione præferuntur: Nonnunquam enim dum timorem Dei per ſui fiduciam deſerunt, etiam frigidis mentibus, frigidiores fiunt. De quibus rectè ſubiungitur: Non ſunt cogniti in plateis. Platea quippe ſermonis græci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero eſt humanæ menti anguſtius, quam voluntates proprias frangere? De qua fractione veritas dicit: intrate per anguſtam portam. Quid autem latius, quam nullis proprijs voluntatibus reluctari, & quaquam verſum impulſus arbitrij duxerit, ſe ſine retractatione diffundere? Qui ergo per fiduciã ſanctitatis poſtpoſito meliorum iudicio ſe ſequuntur: quaſi per plateas pergunt: ſed non ſunt cogniti in plateis, quia de vita ſua aliud oſtenderunt; quando voluntates proprias, in anguſto ſe calle retinebant. Et bene additur: Adhæſit cutis eorum oſſibus. Quid in oſſe niſi duritia fortitudinis? Quid in cute, niſi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere oſsibus dicitur, quia ab eis praua ſentientibus, infirmitas vitij, duritia virtutis putatur. Infirma enim ſunt quæ faciunt: ſe delationis fiducia decepti, fortibus ea ſuſpicientibus iungunt, & quo de ſe magna exiſtimari cupiunt, eo de ſua nequitia emendari contemnunt. Vnde rectè adiungitur: Aruit & facta eſt quaſi lignum. Culpa quippe eorum tanto inſenſibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur. Quàm rectè aridam aſſerit, quia nulla ſui cogitatione virideſcit. *Tomo quarto libr. 3. Comment. in cap. 4. Lament. Hieremiæ, folio 325. facie 2.*

*Vitium præſumptionis mentis elatæ in Nazaræis id eſt, continentiæ & abſtinentiæ ſectatoribus monachis reprehendit.*

*Matth. 7.*

*Frangere voluntatem propriam, eamq; abdicare ſumma perfectio eſt.*

QVAMDIV pedes noſtri ambulant in via diaboli, Chriſtus non regnat in nobis. Iraſcor ſine cauſa fratri meo, in via diaboli ambulo, Chriſtus non regnat in me. Detraho fratri meo, in via diaboli ambulo, Chriſtus non regnat in me. In quocunque peccato ambulauero, in via diaboli ambulo: Chriſtus non regnat in me. Mens mea vana eſt, & diuerſa diſtrahitur. In vno loco ſum, & mens mea per totum orbem vagatur. Angelos mundus capit, reges capit, exercitus capit, Monachum non capit. Hoc totum quare dico: Propter eos qui in toto orbe vagantur, & in vno loco ſedere non poſſunt. *Tom. 7. Commentariorum, in Pſalm. 145. fol. 181.*

*Inuehitur in monachum vagabundũ.*

NON putent monachi ſe debere eſſe ſecuros, & dicant interim: Grandia crimina nõ facimus in monaſterio: non adulteror: non furtum facio: nõ homicidiũ facio, nõ parricidiũ facio, &c. quę grandia vicia ſunt. Grande ſcelus eſt, quando detraho fratri meo: lingua mea fratrem interficio. Qui enim odit fratrem ſuum, homicida eſt. Videte quid dicat Salomon: In manu linguæ, mors & vita. Videte quid dicat: In manu linguæ. Vides quantum malum ſit lingua, & manum habet. Qui enim dicit? In manu linguæ. Grande vitium eſt detrahere fratribus, tacere non poſſe, circuire cellas, alijs detrahere. Ego peccator ſum, iſte peccator eſt, quid ad te? Teipſum conſidera ne cadas. Quid in alterius ruina exultas. Nunquid ſi ego cecidero, tu ſtabis? Licet ruina mea ſit: ruina fratris, timor tuus eſſe debet, non exultatio. Ille cecidit, lætaris an triſtis es? Reſponde mihi: Frater cecidit: aut lætus es, aut triſtis? Si lætus es, vt quid in alterius ruina lætus es? Si autem triſtis es, quid circuis, quid alijs narras? Triſtitiam tuam Deus videat, & ipſe frater ſentiat, non fratrum aures audiant. Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. *Tom. 7. ſecunda expoſitione in Pſal. 119. fol. 118. fac. 2.*

*1. Ioan. 2.*

*Prouer. 18.*

*Detractio & virulenta lingua monachorum, quæ in cœnobijs regnat & dominatur, ſeuerè notatur.*

INFOELICES nos, linguam noſtram continere non poſſumus: non poſſumus non detrahere, ſi nos aliquis offenderit, quaſi vultum oſtendimus pacatum, cæterum cor habet venenum. Monachi dicimur, & licet non ſimus, quales

*Monachorũ venenatæ linguæ, odia, ſimultates rẽprehenduntur.*

*Horarum canonicarum tempora obſeruarunt monachi.*

quales eſſe debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus, hora ſexta oramus: nona lucenarium farimus: media nocte conſurgimus: Deinde gallicinio oramus. Videte quibus horis ſemper ad obſequium Dei ſuſcitamur. Videte quid dicat: Hora tertia, ſexta, nona, lucernarium, medio noctis, gallicinio, mane primo. Hoc totum facimus, & non conſideramus: quaſi inimicitias habet anima noſtra contra fratrem, ſine cauſa oramus. *Matth. 5.* In Euangelio enim quid dicitur? Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi, quod aliquid frater tuus habet aduerſus te. Videte quid dicat: Non dixit: Si habes aliquid contra fratrem tuum, ſed ſi aliquid frater tuus habet contra te. Rem quaſi iniuſtam videtur nobis imponere: ſi enim dixiſſet, ſi habes aliquid contra fratrem tuum, in noſtra erat poteſtate quod habebamus. Nunc vero quid dicit? Si recordatus fueris, quod aliquid habet frater tuus aduerſus te. Reſpondeo ei: Domine non eſt hoc in mea poteſtate, ſi frater meus habet, aliquid contra me, ego nihil habeo contra eum. Si ille habet contra me, ad me quid pertinet? Et quare non vis ſuſcipere munus meum, & dicis: ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid contra te: Dimitte munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo, & ſic offeras munus tuum: Ecce ego nihil habeo: ſi ille habet, ad me quid pertinet? Reſpondet tibi Dominus: Et quid dicit: Male ſerue intelligo animum tuum: Nihil habes contra fratrem tuũ? nihil habes? amas illum? Quare ſaluari eum non vis? Si amas illum, vade, roga eum, ne ille contra te habeat vt ſaluari poſsit. Si oſtendis quia non diligis eum: quia ſaluari eum non vis, vade roga eum: mitte te ei ad pedes eius, diebus & noctibus deprecare. Dicito: Munus meum dimiſi ad altare, propter victimas offerre non poſſum. Ille compungitur, & quid dicit: Si iſte qui me rogat, non offert munus ſuum: ego qui rogatus ſum, & non ignoſco, quid facturus ſum? Propterea dicit & Apoſtolus, vt inimicis noſtris manducare demus, & bibere. Et quid dicit? Hæc enim inquit faciens, carbones ignis congregas ſuper caput eius. Dicat aliquis: Hoc inimici faciunt? ideò benefaciunt aduerſario, vt carbones ignis cõgregent ſuper caput eius. Sed aliud dicitur: ſi tibi ille malefecerit, & tu ei benefeceris, carbones ignis congregas ſuper caput eius. hoc eſt, mũdas vitia eius, & excoquis malitiam eius, vt ad pœnitentiã conuertatur. Videte ergo, quid dicat hic ſanctus Propheta: Cum his qui oderant pacẽ eram pacificus: Non dixit, Qui volebant pacem, ſed qui oderunt pacem. Illi oderant pacem, & ego amabam eos, qui oderant pacem. Ideò dicit & Apoſtolus: Quantum ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Rogemus fratrem: Si inimicus noſter eſt: rogemus, & bis, & ter, & ſepties. Domine, & ſi peccauerit frater meus, quotiens dimittam illi, ſepties? Dico tibi, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, hoc eſt, quadringenties nonagies. Si voluerimus computare de mane vſque ad veſperam, tanta peccata facere non poſſumus, quadringenta nonaginta. Tamen quid dicit Dominus? Si ſeptuagies ſepties peccauerit in die, & conuerſus rogauerit te, dimitte ei. Si dicis: Non ex toto corde conuertitur, mentitur. Non dimittamus Deo iudicium, rogat me, deprecatur: non dicit hoc verè, Deus nouit: Ego vocem audio: Chriſtus cor intelligit: ego ſuſcipio quod audio: ſuſcipiat Chriſtus, quod nouit. Deinde vide mercedem tuam: mentitur ille, tu verum ſuſcipis: illius interfectio eſt, tua ſalus. Hoc totum quare locutus ſum? Quoniam in monaſterijs & maximè in cœnobijs, ſolent eſſe iſta vitia. Non erubeſcimus, non dolemus, dimiſimus matres, dimiſimus patres, dimiſimus fratres, dimiſimus ſorores dimiſimus vxores, dimiſimus filios, dimiſimus patrias noſtras, dimiſimus domos, dimiſimus cellulas noſtras, dimiſimus cellas in quibus nati ſumus & nutriti, & dimiſimus ſeruulos, cum quibus nutriti ſumus, venimus in monaſterium: & propterea hæc dimiſimus omnia, vt propter rem friuolam, rixam cum fratribus faciamus in monaſterio? Dimiſimus poſſeſsionem, dimiſimus patriam, dimiſimus ſæculum, & propter calamum rixam facimus in monaſterio? Si verbum amarum audiero, ferre non poſſum, æſtuat in corde meo: ſcribitur in medullis meis diebus decem, aut quindecim, non poteſt tolli de corde meo: loquar fratri meo, qui mihi iniuriam fecerat, & pacem labijs promitto, & corde venenum teneo. Frequenter & oculi & vultus mentis indicium eſt. Quando cor noſtrũ vulneratum eſt contra aliquem, non poſſumus eum aſpicere rectis oculis, vultus ipſe, & oculi, quaſi ſpeculum animæ noſtræ ſunt. Quid dicit ſcriptura: Et non poterant loqui quicquam pacificum Ioſeph, non poterat lingua mentiri, quod cor intus non continebat. Hoc igitur dico vobis ipſis, & mihi: neque enim adhuc prædico, vt quaſi me ſecurum faciam: occaſio iſtius verſiculi compulit nos ita dicere. Grande malum eſt lingua. Domine libera animã meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Non ab alterius lingua, ſed à mea lingua libera. Nihil mihi nocet lingua alterius, mea lingua mihi inimica eſt. Domine libera animam meam: Me libera à lingua mea: lingua mea gladius eſt, interficit animam meam. Puto quod inimico meo noceam, & neſcio quod meipſum occido. Pugnant aduerſarij, quando loquor illis, & ego pacifica loquor. Illi habeant inimicalem animum, nos verò habeamus pacificalem animum: Siquidem ſcriptum eſt, & in Paralypomenon libro: Et egreſsi ſunt, inquit, filij Iſrael ad pugnandum mente pacifica. Aliquis vadit ad pugnam, & & mentem pacificam habet: ſed Chriſtianorum arma pax eſt: pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum. Beati pacifici: non ſolum qui pacem faciunt inter rixantes, ſed qui in ſeipſis pacem faciunt. Beati pacifici. Si alij rixam faciunt, & ego medius intercedam, & faciam inter eos pacem, & ipſe non habeam pacem in mente mea: quid mihi prodeſt, quod illi pacem fecerunt? Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati pacifici, qui loquuntur his qui oderant pacem, pacifica. Beati pacifici. Chriſtus pax eſt: Si enim Salomon interpretatur, Chriſtus: Salomon autem interpretatur pacificus: ergo Chriſtus Deus noſter, pax eſt. Vadens ad cœlum, nobis vexillum dimiſit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Seruemus ꝙ Chriſtus donauit, habeamus pacem. Seruemus pacem, & illa nos ſeruabit in Chriſto Ieſu. *Tomo. 7. Comment. in Pſal. 119. fol. 189. fac. 2.*

*Non modo prius lædens, ſed & pars læſa debet petere & quærere reconciliationem: vide Cornelium Ianſenium in Commentarijs Concordiæ Euangelicæ in cap. 5. Matthæi ex veterum Patrum ſententia ea de re copioſè & doctè diſſerentem.*

*Rom. 12.*

*Excoquenda malitia inimici & beneficijs emolliendus atq; vincendus.*

*Rom. 12.*

*Matth. 19.*

*Diſcordiæ, rixæ, calumniæ maximè regnant in monaſterijs.*

*Vultus & oculi animæ ſpeculum.*

*Geneſ. 37.*

*Lingua grande malum Iacobi cap. 5.*

*1. Para. 12.*

*Philip. 4.*

*Matth. 5.*

*Ioan. 14.*

*Hier. 1.*

Dominus qui locutus eſt ad Prophetam: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna eradicare, & ſuffodere, & diſperdere, & rurſum ædificare



*Nullis temporibus hæreticorum dogmatum venena præualent Eccleſiæ.*

ficare ac plantare, ſingulis temporibus eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam: vt integrum corpus conſeruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant. Quod quidem nunc videmus expletum. Non Eccleſia Chriſti qui non habet maculam, neq; rugam, aut aliquid iſtiuſmodi, egredientes de cauernis ſuis, Origenis colubros Euangelico enſe truncauit, & ſecundum Nitriæ monachorum agmen, cogitatione peſtifera liberauit. *Tom. 2. Epiſtola 67. ad Epiphanium.*

*Epheſ. 5.*

*Agmina monachorũ Nitriæ erroribus Origenis fuerunt infecta.*

### *Articulus XII. Veſtitus monaſticus.*

*4. Reg. 2.*

Helias igneo curru raptus ad cœlum, meloten reliquit in terris. *Tom. 1. Epiſtola 28. ad Licinium. Vide in fine vitæ ſancti Pauli eremitæ de veſte monaſtica in teſtamento relicta.*

## *Caput nonum, De imaginibus Chriſti & ſanctorum.*

### *Articulus I. Imagines Chriſti & ſanctorum venerandas & in honore ac precio habendas eſſe.*

Etenim vt Deus, (inquit) conceſſit omnibus gentibus adorare quæ manu ſunt facta; Iudæis quidem cruſtas illas, quas fabricauit Moyſes, præterea duo Cherubin aurea: ita nobis Chriſtianis crucem largitus eſt, & bonorum operum imagines pingere, & venerari, atque ita noſtrum opus apud Deum probare. B. Hieronymus in quodam ſermone, cuius fragmentum aſſeruatur in Epiſtola Decretali Hadriani Pontificis Maximi miſſa ad Imperatorem Conſtantinum & Irenem, inducitur ab Alano Copo Dialogo 4. & à Galeno Veſtcapellio in Catecheſibus Catecheſi 51.

*Apoſtolorum imagines adumbratæ.*

Revera in ipſis cucurbitis vaſculorum (quas vulgò Saucomarias vocant) ſolent Apoſtolorum imagines adumbrari: è quibus & ille (Canthelius) non ſuum ſibi nomen aſſumpſit. *Tom. 5. Com in cap. Ionæ Prophetæ.*

*Pictura crucis regum purpuras & diadematum gemmas condecorat.*

Dii quondam nationum cum bubonibus & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt, vexilla militum, crucis inſignia ſunt, Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris pictura condecorat. *Tom. 1. Epiſtola 7. ad Lætam, cap. 2. Vide infra titulo decimo proximè ſequenti articulo 4. & 5. de imagine ſanctæ crucis, eiuſque cultu & veneratione varia B. Hieronymi teſtimonia.*

*Miraculum editum per tria ſigna crucis.*

Hilarion cum tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſque contra tenderet; eſt dictu incredibile, in quantum altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit; ac diu fremens, & quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemet ipſum relapſum ſit. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

Splendor Chriſti quaſi ſol iuſtitiæ clara radiauit, & cornua in manibus eius, vexilla & tropæa crucis, & in ipſis cornibus abſcondita eſt fortitudo eius, id eſt, in ipſa cruce. *Tomo. 5. libr. 2. Com. in cap. 3. Habacuc.*

### Obiectio.

Avdivi *quoſdam murmurare contra me, quia quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſemq; ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem, quis locus eſſet, didiciſſemq; eſſe Eccleſiam, & intraſſem, vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus eiuſdem Eccleſiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cuiuſdam. Non enim ſatis memini, cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra authoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferent, illiq; contra murmurantes dixerunt: Si ſcindere voluerat iuſtum erat, vt aliud daret velum, atque mutaret. Quod cum audiſſem me daturum eſſe ſum pollicitus, & ilico eſſe miſſurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere. Arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire: & precor, vt iubeas presbyteros eiuſdem loci ſuſcipere velum à latore, quod à nobis miſſum eſt; & deinceps præcipere, in Eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi. Decet enim honeſtatem tuam hanc magis habere ſollicitudinem, vt ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt Eccleſia Chriſti, & populis, qui tibi crediti ſunt. Tomo 2. Epiſtola 60. ad Ioannem Hieroſolymitanum, cap. 5.*

### Solutiones.

Hac *epiſtola prima fronte non tantum Iconomachia non videtur damnari; verum etiam imagines eſſe præter omnium ſcripturarum authoritatem, probari. Imo verò etiam Epiphanij viri doctiſsimi ac ſanctiſsimi exemplo ſtatuitur Iconoclaſis, qui ſuis manibus velum ipſius Chriſti vel alterius effigiem repræſentans, diſſecurrit. Accedit pondus Hieronymianæ authoritatis qui procul dubio approbauit, quam ſua translatione dignam iudicauit: vt præteream quod ipſe in libro de Optimo genere interpretandi ſcribat ita certatim ab omnibus Romanis Epiſtolam emptam, vt vix in ſatis varia exemplaria transfundi poſſet, cum propter Epiphanij ſingularem ſanctimoniã tum propter tranſlationis elegantiam. Sed (vt ſolutioni me accingam) ſi Epiphanius inter Iconoclaſtas nomen ſuum profiteri voluiſſet, hanc imaginum venerationem (vt rectè ratiocinatur Nicænum Concilium 350. annos poſt Epiphanium) in hæreſeõn catalogo retuliſſet; cum diligentiſsimè non modo ſuo ſæculo notas hæreſes: verum & opiniones erroreſque priuatim ſingulorum hominum in Panario & Ancyrato perſtrinxerit. Neque illud contemnendum argumentum ab illo minime fuiſſe reiectas imagines, quod eius diſcipuli, qui ſolent præceptoris fidem vel errores imbibere templum ſub nomine eius Deo conſecratum picturis vndiq; colluſtrarunt. Quare veneror quidem laudatiſsimi viri Epiſtolam partim quod totus liber de optimo genere interpretandi nil eſt aliud quam huius Hieronymianæ verſionis Apologia: partim quod in ſcripto aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum Hieronymus repetat omnia huius Epiſtolæ præcipua capita & huius ἀνταπολογίαν inſtituat, & eiuſdem Hieronymi noſtri ad Theophilum datæ literæ huius rei teſtes ſint. Verum id rurſus contendo hanc de velo fabulam Hieronymianæ tranſlationi ab indocto quodam Iconoclaſta aſſutam. Nam primum ſi phraſin & ſtylum Epiſtolæ ſpectes, plane abhorret ab elegantia & delicijs Hieronymiani ſtyli impedita, & ſalebroſa oratio. Accuſatus à Ruffino Hieronymus quaſi non propriè & commodè eam Epiſtolam tranſtuliſſet, fateor (inquit) me in interpretatione græcorum abſque ſcripturis ſacris, vbi & verborum ordo myſterium eſt, non verbum è verbo; ſed ſenſum exprimere. Id ſi verum eſt; ſi noluit ad verbum vertere, ne parum concinna eſſet interpretatio; ſi græcas Epiphanij ſententias latinis elegantiſsimas reddidit: hæc appendix erit expungenda qua nihil poteſt inſulſius inueniri, quæq; neſcio quem gallicum affictum idiotiſsimum redolet. Adde quod Hieronymus in libro de Optimo genere interpretandi bipartitum conſtituat huius Epiſtolæ argumentum; prius quod pleroſq; Iohannis Hieroſolymitani errores reprehendat; poſterius quod amicè ad meliora cohortetur; & reprehenſionis libertatem*

*Prima reſpõſio.*

*Actione 2.*

*2. Solutio. Nicæna Synodus 2. act. 6. tom. 5.*

*Tribus de de cauſis hæc Epiſtola verè eſt Epiphanij*

*Appendicem de velo aſſutam ab Iconoclaſta docetur.*

*1. Ratio. Libro de Optimo genere interpretandi.*

*2. Ratio.*

*tem, ne offendatur, deprecetur. Ex quo ſatis apparet illas aſſlictas de ſciſſo velo nugas ne legiſſe quidem aut vertiſſe, vnquam Hieronymum. Verum id luce ipſa clarius conſtare*

*3 Ratio.*

*poteſt ex peroratione Epiphanij iiſdem penè verbis quibus Apoſtolus eam quæ eſt ad Romanos concludentis Epiſtolam: Cum hæc ita ſe habeant, dilectiſſime, cuſtodi animam tuam, &c. Hæc procul dubio peroratio, ſi ſuperiorem ſcilicet geminam Epiſtolæ ſectionẽ ex Hieronymo inſpiciamus, videbitur Epiſtolam abſoluere. Omiſſis Epiſtolæ verbis rem ipſam ponderemus.*

*4. Ratio.*

*Quis vnquam ita abhorruit ab omni pietate ac doctrina, vt inficias ire poſſet fas eſſe cuiquam domi vel publicè habere imaginem Chriſti; & aſſeueraret id eſſe contra ſcripturarum authoritatem, contra religionem noſtram?*

*Non eſt contra ſcripturã imaginum cultus.*

*Etenim nec ipſe quidem Caluinus extra Eccleſiam, ſi remoueatur adoratio, haberi poſſe imagines inficiatur. Hæc autem imago non in templo, ſed præ foribus Eccleſiæ conſpiciebatur, neq; de eius adoratione quicquam certi compertum eſt. Quæ igitur iuſta cauſa ad conſcindendum Epiphanium impulit? Iam verò quæ ſcripturæ Chriſtianorum imagines interdicunt? cum Cherubin ſub forma humana fuerint in templo Salomonis. Profectò Chriſti & ſanctorum imagines Epiphanij ſæculo in Chriſtianorum Eccleſijs depictas extitiſſe, ex Nicæna 2. Synodo apertiſſimè intelligitur.*

*Epiphanij ætate imaginum cultus in praxi Eccleſiæ.*

*Quamobrem non poſſum adduci vt credam Epiphanium violaſſe imagines ab Eccleſia receptas: eas verò ignominia affeciſſe poſt ducentos annos Serenum Maſſilienſem Epiſcopum inuenio. Quem ideo ita carpit Gregorius primus, vt ſatis inde appareat, eius ſæculo non fuiſſe notam hanc de Epiphanio ac Hieronymo fabulam; aut ſi nota fuerit longè alio animo fuiſſe acceptam, quam ab Euangelicis hodie in deteriorem partem rapitur.*

*Lib. 9. Epiſt. 9.*

*5. Ratio.*

*Gregorius, namque primus dum Sereni factum reprehendit inter cætera hæc quoque inſerit. Dic frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te reuocare debuit, ne alijs fratribus deſpectis, ſolum te ſanctum & eſſe crederes ſapientem? Nunquam ita ſcripſiſſet Gregorius, ſi Epiphanium talem ac tantum virum (vt in graui illa inſectatione Valentiniana tantæ fuerit venerationis, vt regnantes hæretici ſuam ignominiã eſſe putarent, ſi eum perſequerentur, cuique Apoſtolicum honorem omnes teſte Hieronymo deferebant) ſibi præeuntem habuiſſet Serenus.*

*Ex verbis ipſius Epiſtolæ ducitur nil facere contra imagines Chriſtianorũ*

*Sed expendamus paulo accuratius Epiphanij & eius interpretis Hieronymi verba. Diſcidit velum, in quo non Chriſti, non ſancti alicuius (abſit) ſed prophani cuiuſdam hominis (ne fortè Iouis, Herculis vel Veneris) imago depicta erat, quæ tamen inſtar Chriſti aut ſancti alicuius imaginis præ foribus templi conſpiciebatur. Hoc indigniſſimum inter Chriſtianos ſpectaculum ſi tam iniquo animo tulit Epiphanius, vt velum lacerarit ac ruperit, fecit rem & ſanctitate ſua & Epiſcopi munere dignã. Commemorant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ olim pictorem quendam figura Iouis Chriſtum depinxiſſe: ſed ſubito, vindicta tam impiam manum, vt ſtatim exarſceret, inſequuta eſt.*

*Theodo. Lector in Collect. lib. 1. Nicephorus lib. 1. cap. 23.*

*Epiphanius igitur hoc ipſo loco potius Chriſti & ſanctorum imagines in noſtris templis comprobat. Demonſtrent nobis hæretici, vel vnum his mille annis Catholicum, qui de hoc velo ab Epiphanio ſciſſo mentionem vllam faciat, vel in tam ſiniſtram partem, vt iſti adeò perſidã rapiat. An Apologetici in Anglia cum Magdeburgenſibus & Caluino adeo oculati ſunt, vt quod trecenti Iconomachi in ſua Conſtantinopolitana Synodo non poterant in hac Epiſtola Epiphanij perſpicere; ipſi iam poſt 900. annos fere incredibili quodam acumine ingenij ſoli ſcilicet & primi inuenerint? Non me fugit quoſdam etiam reſpondere, ſuſpectum fuiſſe Epiphanium de hæreſi Antropomorphitarum, atq; ideò vt hanc ſuſpicionem amoliretur, velum laceraſſe: nonnullos imaginem hanc in morem idoli fuiſſe cultam: pleroſq; etiam necdum fuiſſe in Eccleſia imaginum cauſam deciſam: poſtremo non oportere nos priuatam & ſingularem vnius alicuius patris opinionem (nam vna hyrundo non efficit ver) ſed vſitatiſſimum & vniuerſalem patrum atque Eccleſiæ conſenſum reſpicere, atque ſequi. Quare Epiphanij epiſtolæ appendicem vel ſuppoſititiam eſſe, vel alio ſenſu accipiendam ſatis ſuperq; iam demonſtratum eſt.*

### ALIA OBIECTIO CVM SVBIECTA ſolutione.

*HIERONYMVS in hæc verba cap. 3. Danielis Deos tuos non colimus, & ſtatuam, quã erexiſti non adoramus, ita ſcribit. Cultores Dei imagines adorare non debent, ergo iudices & principes ſæculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo, & notanda proprietas: Deos coli imaginem adorari dicunt: quod vtrumque ſeruis Dei non conuenit. Balthaſar Hiemairus, qui ob hæreſeos peruicaciam anno Domini 1528. Viennæ exuſtus eſt, in libro, quem aduerſus imaginum cultores inſcripſit, hoc Hieronymi teſtimonio ad defenſionem erroris ſui abutitur. Sed huic alijſque ſimilibus Patrum & Conciliorum teſtimonijs breui & facili reſponſione ſatiſfieri poteſt quod ineptiſſimè ad venerabiles ſanctorum imagines accommodent quæ Hieronymus ſcripſerat de ſtatua regis Aſſyriorum, aliiq; Patres, ſcripturæ & Concilia de alijs imaginibus gentilium; quas illi non ſolum dijs, hoc eſt, dæmonibus ſuis, ſed etiam regibus ac principibus ſuis viuis ac defunctis ponebant, & impiè adorabant. Has ipſe dixit non eſſe adorandas, non autem illas, quas vero Deo, & beatis amicis eius, ac ſeruis nos Chriſtiani conſecramus. In quo argumenti genere ſi omnibus Iconoclaſtis vnicus ſaltem Anathematiſmus Nicæni 2. Concilij perpetuò ob oculos verſaretur, non eam fœdè tot veteris teſtamenta, totq; Patrum & Conciliorum loca, quæ de imaginibus gentilium loquuntur, violarent, & violenter ad Chriſtianorum imagines transferrent, vnico enim hoc quaſi mucrone omnia aduerſariorum tela confodiuntur, nodiq; diſſecantur. Anathematiſmus memorabilis & notatu dignus Concilij Nicæni, Actione 2. ſic habet. Qui ſacræ ſcripturæ verba de idolis & gentilium ſtatuis ad venerandas Chriſtianorum imagines exponentes trahunt, execratio.*

*Pſal. 113. Sap. 13. 15. Eſaiæ 40. 41. 44. Hier. 2. & 10. Baruch. 6. Deut. 4.*

## *Caput decimum, De diuerſis Ceremonijs, antiquiſſimiſq; nonnullis Eccleſiæ conſuetudinibus.*

### *Articulus I. Cerimonias & ſigna externa ad pietatis exercitia admodum eſſe vtilia.*

NOSTRA Hieruſalem, id eſt, Eccleſia, ſi prætierierimus cerimonias Dei primum minoribus poſtea maioribus tormentis ſubijcietur. *Tom. 4. lib. 5. Comment. in cap. 16 Ezechielis.*

*Pœna Dei ceremonias negligentium.*

SVBLATIS cerimonijs Dei à populo Iudæorum, ad nos Chriſtianos cum ſacerdotio tranſit & legiſlatio, dicente ſcriptura: Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, & in alio loco. Legem pone mihi Domine in via tua. *Ibidem in cap. 16. Ezechielis.*

*Cerimoniæ Chriſtianorũ. Pſal. 2. Ibid. 26.*

POSTQVAM mundauerit credentium ex Iudæis populum ab iniquitatibus ſuis, & habitari fecerit vrbes Eccleſiæ, & inſtaurauerit ruinoſa, quæ in ſynagogis conciderant: & terra confeſſionis fuerit exculta ceremonijs Dei: quæ quondam viſa eſt deſolata omnibus ſanctis, qui terrenæ conuerſationis opera prætereunt: tunc omnes dicent: quomodo terra Iudæa, quæ quondam fuerat inculta, nunc habet ſimilitudinem paradyſi

*Eccleſia cerimonijs exculta habet ſimilitudinem paradyſi.*



tur Dei. *Tom. 4. libr. 11. Commentariorum, in cap. 36. Ezechielis.*

COHORTATVR errantes, vt confundantur & erubeſcant in vijs ſuis, & reſtituantur in vrbes Eccleſiæ, quæ rurſum habitentur ab eis, & omnia quæ in eis corruerant, ædificentur, & ad priſtinas redeant ceremonias, & terra Eccleſiæ quondam inculta fiet quaſi hortus voluptatis & paradyſus Dei. *Ibidem.*

*Eccleſia ornata ceremonijs eſt hortus voluptatis.*

VIDETVR ædificatio ciuitatis Eccleſiæ, & auditur ordo ceremoniarum, & ſacerdotum terræque deſcriptio. *Tom. 4. lib. 12. Comment. in cap. 40. Ezechielis.*

*Ordo ceremoniarum.*

QVI habet aures audiendi audiat: vt poſſit cunctas templi ceremonias, & legitima eius intelligere, & ad extremum ponere cor ſuum in vijs templi: quia diuerſi ad eum introitus ſunt: Siue per vias templi, ceremoniarum ordinem ſignificat, & exitus ſanctuarij: Prooemium igitur eſt, & præparatio Prophetæ, ad intelligenda quæ poſtea ſuper templi ordine cogniturus eſt. Et hoc notandum, quod in mundi huius plaga, qui in maligno poſitus eſt, & in aquilonis frigore conſtitutus cœleſtis nobis ceremoniarum ordo monſtratur. *Tomo. 4. libr. 13. Commenta. in cap. 44 Ezechielis.*

*Cœleſtis ceremoniarum ordo monſtratur.*

ECCLESIA vocabitur ciuitas veritatis, & mons Domini omnipotentis, mons ſanctificatus: in quo templo inſtaurato, immolantur victimæ, ceremoniarum ordo ſeruatur. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 8. Zachariæ.*

TEMPORE ſolennitatis perpetuæ & regni Hieruſalem, peccatis omnibus & tranquillis nequaquam opus eſſe equitatu (quod genus bellãtium fortiſſimum eſt) ſed omnem ornatum, & decorem phalerarum ad cultum Domini conferendum. *Tomo. 6. libr. Commentariorum, in cap. 14. Zachariæ.*

*Omnis ornatus ad cultũ Domini conferendus.*

CORINTHIOS notat, quod mulieres eorum intecto capite ſint, & viri comam nutriant, & indifferenter veſcantur in templis, & inflati ſapientia ſæculari, reſurrectionem carnis negent. *Tom. 6. in Prooemio lib. 2. Commentariorum, in cap. 3. ad Galatas.*

*1. Cor. 11.*

### *Articulus II. Hymnos & cantica Eccleſiaſtica ab Hieronymo defendi & commendari.*

DICAS Pſalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis affectus quæritur, dicente Apoſtolo: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Et: cantantes in cordibus veſtris Domino. Legerat enim eſſe præceptum, pſallite ſapienter. *Tomo primo, Epiſtola 4. ad Ruſticum, cap. 7.*

*Legitima forma canendi. 1. Cor. 14. Epheſ. 5. Pſal. 46.*

DISCAT virgo primo Pſalterium, his ſe canticis auocet, & in prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam. *Tom. 1. Epiſtola 7. cap. 5.*

*Qui libri euoluendi primò virgini.*

O ſi videres ſororem tuam, & illud ſacri oris eloquium coram audire contingeret: cerneres in paruo corpuſculo ingentes animos: audires totam noui & veteris teſtamenti ſuppellectilem ex illius corde feruere. Ieiunia pro ludo habet, orationem pro delicijs. Tenet tympanum in exemplum Mariæ; & Pharaone ſubmerſo, virginum choro præcinit: Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Has docet pſaltrias Chriſto, has fidicinas erudit ſaluatori. Sic dies, ſic nox ducitur, & oleo ad lampades præparato, ſponſi expectatur aduentus. *Tom. 1. Epiſtola 10. ad Furiam, cap. 5.*

*Cantica virginum. Exod. 15.*

ASELLA ſponſo ſuo aut orans loquebatur, aut pſallens. Ad martyrum limina penè inuiſa properabat. *Tom. 1. Epiſtola 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ.*

*Aſella pſallit ſponſo Chriſto.*

DIVINARVM ſcripturarum ardor erat incredibilis, ſemperque in corde ſuo Domino cantabat. *Tom. 1. epiſtola 16. ad Principiam. cap. 2.*

HIEROSOLYMIS vox quidem diſſona, ſed religiò vna, tot penè pſallentium chori, quot gentium diuerſitates. *Tom. 1. epiſtola 17. ad Marcellam, cap. 6.*

*Hieroſolymis diuerſi pſallentium chori.*

COMITANTE Chriſto, cum per Silo & Bethel, & cætera loca, in quibus Eccleſiæ quaſi quædam victoriarum Domini ſunt erecta vexilla, vbi ad noſtram ſpeluncam redierimus, canemus iugitur, crebro flebimus, indeſinenter orabimus, & vulneratæ iaculo ſaluatoris in commune dicemus: Inueni, quem quæſiuit anima mea: tenebo eum: & non dimittam illum. *Tom. 1. epiſtola 17. ad Marcellam, cap. 7.*

*Cant. 3.*

VERE ager floribus pingitur; & inter querulas aues Pſalmi dulcius cantabuntur. *Tom. 1. epiſtola 18. ad Marcellam. cap. 1.*

IN Chriſti villa extra Pſalmos ſilentium eſt, quocunque te verteris, arator ſtiuam tenens alleluia decantat: ſudans meſſor pſalmis ſe auocat: & curua attendens videns vites falce vinitor, aliquod Dauidicum canit. Hæc ſunt in hac prouincia carmina, hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones. *Ibidem ad Marcellam, cap. 1. in fine.*

*Carmina Dauidica in prouincia ſancta*

VNVM ſponſum habere cœpiſtis, ſimul pſallitis: Chriſti ſimul corpus accipitis, cur menſa ancillarum & Domini diuerſa? *Tom. 1. epiſtola 22. ad Euſtochium, cap. 13.*

COENOBITAE in commune habitantes poſt horam nonam concurrunt: Pſalmi reſonant: ſcripturæ recitantur ex more. *Tom. 1. Epiſtola 22. ad Euſtochium, cap. 15.*

*Pſalmi reſonant.*

COENOBITAE facto prandio conſurgunt pariter: & hymno dicto ad præſepia redeunt. *Ibidem.*

POST orationem Pſalmi crepant, nunc ad orandum feſtina cõſurgit, & tinnula voce cæteris alleluia præripiens, prior incipit laudare Dominum ſuum. *Tom. 1. Epiſtola 23. ad Marcellam.*

BLAESILLA in paucis non dicam menſibus ſed diebus, ita Hebrææ linguæ vicerat difficultates: vt in diſcendis canendiſque Pſalmis cum matre contenderet. *Tomo primo. epiſtola 25. ad Paulam.*

POST virorum monaſterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuerſis prouincijs congregarat, tam nobiles, quam medij & infimi generis, in tres turmas monaſteriaque diuiſit, ita duntaxat; vt in opere & cibo ſeparatæ, pſalmodijs & orationibus iungerentur. Poſt alleluia cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat: ſed prima, ſeu inter primas veniens, cæterarum operiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Mane hora tertia, ſexta, nona, veſpere noctis medio, per ordinem pſalterium cantabant. Nec licebat cuiquam ſororum ignorare pſalmos, & non de ſcripturis ſanctis quotidie aliquid diſcere. *Tomo. 1. epiſtola 27. in Epitaphio Paulæ, cap. 10.*

*Virgines cibò ſeparatæ pſalmodijs iunguntur.*

*Pſalterium totum certis horis canebatur per ordinem.*

NON debeo ſilentio præterire, quanto gaudio exultaue-

exultauerit, quod Paulum neptem ſuam, ex Læta & Toxotio genitam audierat in cunis & crepitaculis balbutiente lingua, alleluia cantare, auiæque & amitæ nomine dimidiatis verbis frangere. *Tom. 1. epiſtola 27. cap. 12. in Epitaphio Paulæ.*

*Pſalmi canebantur in funere & exequijs.*

HEBRAEO, græco, latino, Syroque ſermone Pſalmi in ordine perſonabant, non ſolum triduo, donec ſubter Eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini conderetur, ſed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, ſuum funus, & proprias credentibus lachrymas. *Tom. 1. epiſtola. 27. cap. 13.*

NECDVM Fabiola ſpiritum exhalauerat, necdum debitam Chriſto reddiderat animam: & iam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi: & aurata tecta templorum, reboans in ſublime quatiebat alleluia. Hic chorus iuuenum, ille ſenum, qui carmine laudes fœmineas, & facta ferant. *Tom. 1. epiſtola 30. ad Oceanum, cap. 4*

*Nocturnæ vigiliæ.*

*Diuerſarum gentium linguis laudabatur Deus.*

TOTA Eccleſia nocturnis vigilijs Chriſtum Dominum perſonabat; & in diuerſarum gentium linguis, vnus in laudibus Dei ſpiritus concinebat, tu inter oſtia quondam præſepis Domini, nunc altaris, amatorias Epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inueniret, & legeret. Et ſtabas deinceps in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris. *Tom. 1. epiſtola 48. ad Sabinianum diaconum.*

*Chriſtiana traditio eſt in funere Pſalmos canere.*

OBVOLVTO & prolato foras corpore Pauli, hymnos & pſalmos de Chriſtiana traditione Antonius decantabat. *Tom. 1. in vita Pauli eremitæ.*

HILARION ambulans in arenis mollibus, ſecum de pſalmis neſcio quid ſubmurmurabat. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

*Vigiliæ nocturnæ.*

HILARION peruigilem noctem in ipſo loco, quo defunctus fuerat Antonius, celebrauit. *Ibidem.*

ANTONIVS cum diſcipulis hoc loco pſallere, orare, operari, hic feſſus reſidere ſolitus erat. *Ibidem.*

*In monaſterijs diſcebant pſalmos.*

ORABAM iugiter, canebam pſalmos, quos in monaſterio didiceram. *Tomo primo, in vita Malchi Monachi.*

*Hymni Eccleſiaſtici Hilarij.*

HILARIVS librum hymnorum Eccleſiaſticorum edidit. *Tom. 1. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Hilario.*

*Alleluia extra Paſcha etiam cantandum.*

VIGILANTIVS nunquam niſi in Paſcha alleluia cantandum dicit: dum inter phialas philoſophatur, & ad placentas liguriens, pſalmorum modulatione mulcetur; vt tantum inter epulas, Dauid & Idithum, & Aſaph, & filiorum Chore cantica audire dignetur. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium, cap. 1.*

NEC ſufficit tibi dediſſe agmini tuo ſcientiam ſcripturarum, niſi earum voce & canticis delecteris. Iungis enim & ponis in titulo, quod & fœminæ Deo pſallere debeant. Quis enim ignorat, pſallendum eſſe fœminis in cubiculis ſuis, & abſque virorum frequentia, & congregatione turbarum? Verum tu donas quod non licet: vt quod verecundè facere debeant, & abſque vllo arbitro, magiſtri authoritate proclamans. *Tomo. 2. libr. 1. Dialogorum aduerſus Pelagianos, cap. 9.*

*Fœminæ priuatim non publicè canere debent.*

QVIDAM diapſalma commutationem metri eſſe dxierunt: alij pauſationem ſpiritus: nonnulli alterius ſenſus exordium: ſunt, qui rythmi diſtinctionem: & quia pſalmi tunc temporis iuncta voce ad organum canebantur, cuiuſdam muſicæ varietatis exiſtiment ſilentium. *Tom. 3. epiſt. 138. ad Marcellam.*

*Pſalmi iuncta voce ad organum canebantur.*

*Eccleſia cœleſtem Hieruſalem imitatur in pſalmis canendis.*

HOC notandum, quod in Sion, quæ comparatur paradyſo Dei, aliud eſſe non debeat; niſi gaudium & lætitia, confeſsio, & vox laudis: vt quod in cœlis facturi ſunt ſancti cum angelis Dei, hoc etiam in terra, iugi in laude Domini meditentur. *Tomo. 4. lib. 14. Comment. in cap. 51. Eſaiæ.*

SENES defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium.] Nec enim ibi poteſt eſſe maturitas conſilij, vbi nullus eſt ordo iudicij: nec pſallentium chorus ibi conſiſtere rite poteſt, vbi dolor & gemitus præſens eſt. Muſica enim in luctu importuna narratio, vt quidam ait. *Tom. 4. lib. 3. Com. in cap. 5. orationem Hieremiæ.*

*Exedræ cantorum.*

INGREDIETVR templum, hoc eſt, ſancta ſanctorum: de quibus nunc dicitur: & intra portam interiorem, Gazophylacia, ſiue exedræ cantorum. Ad quos illud imperium eſt: Cantate Domino canticum nouum. Qui cum angelis clamitant: Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis. Quod atrium erat interius ſitum in latere portæ, quæ reſpiciebat ad aquilonem, & ad auſtrum, & ad orientem: vt ſemper meminerint cantores Domini, & qui angelorum officio detinentur, per quos gradus ad ſumma peruenerint, & myſteria ſingulorum locorum diligententer agnoſcant. *Tom. 4. libr. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*

*Cantores angelorum officio detinentur.*

CANTATVR quaſi vir & robuſtus & ſpiritualis de altioribus canit. Cantatrix vero adhuc quaſi circa materiam volutatur, quam græci ὕλην vocant: nec poteſt vocem ſuam in ſublime tollere. *Tom. 5. Com. in cap. 2. Eccleſiaſtis.*

QVIA ſemel lactationem & eductionem in ſolitudinem, & vinitores ex eodem loco, & vallem Achor poſuerat, & totam hiſtoriam exeuntium de Aegypto, & pergentium ad terram ſanctam breui ſermone perſtringens, etiam nunc hiſtoriæ ſimilitudinem conſeruat. Vt quomodo eo tempore, quando egrediebantur de terra Aegypti, ſubmerſo Pharaone in mari rubro arripuit Maria tympanum, & præcinens cæteris exultauit, & dixit: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare: Sic nunc quoq; ſecundum diem iuuentutis ſuæ, ſiue adoleſcentiæ ſuæ, quando egreſſa eſt de terra Aegypti, canat atque lætetur, & regnum Chriſti ac ſuam ſalutem inter Eccleſiæ choros concinat. *Tomo 5. libr. 1. Commentariorum, in cap. 2. Oſeé.*

*Canticorum Eccleſiaſticorum origo. Exod. 15.*

*Cantica ſine intellectu & ſpiritu grunnitus ſuis & clamor aſinorum.*

AVFER à me tumultum carminum. Pulchrè cantica Leuitarum, quibus laudabant Deum, tumultum vocat, ſonitumque confuſum: quia non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris, & hæc eadem idolis quoque offerre conſueuerant. Iudæorum quoque oratio & pſalmi, quos in ſynagogis canunt, & hæreticorum cõpoſita laudatio, tumultus eſt Domino, & vt ita dicam, grunnitus ſuis, & clamor aſinorum: quorũ magnis cantibus Iſraelis opera comparantur. Pſalmũ autem & carmina, lyram & organa: vel iuxta literam accipe in populo Iſrael, quæ olim fiebant in imagine futurorum: vel iuxta ſpiritum in nobis & in hæreticis: quæ ſi bonis operibus dirigamus, audiuntur à Domino: ſi malis, concludit aures ſuas, & impiorum cantica non dignatur audire. *Tomo. 5. libr. 2. Com. in cap. 5. Amos.*

*Cantica bonis operibus dirigenda.*

QVOD



*Dauid reperit organorũ varietates.*

QVOD Dauid fecit in cultu Dei, Leuitarum ordines, & organorum reperiens varietates, vos ad voluptatem & luxuriam, tibiam, pſalterium, lyram confertis. *Tomo quinto, lib. 3. Commentariorum in cap. 6. Amos.*

CAVSA offenſæ Dei deſcribitur quod de nocte ſurgẽtes, pro oratione & hymnis in Deum ſtudium habeant opprimendi ſiue conterendi pauperes. *Tom. quinto, libro tertio Commentariorum in caput 8. Amos.*

QVI in Babylone dicebant: Super flumina Babylonis, ibi ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion. In ſalicibus in medio eius ſuſpẽdimus organa noſtra: poſtquam reuerſi fuerint in Hieruſalem, accipiant pſalmum & tympanum, & canant in Eccleſia Domino. *Tom. 5. lib. 2. Commentar. in cap. 6. Zachariæ.*

*Ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen reboant.*

ROMANAE plebis laudatur fides. Vbi alibi tanto ſtudio & frequentia ad Eccleſias, & ad Martyrum ſepulchra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? *Tom. 6. in Proœmio lib. 2. Comm ad Galatas.*

*Diſcrimen hymni, cantici, et pſalmi.*

QVID interſit inter pſalmum, hymnum, & canticum, in pſalterio pleniſſimè diſcimus. Nũc autem breuiter hymnos eſſe dicendum, qui fortitudinem & maieſtatem prædicant Dei, & eiuſdẽ ſemper vel beneficia, vel facta mirantur. Quod omnes pſalmi continent, quibus alleluia vel præpoſitum, vel ſubiectũ eſt. Pſalmi autem propriè ad Ethicum locum pertinent: vt per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum ſit, nouerimus. Qui verò de ſuperioribus diſputat, & concentum mundi, omniumq; creaturarũ ordinem atq; concordiam ſubtilis diſputator ediſſerit, iſte ſpirituale canticum canit. Vel certè (vt propter ſimpliciores manifeſtius quod volumus eloquamur) Pſalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur, & pſallere, & laudare Dominum, magis animo, quàm voce debemus: Hoc eſt quippe quod dicitur. Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audiant hæc adoleſcentuli: audiant hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce, ſed corde cantandum: nec in Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas: vt in Eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica, ſed in timore, in opere, in ſcientia Scripturarum. Quamuis ſit aliquis, vt ſolent illi appellare κακόφωνος, ſi bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor eſt: Sic cantet ſeruus Chriſti, vt non vox canentis, ſed verba placeant quæ leguntur; vt ſpiritus qui erat in Saule, ab his eijciatur, qui ſimiliter ab eo poſſidentur, & non introducatur in eos, qui de Dei domo, ſcenam fecere populorum. *Tomo ſexto, libro tertio Commentariorum in caput quintum ad Epheſios in iſta verba. Loquẽtes vobis inuicem in hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus.*

*Magis animo & affectu quàm voce canendum.*

*1. Reg. 16.*

SCHOLIA.

VIDETVR *hic ſentire B. Hieronymus quod in templis diuinæ laudes non ſint Muſica voce decantandæ. Commemoratur hæc ſententia in Collectaneis Decretorum, diſtinctione 92. cap. 1. quam D. Thomas in ſecunda, ſecundæ quæſtione 91. excutiens, ſic ait: Hieronymus non ſimpliciter damnat cantum, ſed reprehendit eos, qui in Eccleſia canunt more theatrico, non ad deuotionem excitandam, ſed oſtentationis gratia, vel ad delectationem prouocandam. Proinde Auguſtinus in 10. lib. Confeſſionum dicit. Cùm mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ cantatur, moueat; venialiter me peccare confiteor, & tunc mallem me non audire cantantem.*

SICVT carmina ſæculi ſunt: ſic & carmina Eccleſiæ: vnde laus Dei cantatur, & conſolatio Sanctorum eſt: quia dictum eſt: Tunc iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno patris eorum: æquales Angelis. *Tom. Comm. in Pſal. 54.*

MATVTINIS veſpertiniſque hymnis Eccleſiæ delectatur Deus, per animam fidelem: quæ relicto inanium ſuperſtitionum ritu, eum deuotè laudauerit. *Tomo ſeptimo Commentariorum in Pſalmum ſexageſimum quartum.*

O Monache, qui ſtas corpore, quare iacet anima tua, & non pſallis Domino? Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Si pſalterium es, ſi cythara es: quare ſurdus es, & non glorificas Deum. *Tomo 7. Comm. in Pſal. 107.*

*Hier. 48.*

*Monachi imitantur angelos in canticis.*

SICVT Martyres laudant Dominum purè in regione viuorum: ita & Monachi, qui die & noctu pſallunt Domino, debent eandem habere puritatem Martyrum: ſiquidẽ ipſi Martyres ſunt. Quod enim faciunt Angeli in cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. *Tomo ſeptimo, Commentariorum in Pſalmum 115.*

*2. Cor. 5.*

DOCET nos Propheta in huius mundi peregrinatione ſpiritualia cantica ſemel aure ſuſcepta inceſſabiliter decantare: quia cùm ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Oportet fragilitatem humanam, vt cùm ſemper, impenſius tamen nocturno tempore memoriam faciat Dominici nominis. *Tomo ſeptimo, Commentariorum in Pſalmum 118.*

### *Articulus III. Tunſionem pectoris, conuerſionem ad Orientem, & genu flexionem Chriſtianis olim orantibus non ſine cauſa in vſu fuiſſe.*

*Flexo corpore orandum.*

FREQVENTER orandum, & flexo corpore mens erigenda ad Dominum. *Tom. 1. Epiſtola 13. ad Paulinum cap. 3.*

*Philip. 2.*

SED & hoc iurat, quod idolis derelictis, omne genu ei flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis per illum iuret lingua mortalium, in quo perſpicuè ſignificatur populus Chriſtianus. Moris enim Eccleſiaſtici eſt, Chriſto genu flectere. Quod Iudæi mentis ſuperbiã demonſtrantes, omninò non faciunt. *Tom. 4. lib. 13. Comm. in cap 45. Eſaiæ.*

*Genuflexio eſt moris Eccleſiaſtici.*

*Tempore lætitiæ aliæ cæremoniæ, quàm tempore luctus in Eccleſia.*

PERMANSIT Paulus Epheſi vſque ad Pentecoſten, tempus lœtitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curuamur in terram, ſed cũ Domino ſurgẽtes ad cœlorum alta ſuſtollimur. *Tom. 6 Proœmio, Epiſt. ad Epheſios.*

PROPTEREA curuo genua.] Quomodo in ſuperioribus demonſtratum eſt, ad effigiem corporalium luminum eſſe oculos ſpirituales, ſic nunc intelligendum eſſe, alia eſſe exterioris hominis genua, alia interioris. Etenim illud quod dicitur in Eſaia: Confortamini manus dimiſſæ, & genua diſſoluta. Et in alio loco ipſe Apoſtolus: Vt in nomine, inquit, Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, non ad genua corporis, ſed ad ſubiectionem mentis, & inclinationem animæ, cordiſque obſequium pertinet, terræ ſe coæquantis, vt Pſalmiſta quoque canit, dicens: Adhæſit pauimento anima mea. Res enim ſpiritualis & incorporea anima, rei corporali pauimento quomodo potuit adhærere? Eſto quippe in nomine Ieſu flectant genu terreſtria:

*Duplicis hominis duplicia genua. Eſa 35.*

*Phil. 2.*

*Pſal. 118. Genuflexio interioris hominis qualis ſit.*

Kkkk Nunquid

Nunquid & Angelos,cæteraſque virtutes,quæ in cœleſtibus perſeuerant, poſſumus affirmare ſpeciem habere corpoream, vt in nomine eius flectant genu? vel apud inferos animas vinculis corporis liberatas,genu quod non habent, eſſe flexuras? Quomodo igitur quicunque ſubiectus eſt Saluatori, flectere ei genu dicitur: ſic qui peccati eſt ſeruus, & habet ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, genu ſcribitur flexiſſe peccato. Dereliquit(ait mihi Dominus) ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal,idolo ſcilicet atque peccato. Qui fornicator eſt, & per lupanaria,ſcortaque diſcurrit, libidini flectit genu ſuum. Qui furioſus, flexo adorat iram genu. Qui mammonam ſuſpicit, & Deus eius venter eſt, flectit genua auaritiæ atque luxuriæ. Et quid neceſſe eſt ſingula peragrare? Totiens diabolo flectimus genu, quotieſcunque peccamus. Hæc autem ſpiritualiter exponentes, non ſtatim iuxta litteram orandi conſuetudinem tollimus, qua Deum genu poſito ſuppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo poſcimus, impetramus. Legimus enim & Paulum in littore ſic oraſſe,& geniculationes in oratione præceptas. Sed ſicut illud ædificat ſimplices,ſicut veram geniculationem docemus eſſe in animo,quia multi corporale flectentes genu,animæ nequaquam poplitem curuauerunt. Et contra alij erecto Deum corpore deprecantes,magis ſe animo curuauerunt. *Tom.6.lib.2. Comm.in cap.3.ad Epheſios.*

*3. Reg.19.*

*Geniculationes in oratione Eccleſiaſticæ conſuetudinis. Act. 20.*

## *Articulus IIII. Quanta ſit crucis dignitas, & quanta virtus.*

*Pictura crucis Regũ purpuras & diademata condecorat.*

DII quondam nationum cum bubonibus & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt, vexilla militũ, crucis inſignia ſunt. Regum purpuras,& ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris pictura condecorat. *Tomo 1. epiſtola 7. ad Lætam cap.2.*

*Crucis lambebant lignũ*

QVANDO erit illa dies,cùm nobis licebit ſpeluncam Saluatoris intrare? in ſepulchro Domini flere cum ſorore,flere cum matre? crucis deinde lambere lignum? *Tomo primo, Epiſtola 17.ad Marcellam capite 8.*

EVSTOCHIVM Paulæ matris os ſtomachumque ſignabat; & matris dolorem crucis impreſſione nitebatur lenire. *Tom.1. Epiſt.17.cap.10.*

QVANTO ſunt humiliora quæ pro me eſt paſſus Chriſtus: tantò plus illi debeo. Et,cùm omnia replicaueris,cruce nihil contumelioſius proferes,quam profitemur,& credimus,& in qua de hoſtibus triumphamus. *Tomo ſecundo, aduerſus Heluidium,cap.9.*

*Lamina typus crucis. Ezech.9.*

*Pſal.4.*

QVOD olim in lamina monſtrabatur,nunc in ſigno oſtenditur crucis. Auro legis, ſanguis Euangelij pretioſior. Tunc ſignum iuxta Ezechielis vocem gementibus figebatur in fronte: nunc portantes crucem dicimus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Tomo tertio, epiſtola 128.ad Fabiolam.*

*Eleuatum ſignum crucis in Gentibus.*

LEGI in cuiuſdam Commentarijs hoc quod dicitur: Leuabit ſignum in nationibus procul,& ſibilabit ad eum de finibus terræ, de vocatione gentium debere intelligi, quod eleuato ſigno crucis, & depoſitis oneribus peccatorum, velociter venerint,atque crediderint. *Tom.4.lib.2. Comm. in caput 5.Eſaiæ.*

SVPER montem caliginoſum leuate ſignum.] Apoſtolis præcipitur,& Apoſtolicis viris, ac Magiſtris Eccleſiarum, vt dimicaturi contra Babylonem,ſignum eleuent Dominicæ crucis, non in humili loco, & demerſis vallibus, ſed in monte caliginoſo,ſiue campeſtri. Quorum alterum ſignificat abſcondita Eccleſiæ Sacramenta: quæ vt videret Moyſes, & audiret vocem Dei, intrauit tenebras & caliginem. Poſuit enim Deus tenebras latibulum ſuum;& nubes & caligo in circuitu eius. Alterum docet ſic nos ad excelſa Eccleſiaſticorum dogmatum debere conſcendere, vt (iuxta Apoſtolum Paulum) humiliemur atq; dicamus: Qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia ſum perſequutus Eccleſiam Dei. Qui & ipſe eleuauit ſignum in monte campeſtri,quando inſita ſibi humilitate dicebat: Ego autem iudicaui nihil me ſcire in vobis, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Hoc autem ſignum & in ſuperioribus leuauit ipſe, qui ortus eſt de radice Ieſſe in nationibus,vt congregaret perditos Iſrael. *Tomo quarto,libro quinto Commentariorum in cap. decimum tertium Eſaiæ.*

*Exod.19. Pſal.17.96.*

*1.Cor.15.*

*1. Cor. 2.*

*Vexillũ crucis leuatum.*

NEC ſolum manum ſuam leuabit ad gentes: ſed & ſignum ſuum exaltauit in populis. Haud dubium quin vexillum crucis, vt impleatur illud quod ſcriptum eſt. Laudibus eius plena eſt terra: Et iterum: In omni terra admirabile nomẽ eius. *Tom.4.lib.13.in cap.49.Eſaiæ.*

*Exod.15.*

AQVA hæc alio nomine vocatur Marah,hoc eſt,amaritudo: in qua lignum crucis mittitur, & amara vertuntur in dulcia. Conſidera legẽ Moyſi, ſi intelligatur iuxta ſenſum carneum Iudæorum,quomodo ſit amara, effodiens oculum pro oculo,dentem pro dente: Iudæ in Thamar fornicationem, & Oſee iunctum fornicariæ, Hieremiæ περίζωμα, Moyſi vxorem Aethiopiſſam, & interfectionem Aegyptij,& mille alia: quæ ſi intelligamus iuxta Occidentem litteram, & non iuxta ſpiritum viuificantem,amara ſunt, & lectorem ſuum non tam ædificant, quàm deſtruunt. *Tomo quarto, libro 14. Commentariorum in caput 47. Ezechielis.*

*Exod.21. Geneſ.28. Oſee 1. c.3. Hier.13. Num.12. Exod.2.*

*In ritu orationis Moyſis Sacramẽta crucis mõſtrantur. Exod.17.*

EGO ſum,qui per omnes Prophetas, & varia genera viſionum aſſimulatus ſum hominibus, & te ad pœnitentiam prouocaui. An non eſt humanæ ſimilitudinis,quando Moyſes in altum extollens manus,orat vt Ieſus vincat Amalech, & crucis in eo Sacramenta monſtrentur? *Tom.5.libr.2. Comment.in cap.12.Oſee.*

*Triumphus & trophæũ crucis.*

PONET meos pedes inter cæteros ſeruos ſuos, & ad cœleſtia perducet me: vt inter Angelos canam gloriã Domini, & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis annunciem. Canam autem victoriam eius,& triumphum, & trophæum crucis. *Tomo quinto, libro ſecundo Commentariorum in cap.3.Habacuc.*

*Pſal. 67. Epheſ.4.*

*Crucis trina dimenſio explicata myſticè.*

LONGITVDO, latitudo,profunditas beneficiorum Dei in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti poſſunt intelligi. Aſcendens quippe in altum captiuam duxit captiuitatem;& deſcendit ad inferiora terræ. Et poſt altitudinem & profunditatem,in omnem terram exijt prædicatio crucis. Atque ita altitudinem & profunditatem, & longitudinem,& latitudinem tenet. Nec mirum ſi crux Chriſti vniuerſa poſſideat, cùm etiam ſi quis crucifixus fuerit cum Chriſto, eandem habeat poteſtatem. Sciet quippe primum latitudinem ab inferioribus incipiens, & minora cognoſcens. Deinde longitudinem,eos, qui in terra poſiti, ad ſublimia



ſublimia & alta feſtinant. Poſt hæc profundum, aduerſarias contrariaſque virtutes, quæ contra nos in hoc mundo bellum gerunt. Et ad extremum altitudinem: Quia poſtquam notitiam earum habentes, fecerimus ea eſſe nobis ſub pedibus, tunc merebimur ad alta & excelſa conſcendere. *Tomo ſexto,libro ſecundo Commentariorum in cap. 3.ad Epheſios.*

*Crux vexillum eſt Chriſtianorum.*

SIGNVM crucis Chriſtianorum vexillum eſt. *Tom.7.Comm.in Pſal.89.*

*Cornu crucis*

*Gen. 28. Crux ſcala Iacob.*

DOMINVS cornu dicitur his,qui credunt in eum: & in cornubus crucis ſuæ ventilauit inimicos. Ibi confudit Diabolum, & omnem eius exercitum. Chriſtus quidem erat crucifixus in corpore, ſed verè crucifigebat ibi dæmones. Non fuit crux,ſed triumphus fuit,ſed vexillum fuit. propterea conſcendit crucem, vt nos de terra in altum tolleret. Ego puto crucem Saluatoris illam eſſe ſcalam, quam vidit Iacob. In iſta ſcala deſcendebant Angeli,& conſcendebant. In iſta ſcala,hoc eſt,cruce deſcendunt Iudæi, & conſcendũt gentiles. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum. Alij habebant plura cornua: ego vnum ſolum cornu habeo. Mihi abſit gloriari,niſi in cruce Domini: per quem mihi mundus eſt crucifixus,& ego mundo.

*Galat.6.*

ET adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.] Hæc ad crucem Dominicam referenda ſunt. *Tomo ſeptimo, Commentariorum in in Pſalmum nonageſimum octauum.*

*De more quo ſe ſignãt Chriſtiani in frõtib⁹ ſigno crucis præter innumeros alios, vide Chryſoſt. in lib. contra gẽtiles quod Chriſtus ſit Deus, & Cyrillum Hieroſolymitanũ Catecheſi 4.*

NOLITE credere,nolite eſſe ſecuri. Licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpẽtur: magnos hic campus montes habet: intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis, expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus,tranquillitas iſta tempeſtas eſt. *Tom.1. Epiſt.1.ad Heliodorum cap.5.*

ABSQVE notitia creatoris, omnis homo pecus eſt: nunc verò paſſionem Chriſti, & reſurrectionem eius,cunctarum gentium & voces,& litteræ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis: quas nationes fidei ſuæ in crucis titulo Dominus dedicauit. *Tomo primo, Epiſtola tertia ad Heliodorum capite tertio.*

*Vide Alanũ Copũ Dial. 5 Fol.699 & Dial.4. Fol. 573. & 574. & Fol.580. ex Ambroſ. de obitu Theodoſij.*

PAVLA cuncta loca tanto ardore ac ſtudio circumiuit, vt niſi à reliquis feſtinaret, à primis non poſſit abduci; proſtrataque ante crucem, quaſi pendentem Dominum in cruce cerneret, adorabat. Ingreſſa ſepulchrum reſurrectionis oſculabatur lapidem, & ipſum corporis locum, in quo Dominus iacuerat,quaſi ſitiens deſideratas aquas fideli ore lambebat. *Tomo 1.Epiſt. 27.ad Euſtochium in Epitaphio Paulæ.*

## *Articulus V. Crucis ſigno Hieronymi tempore frontes Chriſtianorum atque Catechumenorum ſignari ſolitas eſſe.*

*Exod.12.*

CLAVDAS cubiculum pectoris; & crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam; ne exterminator Aegypti in te locum reperiat, ſed primogenita, quæ apud Aegyptios pereunt, in tua mente ſaluentur. *Tomo primo Epiſt.8. ad Demetriadem capite 6.*

*Crux in fronte contra omnia pericula*

AD omnem actum, ad omnem incenſum manus pingat crucem. *Tomo primo. Epiſtola 22. ad Euſtochium,capite 16.*

MORTI vicina Paula crucis ſignum pingebat in labijs. *Tomo primo, Epiſtola 27.ad Euſtochium,capite decimo tertio.*

VISO Hippocentauro Paulus Eremita ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem. *Tom.1.in vita Pauli Eremitæ.*

*Cru is ſig in cont a dæmonem.*

HILARION cùm dæmonum intelligeret ludibria: prouolutus genibus, Chriſti crucem ſignauit in fronte: talique armatus caſſide,& lorica fidei circundatus,factus fortior præliabatur. *Tom.1. in vita Hilarionis.*

*Crucis ſigno Chriſti notabantur fideles.*

MIRA Domini gratia. Saraceni non prius Hilarionem apud eos varia miracula patrantem abire ſunt paſſi, quam futuræ Eccleſiæ lineam mitteret; & Sacerdos eorum,vt erat coronatus,Chriſti ſigno denotaretur. *Ibidem.*

HIS qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen,& in ſignum æternum: vt ex ipſius appellẽtur nomine Chriſtiani, & crucis eius inurantur cauterio. De quo ſigno Simeon tenens paruulum vlnis,loquebatur: Hic erit in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur: de quo & ſupra eſt dictum. Dabit Deus vobis ſignum. Et Sanctus cantat in Pſalmo: Fac mecum Domine ſignum in bonum. Et ipſe qui ſignum eſt. Cùm videritis, ait, ſignum filij hominis: quod non deficiet, nec vllo fine mutabitur, ſed de præſenti conuerſatione tranſiet in futurum. *Tom.4.lib.15.Commen. in cap.52.Eſaiæ.*

*Luc.2.*

*Eſa.2.*

*Matt.24.*

*Ezech.9.*

VENIENT omnes vt videant gloriam Dei: & ponet in eis ſignum, quod in Ezechielis principio ſub Tau litteræ Hebraicæ interpretatione monſtratur: Quo ſigno qui fuerit impreſſus, manus percutientis effugiet. Hoc & poſtes domorum in Aegypto ſignabantur: quando pereunte Aegypto, ſolus Iſrahel manſit illœſus. De hoc ſigno, quod Achaz Rex Iuda nolebat accipere, Eſaias Propheta teſtatur: Propterea dabit Dominus vobis ſignum: Ecce virgo in vtero concipiet & pariet. Vnde & Propheta quod promiſſum fuerat deprecatur: Fac mecum ſignum in bonum. & in alio loco. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugerent à facie arcus. Hoc nobis ad patrem aſcendens Dominus dereliquit, ſeu in noſtris frontibus poſuit, vt liberè diceremus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Tomo quarto,libr. 18. Commentariorum in caput 66.Eſaiæ.*

*Exod 12. Eſa.7.*

*Pſal.85.*

*Tau ſignum crucis.*

PRAECIPITVR ei, qui veſte talari ſiue linea erat indutus, & Sacerdotalem habitum præferebat, vt ponat ſignum ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Hieruſalem. Pro ſigno,quod Septuaginta, Aquila, & Symmachus tranſtulerunt, Theodotio ipſum verbum Hebraicum poſuit Tau, quæ extrema eſt apud Hebræos viginti & duarum litterarum: vt perfectam in viris gementibus & dolentibus, ſcientiam demonſtraret. Siue vt Hebræi autumant, quia lex apud eos appellatur תורה tota, quæ hac in principio nominis ſui litera ſcribitur: illi hoc accepere ſignaculum, qui legis præcepta compleuerant. Et vt ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum litteris, quibus vſque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau littera crucis habet ſimilitudinem: quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. Sunt qui putent, ex eo quod ſecundum Hebraicum alphabetum iſta extrema ſit littera, demonſtrari

*Tau litera Samaritanorũ habet crucis ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontib⁹ pingitur.*

in multitudine peccantium reliquias ſupereſſe Sanctorum. Nec ſeni, nec iuueni, nec virgini, nec paruulo, nec mulieri parcitur, ſi abſque Chriſti ſignaculo aliquid eſſe ſe credunt. *Tomo quarto, libro tertio Commentariorum in caput nonum Ezechielis.*

ET ecce vir.] Ipſe eſt vir, cui iuſſum eſt tranſire per mediam Hieruſalem, & ponere ſignum in frontibus virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis iniquitatibus eorum. Dicit ergo ſe Domini præcepta compleſſe, & ſignaculo Thau litteræ frontes ſignaſſe lugentium. *Tomo quarto, libro tertio Commentariorum in caput nonum Ezechielis.*

*Per ſignum crucis liberamur ab omnibꝰ inſidijs.*

FAC mecum ſignum in bonum.] Muniar crucis tuæ ſigno, quod videntes poteſtates aduerſæ, fugiant confuſæ, & diſcedant à me. Hæc enim pro noſtro populo Propheta rogat. Sed & nos rogamus Domine, vt crucis tuæ ſigno tutati, atque eius præſidio cuſtoditi, mereamur ab omnibus diaboli inſidijs liberari. *Tomo ſeptimo, Commentariorum in Pſalmum 85.*

## *Articulus Sextus. Benedictionem Epiſcopalem in Eccleſia frequentem fuiſſe vel ſolennem.*

*Benedictionem poſtulãt ab Antonio leones.*

DVO leones ad Antonium perrexerunt, manus eius, pedeſque lingentes. at ille animaduertit, benedictionem eos à ſe precari, nec mora, in laudationem Chriſti effuſus, quod muta animantia quoque Deum eſſe ſentirent. *Tomo primo, in vita Pauli Eremitæ. vide Tomo primo, Epiſtola viceſima ſecunda ad Euſtochium, vbi taxat Sacerdotes, qui benedictionis pretia à viduis accipiebant.*

SARACENI gregatim Hilarioni cum vxoribus & liberis obuiam proceſſere, ſubmittẽtes colla, & voce Syra, Barach, id eſt, benedic, inclamantes. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

*Benedictus panis ab Antonio poſtulabatur.*

CONCVRREBANT Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges, matronæ quoque Chriſtianorum grandis tentatio, & hinc inde ex vrbibus & agris; ſed & Potentes viri & Iudices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. *Tomo primo in vita Hilarionis.*

HILARIONIS benedicto oleo vniuerſi agricolæ atque paſtores à venenatis animalibus percuſſi, vulnera tangentes, certam ſalutem reſumebant. *Ibidem.*

*Paruuli offerebantur benedicendi Epiſcopis.*

NONNE cum de ἀνασδοει pergeretis ad crucem, & ad eum omnis ætatis, & ſexus turba conflueret, offerens paruulos benedicendos, pedes deoſculans, fimbrias vellens, cumque Epiphanius non poſſet promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtineret, tu tortus inuidia, aduerſus glorioſum ſenem clamitabas; nec erubuiſti in os ei dicere, quod volens, & de induſtria moraretur? *Tomo ſecundo, Epiſtola ſexageſima prima ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani cap. 4.*

*Diaconi non eſt dare benedictionem Presbyteris ſed contra.*

*Act. 6.*

CAETERVM in Eccleſia Romana Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licet paulatim increbeſcentibus vitijs, inter Presbyteros, abſente Epiſcopo ſedere viderim Diaconum, & in domeſticis conuiuijs benedictiones Presbyteris dare: Diſcant, qui hoc faciunt, non ſe rectè facere, & audiant Apoſtolos: Non eſt dignum, vt relinquentes Dei verbum, miniſtremus menſis. Sciant quare Diaconi conſtituti ſunt. Legant Acta Apoſtolorum, recordentur conditionis ſuæ. *Tomo 2. Epiſt. 85. ad Euagrium.*

*Melchiſedech Dei benedictionibꝰ Abrahamũ corroborauit*

MELCHISEDECH venit obuiam Abraham de prælio reuertenti, & acceſſit, & benedixit ei, & Dei benedictionibus eum corroborauit, ſiue ſolidauit in clauis ſolidorum præceptorum Domini, vt non moueretur, ſed in timore Domini permaneret. *Tom. 4. lib. 12. Comment. in cap. 41. Eſaiæ.*

*Cur decimæ & primitiæ offerãtur Sacerdotibus nempe vt ad eorum preces Deus nobis benedicat.*

PRIMITIAE ciborum noſtrorum Sacerdotibus offeruntur, vt nihil guſtemus nouarum frugum, niſi Sacerdos ante guſtauerit. Hoc autem facimus, vt reponat Sacerdos benedictionem & oblationem noſtram in domo ſua: ſiue vt ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris. Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum, ſi peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe. Neque enim pro noſtris ſolùm delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſoliciti. *Tomo quarto, libro decimo tertio Commentariorum in caput quadrageſimum quartum Ezechielis.*

*Gen. 27. 49. Deut. 33. Rom. 16.*

SACERDOTVM benedictiones vertuntur in maledictionẽ: quando non benedicũt Sanctis ex vero cordis affectu, ſicut Iſaac Iacob, & Iacob Patriarchis, & Moyſes duodecim tribubus: ſed per dulces ſermones & benedictiones decipiunt corda innocentium, & qui iniquè agunt benedicuntur ab eis, adulanturque peccatoribus, dummodò diuites ſunt, atque eorum vitijs blandiuntur, de quibus dicitur: Populus meus, qui beatos vos dicunt, ſeducunt vos, & ſemitas pedum veſtrorum ſupplantant. *Tomo quinto Commentariorum in cap. 1. Malachiæ.*

*Gen. 27. 49.*

*Benedictiones Sacerdotales & Epiſcopales à patriarcharum benedictionibus originẽ trahunt.*

IN commune Sanctis atque credentibus. Tito & cæteris, qui com eo erant, imprecatur gratiã. Et quomodo Iſaac Patriarcha benedixit filium ſuum Iacob, & Iacob duodecim Patriarchas: Apoſtoli quoque ingredientes, dicebant: Pax huic domui: & ſi digna erat domus requieſcebat pax eorum ſuper eam: ſi verò exhibebat ſe indignã, reuertebatur ad eos, qui eam fuerant imprecati: ita & nunc in fine Epiſtolæ ſuæ Apoſtolus gratiam credentibus imprecatur, quæ cum voto habebat effectum, & erat in poteſtate credentium, ſi talem ſe benedictus, qualem benedicens præbere voluiſſet. *Tomo ſexto, libro primo Commentariorum in cap. 3. ad Titum.*

*Gen. 14.*

QVONIAM præueniſti eum in benedictionibus.] Hoc eſt à longè, quando Melchiſedech benedixit Abraham. Et deinde quotquot benedictiones, in Patriarchis vſque ad aduentum Chriſti fuerunt, Chriſtus in ipſis benedictus eſt. *Tom. 7. Comment. in Pſal. 20.*

## *Articulus VII. De Exequijs. Officium ſepeliendi defunctorum corpora, & pro eis orandi, & defunctos lugendi, pium & laudandum eſſe.*

BONVS eſt Deus, & omnia quæ bonus facit, bona ſint neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur: plango quod accidit: ſed, quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Vnicus raptus eſt filius: durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille,



ille, qui dederat. *Tomo primo, Epiſtola viceſima quinta ad Paulam capite primo, & capite ſecundo, vide plura conſolatoria contra planctum & luctum defunctorum.*

*Gen. 37.*

*Diuerſa ratio planctus in nouo et veteri teſtamẽto.*

*1. Reg. 18.*

*Deut. 34. Num. 20.*

*Gen. 37.*

*Gen. 1.*

*Luc. 16.*

*2. Reg. 12.*

SED dicis: quomodo lugere me prohibes, cum & Iacob Ioſeph in ſacco fleuerit, congregatiſque ad ſe omnibus propinquis noluerit conſolari, dicens: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum? Et Dauid Abſalon cooperto capite planxerit, repetens. Fili mi Abſalon, fili mi, quis dabit vt moriar pro te fili mi Abſalon? Moyſi quoque & Aaron, cæteriſque Sanctorum ſolennis ſit luctus exhibitus? Perfacilis ad iſta reſponſio eſt, luxiſſe Iacob filium, quem putabat occiſum, ad quem & ipſe erat ad inferos deſcenſurus, dicens. Deſcendam ad filium meum lugens in infernum: quia nec dum Paradiſi ianuam Chriſtus effregerat; nec dum flammeam illam rompheam, & vertiginem præſidentium Cherubin, ſanguis eius extinxerat. Vnde & Abraham, licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuiſſe ſcribitur. Et Dauid iuſtè fleuiſſe filium parricidam, qui alium paruulum, poſtquam, vt viueret, impetrare non potuit, quia ſciebat non peccaſſe, non fleuit. De Moyſe verò & Aaron, quoeis ex veteri more ſit planctus exhibitus, non mirandum eſt: cùm & in Actis Apoſtolorum iam Euangelio coruſcante, Stephano fecerint Hieroſolymæ fratres planctum magnum; & vtique planctus magnus, non in plangentium examinatione, vt tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus ſit. Denique de Iacob ſcriptura ſic loquitur: Et aſcendit Ioſeph ſepelire patrem ſuum: & aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, & ſeniores domus eius, & ſeniores omnis terræ Aegypti, & omnis domus Ioſeph, & fratres eius. Et poſt paululum: Et aſcenderunt cum eo quadrigæ, & equites, & facta ſunt caſtra grandia nimis. ac deinde: & planxerunt eum planctu magno, & forti nimis. Planctus iſte ſolennis, nõ longas Aegyptias imperat lachrymas ſed funeris monſtrat ornatum. Iuxta quem modum Moyſen & Aaron quoque fletos eſſe manifeſtum eſt. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima quinta ad Paulam ſuper obitu Eleſillæ filiæ, cap. 3. vide & cap. 4. ſequenti. Ibidem.*

*Act. 8.*

*Gen. 50.*

*Eleemoſynæ dabãtur pro defunctis.*

CAETERI mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floreſque purpureos, & dolorem pectoris his officijs conſolantur. Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſaque veneranda, eleemoſynæ balſamis rigat: his pigmentis atque odoribus fouet cineres quieſcentes. *Tomo primo, Epiſtola 26. ad Pammachium, ſuper obitu Paulinæ vxoris cap. 2.*

*Quale vltimum officiũ Paulæ redditum.*

PAVLA translata Epiſcoporum manibus, & ceruicem feretro ſubijcientibus, cùm alij Pontifices lampadas, cereoſque præferrent, alij choros pſallentium ducerent, in media Eccleſia ſpeluncæ Saluatoris eſt poſita. Tota ad funus eius Palæſtinarum vrbium turba conuenit, quem Monachorum latentium in eremo cella ſua tenuit? quàm virginum ſecreta cubiculorum texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali fœminæ vltimum reddidiſſet officium. *Vide plura Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſecunda ad Euſtochium in epitaphio Paulæ, capite 13.*

*Ritꝰ exequiarum ſolenniũ Fabiolæ.*

QVANTVM haberet viuentis Fabiolæ Roma miraculum, in mortua demonſtrauit. Necdum ſpiritum exhalauerat, necdum debitam Chriſto reddiderat animam: Et iam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregabat, ſonabant pſalmi; & aurata tecta templorum, reboans in ſublime quatiebat alleluia. Hæc iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes fœmineas, & facta ferant. Nec ſic Furius de Gallis, non Papirius de Samnitibus, non Scipio de Numantia, non Pompeius de Ponti gentibus triumphauit. illi corpora vicerant, hæc ſpirituales nequitias ſubiugauit. Audio præcedentium turmas, & cateruatim in exequijs eius multitudinem confluentem, non plateæ, non porticus, non imminentia deſuper tecta capere poterant proſpectantes: tunc ſuos in vnum populos Roma conſpexit: fauebant ſibi omnes in gloria pœnitentis. nec mirum, ſi de eius ſalute homines exultarent, de cuius conuerſione Angeli lætabantur in cœlo. Hoc tibi Fabiola, ingenij mei ſenile munus, has officiorum inferias dedi. *Tomo primo, Epiſt. 30. cap. 4. ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ.*

*Luc. 15.*

*Quadrageſimo die mutabatur lugubris veſtis.*

LAVDANDVS Iulianus quod læto vultu mortes filiarũ tulerit; quod in quadrageſimo die dormitionis earum lugubrem veſtem mutauerit; & dedicatio oſſium Martyris candida ſibi veſtimenta reddiderit; vt non ſentiret dolorem orbitatis ſuæ. *Tomo primo, Epiſtola triceſima quarta ad Iulianum capite 2.*

*Cadauera linteo obuoluebantur à Clericis infimi ordinis.*

CLERICI quibus id officium erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more mulieri ſepties ictæ tumulum, parant. *Tom. 1. Epiſt. 49. ad Innocentium.*

*Leones ſimul operam dant ſepulturæ Pauli.*

DVO leones ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis ferebantur: quibus conſpectis primo exhorruit, rurſuſque ad Deum referens mentem, quaſi columbas videret, manſit intrepidus. Et illi quidem directo curſu ad cadauer Beati ſenis ſubſtiterunt; adulantibuſque caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes; prorſus vt intelligeret omnes plangere, quomodo poterant. deinde haud procul cœperunt humum pedibus ſcalpere; arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum foderunt. cùm leones receſſiſſent, ſanctè corporis oneri ſeniles curuauit humeros: & depoſito eo in foſſam, deſuper humum congregans, tumulum ex more compoſuit. *Tom. 1. in vita Pauli Eremitæ.*

*In funere hymni & pſalmi de Chriſtiana traditione decantati.*

OBSERVA ibidem quod in funere Pauli obuoluto, & foras prolato corpore Antonius hymnos, & pſalmos de Chriſtiana traditione, vt loquitur Beatus Hieronymus, decantarit. Hilarion peruigilem noctem, in ipſo, quo defunctus fuerat, loco Antonius ei celebrauit. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

HESYCHIVS ſepultum Hilarionis corpus, cum ingenti vitæ ſuæ periculo poſt decem ferè menſes furatus eſt: quod Maiomam deferens, totis Monachorum, & oppidorum turbis proſequentibus, in antiquo Monaſterio condidit, illæſa tunica, cuculla & palliolo, & toto corpore quaſi adhuc viueret, integro, tantiſq; fragrante odoribus, vt delibutum vnguentum putaretur. *Tom. 1 in vita Hilarionis.*

*Vigiliæ nocturnæ in ſepulchris Sanctorum.*

CONSTANTIA ſanctiſſima mulier ſolita erat peruigiles in ſepulchro eius noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas

nes ſuas ſermocinari. *Ibidem.*

IACOBVS Iuſtus iuxta templum, vbi & præcipitatus fuerat, ſepultus eſt. Titulum vſque ad obſidionem Titi, ad vltimam Hadriani, notiſſimum habuit. Quidam è noſtris in monte Olíueti eum putauerunt conditum, ſed falſa eorum opinio eſt. *Tomo primo, in Catalogo ſcripto. Eccleſiaſt. in Iacobo.*

*Matt. 26.*
*Pſal. 118.*
*Lucæ 6.*
*Ioan. 20.*

QVOD dicis Vigilantium vigilias execrari: facit & hoc contra vocabulum ſuum, vt velit dormire Vigilantius, & non audiat Saluatorem dicentem: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate ne intretis in tentationem: Spiritus eſt promptus, ſed caro infirma. Et in alio loco Propheta decantat. Media nocte ſurgebam, vt confiterer tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Dominum quoque in Euangelio legimus pernoctaſſe, & Apoſtolos clauſos carcere tota nocte vigilaſſe, vt illis pſallentibus terra quateretur, cuſtos carceris crederet, Magiſtratus, & Ciuitas terrerentur. *Vide plura de antiquitate Vigiliarum nocturnarum Tomo ſecundo, Epiſtola quinquageſima tertia ad Riparium.*

*Excommunicatis eſt negata ſepultura.*

NOS ne ſumus qui Eccleſiam ſcindimus: an ille, qui viuis habitaculum, mortuis ſepulchrum negat, qui fratrum exilia poſtulat? *Tomo ſecundo, Epiſtola ſexageſima prima ad Pammachium capite decimo ſexto.*

*Paral. 35.*

MORTVVS eſt Ioſias, & ſepultus in Mauſoleo Patrum ſuorum: & vniuerſus Iſrael, Iuda & Hieruſalem luxerunt eum, & præcipuè Hieremias, cuius omnes * cantatores & cantatrices vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael. Ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus. *Tomo ſecundo, libro 2. Dialog. aduerſus Pelagianos, cap. 9.*

* *Conſuetudo in Iſrael cantatores & cantatrices lamentationes ſuper defunctos replicare, vide Matthæi 9. de Archiſynagogi filia mortua.*

*Iob 2.*
*Mos lugentium diuerſus diuerſis temporibus.*

TONDE capillum tuum, & proijce.] Et Iob audita filiorum & filiarum morte, capillos legimus totondiſſe: & apud veteres erat hæc conſuetudo omnium lugentium, tondere cæſariem. At nunc è contrariò, comam dimittere, luctus indicium eſt. *Tomo quarto, libro ſecundo Commentariorum in cap. 7. Hieremiæ.*

*Ritus in parentalibus.*
*Prouerb. 31.*
*Exequiæ celebrabantur ſuper funeribus defunctorum.*

MORIS eſt lugentibus ferre cibos, & præparare conuiuium: quæ Græci περίδειμνα vocant, & à noſtris vulgo vocantur parentalia: eò quod parentibus iuſta celebrentur. Dicit & alibi Scriptura: Date vinum & his qui in luctu ſunt, vt videlicet obliuiſcantur doloris. Præcipitur ergo Prophetæ, ne vllum de populo conſoletur, ne ſe miſceat inimicorum Dei conuiuijs, ne iuſta celebret ſuper funeribus defunctorum. Aliud eſt enim mori communi lege naturæ, aliud Dei occidiſſe ſententia. Abſtuli, inquit, pacem meam de populo iſto, miſericordia indigni ſunt, nullique ætati parcam, ſed & grandes & parui pariter interibunt, ita vt ſepultura quoque careant. Nec ſe incident, inquit, neque caluitium fiet pro eis. Mos hic fuit apud veteres, & vſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum, vt in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciant, quod etiam Iob feciſſe legimus. Vnde & Prophetæ dicitur: ne frangat inter eos panem, nec ingrediatur domum conuiuij, & ne miſceatur eis, qui Dei ſententiæ præparati ſunt. Si autem hoc de lugentibus dicitur, quid fiet de hæreticis, quorum ſermo ſerpit vt cancer: & quotidie proſternunt in Eccleſia funera deceptorum. *Tomo quarto, lib. 3. Commentarior. in cap. 16. Hieremiæ.*

*Ritus veterum & Iudæorum in luctibus.*
*Hæreticorum pœna.*

*Ambitiosè et magnificè memorias et ſepulchra prophetarum ædificabant Phariſæi.*

PRVDENTISSIMO ſyllogiſmo eos arguit filios eſſe homicidarum, dum ipſi opinione bonitatis, & gloriæ in populos, ſepulchra ædificant Prophetarum, quos maiores eorum interfecerunt, & dicunt: Si fuiſſemus tempore illo, non feciſſemus ea quæ fecerunt Patres noſtri. Hoc autem etiam ſi ſermone non dicant, opere loquuntur ex eo, quod ambitioſè, & magnificè ædificent memorias occiſorum, quos à Patribus ſuis eſſe iugulatos non negant. *Tomo ſexto, libro quarto Commentarior. in cap. vigeſimum tertium Matthæi, Canone 51.*

*Vtilitas exequiarum.*

MELIVS eſt ire ad domum luctus.] Vtilius eſt ad exequias funeris, quàm ad domum ire conuiuij: quia ibi recordatione conditionis noſtræ, & fragilitatis humanæ ex præſenti cadauere commonemur. *Tomo quinto, Commentariorum in caput ſeptimum Eccleſiaſtis.*

*Plangentium turba funus præcedit.*

ET florebit amygdalum.] Per Metaphoram etiam nunc de membris hominis Eccleſiaſtæ ſermo eſt: Quod cum ſenectus aduenerit, capillus incanuerit, tumuerint pedes, libido refrixerit, & homo morte fuerit diſſolutus: tunc reuertetur in terram ſuam, & in domum æternitatis ſuæ: ſepulchrum exequijs quærat celebratis, plangentiumque funus turba præcedat. *Tom. 5. Comment. in cap. 12. Eccleſiaſtis.*

### *Articulus Octauus Catechumenis, & Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, aut Confirmationis accipientibus impoſitionem manuum adhiberi ſolitam.*

AN neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptizatis poſtea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus. *Vide latè in Dialogo aduerſus Luciferianos capite quarto, & capite ſecundo, & in ijs quæ tertio libro notata ſunt de Sacramento Confirmationis.*

### *Articulus Nonus. Templa & altaria olim à Chriſtianis ornari, conſecrari, atque inungi ſolita.*

*Gemmis altare diſtinguebatur.*

MVLTI ædificant parietes, & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt: marmora nitent: auro ſplendent laquearia: gemmis altare diſtinguitur: & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. *Vide plura in toto capite duodecimo Epiſtolæ ſecundæ ad Nepotianum. Tom. 1.*

*Cura ſingularum ceremoniarum in Nepotiano laudatur.*
*Diſpoſitio pulchra ceremoniarum in eccleſia.*

NEPOTIANVS erat ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi terſa pauimenta, ſi ianitor creber in porta, vela ſemper in oſtijs, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes cærimonias pia ſolicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium. vbicunque eum quæreres, in Eccleſia inuenires. Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrauit, vt quicquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione, quam viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur. Macte virtute, cuius talia principia,



principia, qualis finis erit? *Tom. 1. Epiſtola 3. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani cap. 8. Vide Tom. 1. Epiſtola, vigeſima ſecunda capite decimo, de vaſis ſacris non violandis nec prophanandis.*

*Modus antiquus ornãdi Eccleſias.*

ALII ædificent Eccleſias; veſtiant parietes marmorum cruſtis; columnarum moles aduehant; earumque deaurent capita, pretioſum ornatum non ſentientia; ebore argentoque valuas, & gemmis aurata diſtinguant altaria. non reprehendo, non abnuo. vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. meliuſque eſt hoc facere, quam repoſitis opibus incubare, ſed tibi aliud propoſitum eſt. Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus, virginum alere monaſteria; &c. *Tomo primo, Epiſtola octaua ad Demetriadem.*

*Pſal. 84.*

INFELICISSIME mortalium, tu ſpeluncam illam, in qua Dei filius natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, * de ſtupro condicturus ingrederis? non times ne de præſepi infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, paſtores currunt, deſuper ſtella rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur. & tu cubiculum virginis, decepturus virginem, irrepis? Paueo miſer; & tam mente, quam corpore perhorreſco, ponere tibi volés ante oculos tuos opus tuum. Tota Eccleſia nocturnis vigilijs Chriſtum Dominum perſonabat; & in diuerſarum gentium linguis vnus in laudibus Dei ſpiritus concinebat. tu inter oſtia quondam præſepis Domini, nunc altaris, amatorias Epiſtolas fulciebas, quas illa poſtea miſerabilis, quaſi flexo genu adoratura, inueniret, & legeret. *Vide ſequentia. Tom. 1. Epiſtola, 48. ad Sabinianum capite tertio.*

*Nocturnis vigilijs Eccleſia Chriſtum perſonabat.*
*Diuerſarum gentium linguis Deus laudabatur.*

*Altare Domini vbi quondã præſepe.*
*Diaconi ſtabant ante altare Chriſti.*

NOVERAT te omnis Italia. vniuerſi te ſtant ante altare Chriſti ingemiſcebant. *eadem Epiſtola 48. cap. 5.*

* *D. Hieronymus in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum conſentaneum, his locum inſignem habet, quem obſeruauit Lindanus, in parte Apologetici Folio ducenteſimo octuageſimo nono. Diſcant qui ignorant &c.*

*Conſecrata Deo loca.*

MENS iuncta Deo non vicinitas eccleſiarum & habitatio proxima, Dei in ſe prouocat clementiam: quin potius indignatio Dei commouetur, quando in conſecratis Deo, indignus habitator eſt. *Tom. 4. libr. 12. Commentariorum in caput 43. Ezechielis.*

*Conſecratio altaris.*

LOCVTVS eſt vir, cuius calamus, & funiculus erat in manu eius, & docet eum quomodo altaris opere perfecto altare debeat expiari, & conſecrari. *Tom. 4. libr. 13. Commentarior. in caput 43. Ezechielis.*

*Conſecratio in bonã partem accepta.*
*Ioſue. 7. c.*

QVID autem in eo ſignificet quod ait: Et communes populos multos, & conſecrabis Domino multitudinem eorum, & robur eorum Domino vniuerſæ terræ; Legamus Numeros, Ieſu Naue, & primum Regnorum librum, & videbimus quomodo de ſubiectis gentibus, cum vniuerſa perierint in ore gladij, aurum & argentum, & tam de hominibus, quam de iumentis, certus prædæ numerus Domino conſecratus ſit. Denique & Achor, qui de Anathemate Hiericho aliquid eſt furatus, conturbauit populum, & ex peccato valli nomen eſt impoſitum, Emex Achor, id eſt, vallis tumultus ſiue turbarum. Vt autem ſcias iuxta LXX. interpretes, qui dixerũt: conſecrabis Domino multitudinem eorum & robur eorum Domino vniuerſæ terræ, in bonam partem debere accipi conſecrationem. *Tom. quinto, libro ſecundo Commentariorum. in caput quartum Michææ.*

### *Articulus X. Sacra templa & vaſa ac ornamenta non eſſe violanda: fuiſſe inſuper iam olim loca ſancta deuotis Chriſtianorum peregrinationibus frequentata ac viſitata.*

*Deflet violationem locorum ſanctorum & perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum.*

HORRET animus temporum noſtrorum ruinas perſequi. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora, his bellis fuere ludibrio? Capti epiſcopi, interfecti ab Hunnis & VVandalis presbyteri, & diuerſorum officia clericorum ſubuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, martyrum effoſiæ reliquiæ, vbique luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago. quot monaſteria capta? *Tomo primo Epiſtola tertia ad Heliodorum in Epitaphio, Nepotiani capite nono.*

MVLTAS ſanctas & nobiles fœminas de littore Galliarum ad habitationem locorum ſanctorum, hoſtium per Africam compulit ſæua tempeſtas. *Tomo primo, Epiſtola octaua, ad Demetriadem cap. 2.*

*Lucæ 13.*
*Pſal. 45.*
*Lucæ 11.*
*Gal. 4.*
*Hebræ. 12.*
*Hic locus videtur oppugnare Peregrinationes ſed ſolutio infra ſubijcitur.*
*cap. 2.*
*Pſal. 4.*
*Ioan. 3.*
*Pſal 23.*
*Iudith. 6.*
*Matt. 8.*
*Pſal. 75.*
*Pſal. 18.*
*Ioan. 14.*
*Lucæ 13.*
*Matth 24.*
*Hierem. 7.*
*2. Cor. 6.*

NON Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt. Illa expetenda eſt ciuitas, non quæ occidit prophetas, & Chriſti ſanguinem fudit, ſed quam fluminis impetus lætificat: quæ in monte ſita, cælari non poteſt: quam matrem ſanctorum Apoſtolus clamitat. In qua ſe municipatum cum iuſtis lætatur habere. Neque verò hoc ipſum dicens me ipſum inconſtantiæ arguo, damnoque quod facio: vt fuſtra videar ad exemplar Abraham, & meos & patriam reliquiſſe: ſed non audeo Dei omnipotentiam anguſto fine concludere, & coartare paruo terræ loco, quem non capit cælum. Singuli quippe, credentium, non locorum diuerſitatibus, ſed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores, neque Hieroſolymis, neque in monte Garizim adorant patrem; quia Deus ſpiritus eſt, & adoratores eius in ſpiritu & veritate adorare oportet. Spiritus autem ſpirat vbi vult: & Domini eſt terra & plenitudo eius. Poſtquam, ſiccato Iudeæ vellere, vniuerſus orbis cœleſti rore perfuſus eſt; & multi, de Oriente & Occidente venientes, recubuerunt in ſinu Abrahæ: deſijt notus tantum eſſe in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius: ſed in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Saluator ad diſcipulos loquens cum eſſet in templo, Surgite, ait, abeamus hinc. & ad Iudæos. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Si cælum & terra tranſibunt, vtique tranſibunt omnia quæ terrena ſunt. Et crucis igitur & reſurrectionis loca proſunt his, qui portant crucem ſuam, & cum Chriſto reſurgunt quotidie, qui dignos ſe exhibent tanto habitaculo. Cæterum qui dicunt: Templum Domini, templum Domini, audiant ab Apoſtolo: Vos eſtis templum Domini, & Spiritus ſanctus habitat in vobis.

*1.Cor.3. 2.Cor.6.*

Et de Hieroſolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœleſtis: Regnum enim Dei intra vos eſt. Antonius, & cuncta Aegypti, & Meſopotamię, Cappadociæ, & Armeniæ examina monachorum, non videre Hieroſolymam: & patet illis abſque hac vrbe paradyſi ianua. Beatus Hilarion, cum Palæſtinus eſſet, & in Palæſtina viueret, vno tantum die vidit Hieroſolymam; vt nec contemnere loca ſancta propter viciniam, nec rurſum Deum loco claudere videretur.

*Pſal.84.*

Ab Hadriani temporibus vſque ad imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta, in loco reſurrectionis ſimulachrum Iouis, in crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem reſurrectionis, & crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent. Bethlehem nunc noſtram, & anguſtiſsimum orbis locum, de quo Pſalmiſta canit, Veritas de terra orta eſt, Lucus inumbrabat Thamuz, id eſt, Adonidis: & in ſpecu, vbi quondam Chriſtus paruulus vagijt Veneris amaſius plangebatur. Quorſum, inquies, hæc tam longo repitita principio? Videlicet ne, quidquam fidei tuæ deeſſe putes, quia Hieroſolymam non vidiſti; nec nos idcirco meliores exiſtimes, quod huius loci habitaculo fruimur; ſed ſiue hic, ſiue alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem. *Vide ſequentia latius. Tom. 1. Epiſtola 13. ad Paulinum de inſtitutione Monachi capite 1. & ſecundo.*

### SCHOLIA.

PRAESENS *hic locus peregrinationum neceſsitatem & vtilitatem infringere & labefactare videtur. Verum obſeruandum eſt, quod tametſi peregrinationes in genere omnibus laudibus a SS. PP. exornentur: in ſpecie tamen certo hominum generi nempe monaſticen profeſsis, & in virginitate degentibus vitam, peregrinationes interdicantur. Monachis prohibentur, eò quod ſolitudo ex vi & etymo nominis iſti hominum generi propriè conueniat. Peregrinationes autem tum à ſolitudine, ſpeculatione & meditatione auocant: tum etiam, quod in Canonibus præcipuè Aſcitis vetatur, vagam, diſtractam & confuſam, viuendi rationem introducunt. Hanc autem germanam eſſe B. Hieronymi mentem in hac eadem Epiſtola 13. ad Paulinum cap. 2. ipſiuſmet ſubſequentia auctoris verba demonſtrant.* Reuera, vt ſimpliciter motus mentis meæ fatear, conſiderans & propoſitum tuum, & ardorem, quo ſæculo renunciaſti; differentias in locis arbitror, ſi vrbibus & frequentia vrbium derelicta, in agello habites, & Chriſtum quęras in ſolitudine, & ores ſolus in monte cum Ieſu, ſanctorumque tantum locorum vicinitatibus perfruaris, id eſt, vt & vrbe careas, & propoſitum monachi non amittas. Quod loquor, non de Epiſcopis, non de præsbyteris, non de clericis loquor, quorum aliud officium eſt; ſed de monacho, & de monacho quondam apud ſæculum nobili: qui iccirco pretium, poſſeſſionum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuit, docens pecuniam eſſe calcandam, vt humiliter & ſecretò victitans, ſemper contemnat, quod ſemel contempſit. Si crucis & reſurrectionis loca non eſſent in vrbe celeberrima, in qua curia, in qua aula militum, in qua ſcorta, mimi, ſcurræ, & omnia ſunt, quæ ſolent eſſe in cœteris vrbibus; vel ſi monachorum turbis tantummodo frequētaretur; expetendum reuera cunctis monachis huiuſcemodi eſſet habitaculum: nunc verò ſummæ ſtultitiæ eſſet renunciare ſęculo, dimittere patriam, vrbes deſerere, monachum profiteri, & inter maiores populos periculoſius viuere, quam eras victurus in patria. De toto huc orbe concurritur. plena eſt ciuitas vniuerſi generis hominum: & tanta eſt vtriuſque ſexus conſtipatio, vt, quod alibi ex parte fugiebas, hic totum ſuſtinere cogaris. *Tomo primo, Epiſtola 13. ad Paulinum capite ſecundo.*

*Vide Lindanum Tom. 2. Apologetici Fol. 50 51. doctè diſſerentem de Peregrinationibus.*

CONSVLAT ſtudioſus Lector Epiſtolam Bernardi 319. ad Lelbertum abbatem ſancti Michaelis, in qua reuocatà peregrinatione monachum quendam, qui ſub prætextu peregrinationis leuiter foras vagando cupiebat prouincias circumire, & Abbatis conſenſum per improbitatem impetrauerat. Neque enim terrenam, ſed cœleſtem Hieroſolymam requirere, eſt monachorū propoſitum: & hoc non pedibus proficiſcendo ſed affectib. proficiſcēdo. Prohibetur quoque vſus peregrinationis, Veſtalib. & ſanctimonialibus: tum ꝙ eas deceat ſecretò & occultè ſecluſas ab omnium prophanorum hominum cōmercio Domino Deo inſeruire: tū vero maximè quod ſine ſummo violandæ caſtitatis periculo, peregrinationes à ſanctimonialibus ſuſcipi non poſſint. *Vide Tomo primo, Epiſtola 22. cap. 6. Rarus ſit egreſſus in publicum. martyres tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquam cauſa deerit procedendi, ſi ſemper quando neceſſe eſt, proceſſura ſis.*

*Aſella properat ad martyrū limina.*

ASELLA ad martyrum limina pene inuiſa properabat. Et cum gauderet propoſito ſuo, in eo vehementius exultabat, quod ſe nullus cognoſceret. *Tomo primo, Epiſtola decima quinta ad Marcellam de Laudibus Aſellæ.*

APOSTOLORVM & martyrum baſilicas ſecretis celebrabat orationibus, vt quæ populorum frequentiam declinaret. *Tomo primo, Epiſtola decima ſexta ad Principiam in Epitaphio Marcellæ viduæ capite ſecundo.*

*In baſilicis ſanctorum ſalus oſtēditur*

MARCELLA vna cum Principia ad Beati Apoſtoli Pauli Baſilicam à barbaris hoſtibus deducta, vt vel ſalutem illis oſtenderent, vel ſepulcrum. *Tomo primo ad Principiam Epiſtola decima ſexta capite ſexto.*

QVOD ſolum abſentes facere poſſumus querulas fundimus preces; & deſiderium noſtrum non tam fletibus, quam eiulatibus conteſtamur, vt Marcellam noſtram nobis reddas, & illam mitem, illam ſuauem, illam omni melle & dulcedine dulciorem, non patiaris apud eas eſſe rigidam, & triſtem, rugare frontem, quas affabilitate ſua ad ſimile vitæ ſtudium prouocauit.

*Ad loca ſancta Hieroſolimitana prouocat virgines.*

Certè, ſi ſunt meliora quæ poſcimus, non eſt, impudens deſiderium. ſi cunctæ voces ſcripturarum noſtræ ſententiæ congruunt, non facimus audacter, ad ea loca ſancta Hieroſolymitana te prouocantes, ad quæ tu nos ſæpiſſimè cohortata es. Prima Dei vox ad Abraham. Exi, inquit, de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram, quam monſtrauero tibi. Iubetur patriarchæ, ad quem primum de CHRISTO facta eſt repromiſſio, vt relinquat Chaldæos, relinquat confuſionis vrbem, & Rohoboth, id eſt, latitudines eius; relinquat campum Sennaar, in quo ſuperbiæ vſquę ad cœlum erecta turris eſt; & poſt fluctus huius ſæculi,

*Gene. 12. Gal. 3. Geneſ. 12.*



*Ezech. 8.*

culi, poſt flumina, ſuper quæ ſederunt ſancti, & fleuerunt cum recordarentur Sion, poſt gurgitem grauem Cobar, de quo Ezechiel, capillo verticis ſubleuatus, Hieruſalem vſque tranſfertur, vt habitet terram repromiſſionis, quæ non rigatur vt AEgyptus deorſum, ſed deſurſum, nec faciat holera languentium cibos, ſed temporaneum & ſerotinum de cælo expectat imbrem. Hæc terra montuoſa. & in ſublimi ſita, quantum à delicijs ſæculi vacat, tanta habet maiores delicias ſpiritus. Denique & Maria, mater Domini, poſtquam ad eam angeli facta eſt promiſſio, & vterum ſuum intellexit eſſe domum filij Dei, derelictis campeſtribus ad Montana perrexit. De hac vrbe, Allophylo quondam hoſte ſuperato, & diabolicæ frontis percuſſa audacia, poſtquam ille in faciem corruit: exultantium animarum turba proceſſit: & concinens chorus decem millium, Dauid noſtri victoriam prædicauit. In hac angelus gladium tenens, & totam impietatis deuaſtans vrbem, in Orne Iebuſæorum regis area templum Domini deſignauit, iam tunc ſignificans Eccleſiam Chriſti, non in Iſrael, ſed in gentibus conſurgentem. Recurre ad Geneſin: & Melchiſedech regem Salem, principem huius inuenies ciuitatis: qui iam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in ſaluatoris ſanguine & corpore dedicauit. Tacita forſitan mente reprehendes, cur non ſequamur ordinem ſcripturarum, ſed paſſim, & vt quidque obuiam venerit, turbidus ſermo perſtringat.

*Terra ſancta plena delicijs ſpiritualibus. cap 2. Lucæ c. 2. 1. Reg. 17. 1. Paral. 28. Geneſ. 14. Melchiſedechicum ſacrificium typus noſtri incruenti ſacrificij.*

Sed in principio teſtatæ ſumus, dilectionem ordinem non habere, & impatientiam neſcire menſuram. vnde & in Cantico Canticorum quaſi difficilè præcipitur: Ordinate in me charitatem, & nunc eadem dicimus, nos non ignoratione, ſed affectu labi. Denique vt multo ordinatius aliquid proferamus, antiquiora repetenda ſunt. In hac vrbe, imò in hoc tunc loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam, vnde & locus, in quo Dominus eſt crucifixus, caluaria appellatur, ſcilicet quod ibi ſit antiqui hominis caluaria condita: vt ſecundi Adam, id eſt, Chriſti ſanguis de cruce ſtillans primi Adam, & iacentis protoplaſti peccata diluerit; & tunc ſermo ille Apoſtoli compleretur: Excitare qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quantos hæc vrbs prophetas, quantos emiſerit ſanctos viros, longum eſt recenſere. Totum myſterium noſtrum iſtius prouinciæ, vrbiſque vernaculum eſt. In tribus nominibus trinitatis monſtrat fidem. Iebus, Salem, & Hieruſalem appellatur, primum nomen calcata, ſecundum pax, tertium viſio pacis. Paulatim quippe ad finem peruenimus, & poſt conculcationem ad pacis viſionem erigimur: ex quo Salomon, id eſt, pacificus in ea natus eſt, & factus eſt in pace locus eius. Et in figura Chriſti, ſub etymologia vrbis, Dominus dominantium, & rex regum nomen accepit. Quid referemus de Dauid, & tota progenie eius, quæ in hac ciuitate regnauit? quantò enim Iudæa cæteris prouincijs: tanto hæc vrbs cuncta ſublimior eſt Iudæa. &, vt coactius diſſeramus, totius prouinciæ gloria metropoli vindicatur; & quidquid in membris eſt laudis, omne refertur ad caput. Iamdudum te cupientem in verba prorumpere, ipſi literarum apices ſentiunt; & venientem contra charta intelligit quæſtionem. Reſpondebis quippè & dices, hoc olim fuiſſe, quando dilexit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, & fuerunt fundamenta eius in montibus ſanctis: licet & hæc poſſint altius interpretari. Poſtquam verò conſurgentis illa vox Domini pertonuit: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & ruinam eius flebiliter prophetauit, dicens: Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti. Ecce dimittetur vobis domus veſtra deſerta, & poſtquam velum templi ſciſſum eſt, & circundata ab exercitu Hieruſalem, & Dominico cruore violata, tunc ab ea angelorum præſidia, & Chriſti gratiam receſſiſſe. Denique, etiam Ioſephum, qui vernaculus ſcriptor eſt Iudæorum, aſſerere illo tempore, quo crucifixus eſt Dominus, ex adytis templi virtutum cœleſtium erupiſſe voces: dicentium: Tranſmigremus ex his ſedibus. Ex quibus & alijs apparere, vbi abundauit gratia, ibi ſuperabundaſſe peccatum: & poſtquam audierunt Apoſtoli: Euntes docete omnes gentes: Et ipſi Apoſtoli dixerunt: oportebat quidem vobis primum annunciare verbum Dei: quoniam autem noluiſtis ecce conuertimus nos ad gentes: tunc omne ſacramentum Iudææ, & antiquam Dei familiaritatem per Apoſtolos in nationes fuiſſe tranſlatam. Valida quidem quæſtio, & quæ poſſet etiam eos, qui ſcripturarum aliquid attigerunt, concutere; ſed perfacilè ſoluitur. Nunquam eam Dominus fleret corruentem, niſi diligeret. Fleuit & Lazarum, quia amabat eum. Et hoc tamen prima fronte cognoſcito, non loci, ſed hominum fuiſſe peccatum: verum, quia interfectio populi captiuitas ciuitatis eſt, propterea vrbem deletam, vt populus puniretur; ideo templum ſubrutum, vt typicæ hoſtiæ tollerentur. Cæterum quantum ad locum pertinet, per profectus temporum multò nunc auguſtior eſt, quam ante fuit. Venerabantur, quondam Iudæi ſancta ſanctorum, quia ibi erant Cherubin, & propitiatorium, & arca teſtamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne venerabilius tibi videtur ſepulchrum Domini? quod quotieſcunque ingredimur, toties iacere in ſyndone cernimus ſaluatorem: & paululum ibidem commorantes, rurſum videmus angelum ſedere ad pedes eius, & ad caput ſudarium conuolutum. Cuius ſepulcri gloria multo antequam excideretur à Ioſeph, ſcimus Eſaiæ vaticinio prophetatum, dicentis: Et erit requies eius honor: quod ſcilicet ſepulturæ Domini locus eſſet ab omnibus honorandus. Sed dices, quomodo in Apocalypſi Ioannis legimus: Et occidet illos (haud dubium, quin prophetas) beſtia, quæ aſcendit ex abyſſo; & corpora eorum iacebūt in plateis ciuitatis magnę, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & AEgyptus, vbi & dominus eorū crucifixus eſt. Si enim: ais: Ciuitas magna, in qua crucifixus eſt Dominus nulla eſt alia, niſi Hieruſalem: vbi autem crucifixus eſt DOMINVS ſpiritualiter Sodoma appellatur & AEgyptus: ergo Hieruſalem Sodoma eſt; & AEgyptus, in qua crucifixus eſt DOMINVS: Primum, ſcire volumus, omnem ſanctam ſcripturam non poſſe ſibi eſſe contrariam,

*Cantic. 2. Laus terræ ſanctæ. Epheſ. 5. Laus vrbis Hieroſolymitanæ. Pſal. 75. Apocal. 19. cap. 3. Pſal 86. Lucæ 13. Matt. 22. An Hieroſolyma poſt occiſum ſaluatorem ſit pœnitus reiecta. Rom. 5. Matth 28. Actor. 13. Diſſolutio ſupra allatæ dubitationis. Lucæ 19. Ioan. 11. Chriſti occiſio non Loci ſed hominum peccatum. Hieruſalem auguſtior quam ante per collationem partiū. Exod. 25. Hebræo 9. Ioan. 22. Marc. 16. Lucæ. 24. Eſaiæ. 11. cap 4. Apoc 21. Noua obiectio contra encomium ſanctæ ciuitatis.*

& inde?

*Diſſolutio allatæ ſecundæ inſtitiæ.*

& maximè vnum aduerſum ſe non diſcrepare librum, & vt plus adijciamus, eundem eiuſdemq; libri locũ in Apocalypſi, de qua nunc teſtimoniũ protuliſti, ante decem circiter verſiculos ſcribitur: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem, quod eſt foris templum, eijce foras: & ne metiaris illud, quoniam datum eſt gentibus: & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadragintaduobus. ſi enim Apocalypſis multò poſt paſsionem DOMINI ſcripta eſt à Ioanne; & in ea Hierusalem ſancta ciuitas appellatur: quomodo rurſum ſpiritualiter Sodoma & AEgyptus vocatur? Cum ergo hæc non poſſint carnaliter accipi, ſpiritualiter intelligenda ſunt: & ciuitas magna, quam videlicet primus ædificauit Cain, & nominauit eam ex vocabulo filij ſui, hic mundus intelligendus eſt, quam accuſator fratrum ſuorum diabolus eſt, & fratricida Cain periturus extruxit vitijs, ſceleribus condidit, iniquitate compleuit, quæ ſpiritualiter appellatur Sodoma & AEgyptus. de qua Sodoma ſcribitur: Reſtituetur Sodoma in antiquum quod ſcilicet ita reſtituendus ſit mundus, vt ante fuit, nec enim poſſumus credere rurſus ædificandam Sodomam & cæteras, ſed in perpetuos cineres relinquendas. AEgyptum autem nunquam pro Hieruſalem legimus, ſed pro hoc mundo. exemplum extat in Epiſtola Canonica Iudæ. Cum itaque & Euangeliſtæ & omnes ſcripturæ Hieroſolymam ſanctam nominent ciuitatem; & Pſalmiſta præcipiat; vt adoremus in loco, vbi ſteterunt pedes eius, ne patiaris eam appellari Sodomam & AEgyptum, per quam DOMINVS iurare vetat, quia ſit ciuitas magni regis. Si poſt paſſionem Christi hic locus deteſtabilis eſt: quid ſibi voluit Paulus Hieroſolymam feſtinare, vt ibi faceret Pentecoſten? qui retinentibus ſe loquutus eſt, dicens: Quid facitis flentes & conturbantes cor meum? ego enim non modo ligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine DOMINI Ieſu. Quid cæteri ſancti & illuſtres viri, quorum vota & oblationes poſt prædicationem Chriſti ad fratres, qui erant Hieroſolymis, deferebantur. Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini vſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes ſe minus religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, vt dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcauerat *. Certè ſi præclarus orator reprehendendum neſcio quem putat, quod literas græcas non Athenis, ſed Lilybæi, latinas non Romæ, ſed in Sicilia didicerit; quod videlicet vnaquæque prouincia habeat aliquid proprium, quod alia æquè habere non poſſit: cur nos putamus abſque Athenis noſtris, quemquam ad ſtudiorum faſtigia perueniſſe? Nec hoc dicimus, quod renuamus, regnum Dei intra nos eſſe, & ſanctos viros etiam eſſe in alijs regionibus, ſed quod hoc aſſeramus, vel maximè eos, qui in toto orbe ſunt primi, huc pariter congregari, ad quæ loca nos non vt primæ, ſed vt extremæ venimus, vt primos in eis omnium gentium cerneremus. Certè flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta, monachorum & virginum chorus eſt. Quicunque in Gallia, fuerit primus, huc properat. Diuiſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum fama ſibi tantum, & ſcripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas, quid Indiæ, quid Aethiopum populos, ipſamque iuxta AEgyptum, fertilem monachorum, Pontum; & Cappadociam, Syriam, Cœlen, & Meſopotamiam, cunctaque orientis examina? Quæ iuxta Saluatoris, eloquium dicentis: Vbicunque fuerit corpus illic, congregabuntur & aquilæ: concurrunt ad hæc loca, & diuerſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt. Vox quidem diſſona, ſed vna religio. tot penè pſallentium chori, quot gentium diuerſitates. & inter hæc, quæ vel prima inter Chriſtianos virtus eſt, nihil arrogant ſibi de continentia ſupercilij. Humilitatis inter omnes contentio eſt. Quicunque nouiſſimus fuerit, hic primus putatur. In veſte nulla diſcretio, nulla admiratio, Vtcunque placuerit incedere, nec detractionis eſt, nec laudis. Ieiunia quoque neminem ſubleuant; nec defertur inediæ, nec moderata ſaturitas condemnatur. Suo Domino vnuſquiſque ſtat aut cadit. Nemo iudicat alterum ne à Domino iudicetur. Et quod in pleriſque prouincijs eſt familiare, vt ſe genuino dente lacerent, hic penitus non habetur. Procul luxuria, procul voluptas: tanta in ipſa vrbe orationum loca, vt ad ea peragranda dies ſufficere non poſſit. Verum vt ad villulam Chriſti, & Mariæ diuerſorium veniamus (plus enim laudat vnuſquiſque quod poſſidet) quo ſermone, qua voce ſpeluncam tibi poſſumus ſaluatoris exponere? Et illud præſepe, in quo infantulus vagijt, ſilentio magis, quam infirmo ſermone honorandum. Vbi ſunt Latæ porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus miſerorum pœnis, & damnatorum labore veſtitæ? vbi, inſtar palatij, opibus priuatorum exſtructæ baſilicæ, vt vile corpuſculum hominis pretioſius inambulet, &, quaſi mundo quidquam poſsit eſſe ornatius, tecta magis velint ſua aſpicere, quam cælum? Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor eſt natus: hic inuolutus pannis, hic viſus à paſtoribus, hic eſt demonſtratus à ſtella, hic adoratus à Magis. Et hic locus puto ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cælo ſæpius fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceret. Lege Apocalypſin Ioannis; & quid de muliere purpurata, & in eius fronte ſcripta blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis, & Babylonis cantetur exitu, contuere. Exite, inquit, Dominus, de illa populus meus; & ne participes ſitis delictorum eius; & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnuſquiſque animam ſuam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. In CHRISTI villula, tota ruſticitas, & extra Pſalmos ſilentium eſt. Quocunque te verteris, arator ſtiuam tenens, Alleluia decantat. Sudans meſſor Pſalmis ſe auocat, & curua attundens vitem falce vinitor, aliquid Dauidicum canit. Hæc ſunt in hac prouincia carmina, hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones; hic paſtorum ſibilus, hæc arma culturæ. O quando illud tempus adueniet, cum anhelus nuncium viator apportet, Marcellam noſtram ad Palæſtinæ littus appulſam; & toti monachorum chori, tota virginum agmina concrepabunt? obuiam iam iamque geſtimus occurrere, &, non expectato vehiculo, concitum pedibus ferre corpus. Tenebimus manus; ora cernemus; & à deſiderato vix auellemur amplexu. *Vide ſequentia in capite octauo Epiſtolæ decimæ ſeptimæ, ad Marcellam, in qua capitibus 1.2.3.4.5.6.7.& 8. Paula & Euſtochium Marcellam, vt relicta Roma ad loca ſancta ſe conferat, adhortantur. vide Epiſtolam ſequentem decimã octauam. ad Marcellam, vbi eadem repetuntur in laudem terræ ſanctæ ex epiſtolæ 17. ſuperioris capite ſeptimo.*

*Geneſ. 4.* — *cap. 5.* — *Pſal. 131.* — *Matth. 23.* — *Actor. 20.*

*cap. 6. Quã frequẽs viſitatio locorũ ſanctorum et à quãtis viris ſuſcepta.*

*Commendatio locorum ſanctorum præ alijs locis.*

*Concurſus ex omnibus mũdi partibus ad loca ſancta.* — *Matth. 24.* — *Quæ pietatis exercitia in locis ſanctis.* — *Rom. 14.* — *cap. 8.* — *Per partitionem et diſtributionem ſingulorum locorum laus terræ ſanctæ* — *Apocal. 17. & 18.* — *Hier. 50.* — *Carmina & cantica ſanctæ prouinciæ.* — *cap. 8.*

**. Solennem fuiſſe pijs Dei cultoribus morem, orandi cauſa certum petere locum, ac potiſſimum in Bethel peregrinari illud abundè fecerit conteſtatum; quod 1. Reg. 9. legitur occurriſſe tres viros Sauli, qui aſcendebant in domum Dei Bethel. quos D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis annotat in Bethel cauſa orationis veniſſe, vbi Iacob lapidem erexerat. vide Lindanum Apologetici Tomo 2. Folio 51.*



OBTESTOR te, coram Deo & Chriſto Ieſu, & electis angelis eius, ne vaſa templi Domini, quæ ſolis ſacerdotibus videre conceſſum eſt, facilè in publicum proferas, ne ſacrarium DEI quiſquam profanus aſpiciat. Oza, arcam, quam non licebat attingere, attingens, ſubita morte eſt proſtratus, neque enim vas aureum, & argenteum tam carum Deo fuit, quam templum corporis virginalis. Præceſſit vmbra, nunc veritas eſt, Tu quidem ſimpliciter loqueris, & ignotos quoſque blanda non deſpicis: ſed aliter vident oculi impudici, non norunt animæ pulchritudinem conſiderare, ſed corporum. Ezechias theſaurum Dei monſtrat Aſſyrijs: ſed Aſſyrij non debuerunt videre, quod cuperent. Denique frequentibus bellis Iudæa conuulſa, vaſa primum Domini capta atque tranſlata ſunt; & inter epulas concubinarum greges, quia palma vitiorum eſt, honeſta polluere, Balthazar portat in phialis. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſecunda capite ſecundo.*

*2. Reg. 6.* — *4. Reg. 20.* — *Daniel 5.*

VNICO filio, omni, quam habebat poſſeſſione conceſſa, ingruente iam hyeme Blæſilla Hieroſolymam nauigauit. *Tomo primo, epiſto. vigeſima quinta cap. 5.*

*Monachi magno numero ad terram ſacram confluunt.*

Nos in iſta prouincia ædificato monaſterio, & diuerſorio propter extructo, ne forte & modo Ioſeph, cum Maria in Bethlehem veniens non inueniat hoſpitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, vt nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeamus: vnde, quia nobis pene illud de Euangelio contigit, vt futuræ turris non ante computaremus expenſas, compulſi ſumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, vt ſemirutas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, & parentum communium cenſus venderet, ne cœptum ſanctorum miniſterium, deſerentes, riſum maledicis & æmulis præbeamus. *Tomo primo, Epiſt. 26 cap. 6.*

*Sanctorum miniſterium in terra ſancta.*

CVIVS gentis homines ad loca ſancta non veniunt? quis in ſanctis locis, præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, inuenit? *Tomo primo Epiſtola 27. cap. 2.*

PAVLA filijs antequam proficiſceretur, cuncta largita eſt, exhæredans ſe in terra, vt hæreditatem inueniret in cælo. Sumptis fidei alis Hieroſolymam & ſancta loca videre cupiebat. Cum Hieroſolymam veniſſet cuncta loca ſancta tanto ſtudio ac ardore circumiuit, vt niſi ad reliqua feſtinaret, à primis non poſſet abduci, proſtrataque ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingreſſa ſepulchrum reſurrectionis oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amouerat angelus: & ipſum corporis locum, in quo Dominus, iacuerat; quaſi ſitiens deſideratas aquas fideli ore lambebat. *Vide plura, in peregrinatione Hieroſolymitana Paulæ. Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſeptima cap. tertio, quarto, 5.6.7.8.9.10.11.12.13.14. vbi per Topographiam & Chorographiam iter & Peregrinatio Paulæ, fuſè deſcribitur, & quantam in ſingulis deſcriptis locis ſanctis deuotionem & pietatem exercuerit, oſtenditur. præcipuè tamen peregrinatio eius vſque ad medium ſeptimi capitis extenditur.*

*Paulæ peregrinatio Hieroſolymitana.*

PAVLA in ſancta Bethlehem perpetuò manſura, anguſto per triennium manſit hoſpitiolo, donec extrueret cellulas, ac monaſteria, & diuerſorum peregrinorum iuxta viam conderet manſiones, in qua Maria & Ioſeph hoſpitium non inuenerant. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima ſeptima capite ſeptimo.*

*Paula extruxit cellulas diuerſorum peregrinorũ manſiones.*

INTELLIGIS quod ſub alijs verbis ad ſanctorum locorum te inuitem habitaculum. *Tomo primo, Epiſtola vigeſima octaua ad Lucinium, quem Hieronymus hortatur tota Epiſtola (ſtatuerat enim ad ſancta Hieroſolymæ loca, ibi reliquum vitæ traducturus, nauigare) vt in propoſito perſtet, & quamprimum potuerit, adnauiget.*

Nos in Oriente tenuerunt iam fixæ ſedes, & inueteratum locorum ſanctorum deſiderium. *Tomo primo, Epiſtola trigeſima ad Oceanum capite tertio.*

SANCTAM filiam meam Theodoram, ſororem beatæ memoriæ Lucini, per ſe commendatam, meo ſermone commendo; vt in cœpto itinere non laſſetur; vt ad terram ſanctam multo per eremum labore perueniat; vt non putet perfectam eſſe virtutem exiſſe de Aegypto, ſed per innumerabiles inſidias ad montem Nabo, & ad Iordanem fluuium peruenire; vt accipiat ſecundum Galgala circuncifionem; vt illi muri Hiericho corruant, ſacerdotalium tubarum ſubuerſi clangoribus; vt iuguletur Adonizedete, vt Hai & Azor pulcherrimæ quondam corruant ciuitates. *Tomo primo, Epiſtola trigeſima ſecunda, ad Abigaum.*

*Ad terram ſanctã multo per eremũ labore peruenitur.* — *Nume 33. Ioſue. 3. 5. 6. 11. 18.*

DOMESTICA ſanctæ Veræ exempla ſectare; quæ verè ſecuta Chriſtũ, peregrinationis moleſtias ſuſtinet; & ſit tibi tanti dux fœmina facti. *Tomo primo, Epiſtola trigeſima quarta ad Iulianum capite quarto.*

EXPERGISCERE, expergiſcere euigila de ſomno, præſta vnam chartæ ſchedulam, caritati, inter delicias patriæ, & communes, quas habuimus, peregrinationes, aliquando ſuſpira. *Tom. 1. epiſt. 42. ad Niceam.*

*Communes peregrinationes.*

ORIGENES ſub occaſione ſanctorum locorum, Palæſtinam veniens, diu Cæſareæ in ſanctis ſcripturis ab eo eruditus eſt. *Tom. 1. in Catal ſcriptorum eccleſiaſticorum in Origene.*

*Origenis peregrinatio.*

ALEXANDER Epiſcopus Cappadociæ deſiderio locorum ſanctorum, Hieroſolymam perrexit. *Tomo primo, in Catalogo de Viris Illuſtribus, in Alexandro.*

OPTIMVM facies, ſi cunctis reb. omiſſis, orientem,

entem, & præcipuè ſancta loca petas. hic enim quieta ſunt omnia. *Tomo ſecundo, Epiſtola 56. ad Apronium.*

EXTITIT in Bethlehem monaſterium fratrum, fratrum peregrinorum. *Tomo ſecundo Epiſtola ſexageſima ad Ioannem, Hieroſolymitanum caput primum.*

*Monaſteriū peregrinorū fratrū in Betlehem.*

PROTINVS concito gradu Bethlehem meā ſum reuerſus, vbi adoraui præſepe & incunabula ſaluatoris. *Tomo ſecundo, libro tertio, aduerſus Ruffinum cap. 7.*

VTINAM celebritas loci, & ſanctorum de toto orbe peregrinantium conuentus, ſineret me diuinas ſcripturas legere, in tantum ſpacium nō habeo externa meditandi. *Tom. 2. lib. 1. Apologiæ aduerſus Ruffinum cap. 7.*

HORTOR vos & precor per Domini caritatem, vt nobis veſtros tribuatis aſpectus, & per occaſionem ſanctorum locorum tanto nos ditetis munere. Certè, ſi conſortia noſtri diſplicuerint, adoraſſe, vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt, & quaſi recentia natiuitatis & crucis ac paſſionis vidiſſe veſtigia. *Tomo tertio, Epiſtola 154. ad Deſiderium.*

*Pars fidei eſt adoraſſe vbi ſteterūt pedes Domini.*

HAEREDITAS Chriſti Iſrael eſt: hoc eſt, natiuitatis, & crucis, & reſurrexionis, aſcenſioniſq; eius loca, ad quæ de toto orbe concurritur. *Tom. quarto, libro quinto Commentariorum in caput decimumnonum. Eſaiæ.*

*Ad loca ſancta de toto orbe concurritur.*

POSTQVAM Azotus capta fuerit in typum captiuitatis Aegypti, & tranſmigrationis Aethiopiæ, ipſe diſcalciatus & nudus incedat. Neque enim in terra ſancta, ad quam ire feſtinat ſacco veſtitus, & opertis pelle pedibus, vel ſtare poterat, vel ambulare: dicente Domino: Solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Tomo quarto, Commentariorum, in caput 20. Eſaiæ.*

MVLTIS & de toto orbe huc, confluentium turbis, & ſanctorum fratrum monaſterijque curis occupatus, commentarios in Hieremiam per interualla dictabam; vt quod deeſſet otio, ſupereſſet induſtriæ. *Tom. 4. in Proœmio, libr. 4. Comme. in Hieremiam.*

*Inſeruiebat peregrinantibus B. Hieronymus.*

SANCTAE crucis & reſurrectionis vocabula, non vrbem ſignificant, ſed locum: nec diuitiarum quondam magnitudinem, per quam perijt, populus Iudæorum, ſed gloriam ſanctitatis, quā noſtra paupercula poſſidet Bethlehem, non habens aurum & gemmas, ſed panem, qui in ea natus eſt. *Tomo quarto libro quarto Commentariorum in ca. decimum nonum Hieremiæ.*

*Maximæ diuitiæ corpus Chriſti.*

VERA ſententia eſt: Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt, & alibi: Nihil eſt enim opere & manu factum, quod non conficiat & conſumat vetuſtas. Quis crederet, vt totius orbis extructa victorijs Roma corrueret vt ipſa ſuis populis, & mater fieret, & ſepulchrum: vt tota Orientis, Aegypti, Aphricæ littora olim dominatricis vrbis, ſeruorum & ancillarum numero complerentur: vt quotidie ſancta Bethlehem, nobiles quondā vtriuſque ſexus, atque omnibus diuitijs affluentes, ſuſciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non poſſumus, condolemus, & lachrymas lachrymis iungimus: occupatique ſancti operis ſarcina, dum ſine gemitu confluentes videre non patimur, explanationes in Ezechielem, & penè omne ſtudium omiſimus: ſcripturarumq; cupimus verba in opera vertere: & non dicere ſancta, ſed facere. *Tomo quarto in Proœmio lib. 3. Cōmentar. Ezechielis.*

*Bethlehē ditiſſimos Romanos peregrinos ſuſcipit mendicātes.*

OLIM pueri legimus, nihil tā facile eſt, quin difficilè fiat, quod inuitus facias. Fateor me explanationes in Ezechielem, multo ante tempore promiſiſſe, & occupatione de toto huc orbe venientium implere non poſſe: dum nulla hora nullumque momentum eſt, in quo non fratrum occurramus turbis, & monaſterij ſolitudinem, hoſpitium frequentia commutemus: intantum vt aut claudendum ſit nobis oſtium, aut ſcripturarum, per quas aperiendæ ſunt fores, ſtudia relinquenda. Itaque lucratiuis imo furtiuis noctium horis, quæ hyeme propinquante longiores eſſe cœperunt, hæc ad lucernulam, qualiacunque ſunt, dictare conamur, & æſtuantis animi tœdium, interpretatione digerere: Nec iactamus, vt quidam falsò ſuſpicantur, fratrum ſuſceptionē, ſed morarum cauſas ſimpliciter confitemur: prę ſertim cum occidentalium fuga, & ſanctorum locorum conſtipatio, nuditate atque vulneribus indigentium rabiem pręferat barbarorum, quos abſque lachrymis & gemitu videre non poſſumus. *Tom. quarto in Proœmio libr. 7. Commentariorum in Ezechielem.*

*Fratres peregrini ſuſcepti à B. Hieronymo.*

DVM eſſem Romæ puer & ſtudijs liberalibus erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus dominicis ſepulcra Apoſtolorum & martyrum circuire; crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habēt corpora ſepultorum: & ita obſcura ſunt omnia, vt propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant ad infernum viuentes: & raro deſuper lumen admiſſum, horrorem tempęret tenebrarum: vt non tam feneſtram, quam foramen dimiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cœca nocte circundatis, illud Virgilianum proponitur: Horror vbique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent. *Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*

*Viſitatio Locorum ſanctorum per Hieronymū.*

*Pſal. 54.*

NOSTRIS temporibus vidimus agmina locuſtarum terram texiſſe Iudæam: quæ poſtea miſericordia Domini inter veſtibulum & altare (hoc eſt inter crucis & reſurrectionis locum, ſacerdotibus & populis Dominum deprecantibus atque dicentibus: Parce populo tuo) vento ſurgente, in mare primum, & nouiſſimum præcipitatæ ſunt. *Tomo quinto, Commentariorum in caput ſecundum Ioëlis.*

*Inter crucis et reſurrectionis locū altare & templum extructum.*

VLTIMO iam Autumni tēpore frater noſter filius tuus, Siſinnius Monachus, tuæ mihi dignationis Epiſtolam reddidit: qua lecta, gauiſus ſum eſſe te ſoſpitem, & memorem mei, omniumque fratrum, quia in ſanctis locis Domino ſeruiunt: in quorum refrigerijs facis tibi amicos de iniquo Mammona, & præparas æterna tabernacula, vt poſſis cum Dauid dicere. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. *Tomo quinto, Proœmio in Zachariam ad Exuperium Epiſcopum, Tholoſanum.*

*Mittebantur eleemoſynæ fratrib. qui in locis ſacris Domino ſeruiunt.*

*Lucæ 19.*

*Pſal. 83.*

QVOD diuerſa tempora iſtarum mulierum in Euangelijs deſcribuntur, non mendacij ſignū eſt (vt impij obijciunt) ſed ſedulæ viſitationis officium: dum crebro abeunt ac recurrunt, & non patiuntur à Domini ſepulchro diu abeſſe vel longius. *Tomo ſexto, libro quarto Commentariorum in cap. 28. Matthæi.*

*Sedulæ viſitationis officium.*





EGO quotieſcunque ſtudiorum, ingenij, laboris Marcellæ recordor, toties me damno inertiæ: qui in monaſterij ſolitudine conſtitutus, & illud præſepe contra videns, in quo vagientem paruulum feſtini adorauere paſtores, id facere non poſſum, quod nobilis mulier, inter ſtrepentem familiam, & procurationem domus explet operis ſucciſiuis. *Tom. 6. Proœmio Com. in 2. lib. epiſtolæ ad Epheſios.*

*Occupationes Hieronymi.*

EO die, quo anniuerſaria ſolennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregauerat. Colunt autem illam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio dedita eſt, ſed & ipſum oppidum, magna ex parte ſemibarbarum eſt propter loci ſitum. Igitur audito quod ſanctus Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos à dæmone frequenter curauerat) gregatim ei cum vxoribus & liberis obuiam proceſſere, ſubmittentes colla, & voce Syra Barach, id eſt, benedic, inclamantes, quos ille blandè humiliterq; ſuſcipiens, obſecrabat, vt Deum magis, quam lapides colerent; ſimulque vbertim flebat cœlum ſpectans, & pollicens, ſi Chriſto crederent, ad eos ſe crebro eſſe venturum. Mira Dei gratia: non prius abire paſsi ſunt, quam futuræ Eccleſiæ lineam mitteret, & ſacerdos eorum, vt erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

*Hilarion futuræ Eccleſiæ lineam mittit.*

*Sacerdos Chriſti ſigno notatur.*

NON poſſum videre ſubuerſas Eccleſias, calcata Chriſti altaria, filiorum meorum ſanguinem. Ideò in ſolitudinem me recipio. *Ibidem in vita Hilarionis.*

QVANTA ſtultitia: in aureis vaſis bibentes, Deos ligneos laudabant & lapideos. Quamdiu vaſa fuerunt in idoleo Babylonis, non eſt natus Dominus (videbantur enim rem Dei, ſecundum prauam quidem opinionem, tamen diuino cultui conſecraſſe) poſtquam autem humanis vſibus diuina contaminant, ſtatim pœna ſequitur poſt ſacrilegium. Laudant autem Deos ſuos, inſultantes Deo Iudeæorum, quod illis victoriam tribuentibus, bibebant in vaſis eius. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 5. Danielis in iſta verba. Bibebant vinum ex ſacris vaſis, &c. Vide Ioſephum de pœna ſacrilegij Balthaſaris libro decimo Iudaicæ antiquitatis, cap. 12. quem hoc eodem cap. induxit beatus Hieronymus.*

*Violata vaſa ſacra.*

*2. Machab. 5. & 6.*

LEGAMVS Machabæorum libros, Ioſephi hiſtoriam: ibique ſcriptum reperiemus centeſimo quadrageſimo tertio anno à Seleuco (qui primus regnauit in Syria poſt Alexandrum) ingreſſum Antiochum Hieroſolymam, vniuerſa vaſtaſſe, reuerſumque anno tertio, in templo poſuiſſe ſtatuam Iouis, & vſque ad Iudam Machabæum, id eſt, vſque ad annum centeſimum quadrageſimum octauum, per annos vaſtitatis Hieruſalem ſex, contaminationis autem templi tres, duo millia trecentos dies; & tres menſes eſſe completos, poſt quos templum purgatum eſt. Cum autem Iudas Machabæus templum repurgaſſet, & duces Antiochi ſuperaſſet, id Antiochus audiens, qui contra principem principum ſurrexerat Dominum dominantium, & regem regum & inſuper in Elimaide (quæ regio Perſarum eſt) templum Dianæ ſpoliare cupiens, quod habebat precioſa donaria, & ibi quoq; amiſſo exercitu ſine manibus contritus eſt, id eſt, triſtitiæ morbo perijt. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 8. Danielis.*

*2. Machab. 10.*

*Antiochus triſtitiæ morbo perijt.*

*2. Machab. 5.*

ANTIOCHVS Epiphanes frater Seleuci ad extremum contra Iudæos dimicans, capta Iudæa ingreſſus eſt Hieroſolymam, & in templo Dei ſimulachrum Iouis Olympij ſtatuit: & vſque ad fortitudinem cœli, id eſt, filios Iſrael, qui angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam ſuam, ita vt de ſanctis plurimos idololatriæ ſubijceret, & velut ſtellas cœli conculcaret pedibus ſuis. Erectus contra Deum, & ſanctos illius perſequutus eſt: & tulit ἐνδελεχισμὸν, id eſt, iuge ſacrificium, quod mane offerebatur & veſpere, & polluit & deiecit locum ſanctificationis eius: & hoc non ſua virtute, ſed propter peccata populi. Atque ita factum eſt vt veritas proſterneretur in terram: & cultu idolorum florente, Dei religio conquieſceret. *Tom. 4. libr. 1. Com. in cap. 8. Danielis, Ibidem.*

*Antiochus violauit loca ſancta.*

ANTIOCHVS volens templum Dianæ ſpoliare (quod infinita donaria habebat) fugatus, à barbaris eſt, qui mira veneratione illud phanum ſuſpiciebant: & mortuus ex mærore conſumptus in Tapes oppido Perſidis. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 11. Danielis, ibidem iterata eſt eius rei mentiò.*

*Polybius & Diodorus ſic narrant in bibliothecarū hiſtorijs.*

IAM & Aeyptius Serapis Chriſtianus eſt factus. *Tom. c. epiſtola 7. ad Lætam, cap. 2. intelligit Aegyptios, qui Serapin, ſeu Apin bouem colebant, Chriſtianos eſſe factos, vel potius templum eius in Eccleſiam Chriſti conuerſum.*

*Templa idolorum in templa Chriſti conuerſa.*

## *Articulus XI. De habitu ſeu veſtitu Eccleſiaſtico. Diaconos vti Dalmatica & alba ſeu Camiſia.*

NEPOTIANVS morti vicinus apprehenſa auunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua vtebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſsimo mihi, ętate patri, fratri Hieronymo collegio, &c. *Tom. 1. epiſt. 3. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani ca. 9. Intelligit capſulam ſiue planetam, qua ipſe presbyter in tremendis ſacrificijs fuit vſus.*

*Tunica ſacrificij.*

QVAE ſunt rogo inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem; ſi Epiſcopus, preſbyter & diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint? Cauete clerici, cauete monachi, viduæ & virgines: periclitamini, niſi ſordidas vos atque pannoſas vulgus aſpexerit. *Tom. 2. lib. 1. Dialogorum aduerſus Pelagianos, cap. 9.*

*Candida veſtis Eccleſiaſticorum in ſacrificijs.*

LOQVITVR de albis tam caſulis, quam camiſijs quorum in adminiſtratione ſacrificij Miſſæ vſus eſt. *Vide Tom. 3. Epiſtola 128. tota ad Fabiolam de veſtitu ſacerdotali, vbi veſtes veterum ſacerdotum ſigillatim & myſticè omnes explicantur.*

VESTES pullas æquè deuita vt candidas. Ornatus vt ſordes, pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non abſq; amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt. Alioquin ridiculum & plenum decoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium, orarium non habeas, gloriari. *Tom. 1. Epiſtola 2. ad Nepotianum, cap. 11.*

*Lineis veſtibus & orario vſi Eccleſiaſtici.*

INTER cætera quæ ſacerdotibus pręcipit ſermo Dominicus, hoc quoq; obſeruandū iubet, vt in ipſis portis interioris atrij, veſtibus, id eſt, ſtolis lineis induantur: nec vtantur laneis indumentis, tam in portis atrij interioris, quā extrinſecus: hoc eſt in adytis ſanctiſq; ſanctorum. Vittæ quoq; ſiue cidares lineæ ſint in capitibus eorum, & fœminalia linea in lumbis. Quodque ſequitur iuxta LXX. Et non accingentur violenter: pro quo Aquila & Symmachus tranſtulerunt, in ſudore, &c. Et quia ſemel præceperat quibus veſtibus vti deberent ſacerdotes, quando intrinſecus in miniſte

*Stolis lineis Eccleſiaſtici induuntur.*

rijs eſſent, rurſum iubet vt egredientes, in Gazophylacijs ſiue in exedris ſanctorum, exuant ſe priſtinis veſtibus,& induantur alijs: ne ſi ſanctas veſtes habuerint, ſanctificent populum foris poſitum, qui necdum fuerit ſanctificatus, nec ſe præparauerit in ſanctificationem templi, vt ſit Domini Nazaræus. Per quæ diſcimus, non quotidianis & quibuslibet pro vſu vitæ communis pollutis veſtibus, nos ingredi debere in ſancta ſanctorum, ſed munda conſcientia & mundis veſtibus tenere Domini ſacramenta. Quod autem ſequitur: Caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut ſacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis nos eſſe debere: nec rurſum comam demittere, quod propriè eſt luxurioſorum, barbarorumque & militantium, ſed vt honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur. Pro quo dixere LXX. Capita ſua non radent,& comas ſuas ad preſſum non tondebunt: ſed operientes operient capita ſua. Iuxta quod diſcimus nec caluitium nouacula eſſe faciendum: nec ita ad preſſum tondendum caput, vt raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos demittendos, vt operta ſit cutis. Vel certè ſacerdotes ſemper ſua capita operire debent, iuxta illud Vergilianum: Purpureo velare comas adopertus amictu. Veſtibus lineis vtuntur ſacerdotes Aegyptij, non ſolum intrinſecus, ſed & extrinſecus. Porrò religio diuina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in vſu vitaque communi. Fœminalia rectè aſſumuntur, vt honeſtas decoque ſeruetur: ne ſcilicet aſcendentes altaris gradus,& in miniſterio diſcurrentes, reuelent turpitudinem. Raſa capita habet, ſuperſtitio gentilis. *Vide hic de ſanctis indumentis & veſtimentis ſpiritualibus. Remittit nos ad librum à ſe editum de ſacerdotalibus veſtibus, in quo interpretatur cap. 28. Exodi. Vide Tomo tertio, Epiſtola 128. tota ad Fabiolam, de veſtitu ſacerdotali, ſuperiora ſumpta ſunt ex Tomo quarto, libro decimotertio, Commentariorum, in cap. 44. Ezechielis.*

*Non quotidianis & pollutis veſtibus ingrediendum in ſancta ſanctorum.*

*An operto capite eſſe debeant ſacerdotes.*

*Alius laicorum alius Eccleſiaſticorum veſtitus.*

Non eſt huius temporis de ſacerdotalibus dicere veſtimentis. Siquidem Pontifex octo habet ſpecies veſtimentorum. Longum eſt nunc dicere de ephod, de tunica. Longum eſt dicere de rationali, de manifeſtationibus, de catenulis, de zona, de fœmoralibus, de fimbrijs, de reſti, de tintinnabulis, quibus virtutibus ſacerdos debeat ingredi templum Domini,& in ſancta ſanctorum. *Tom. 7. Com. in Pſal. 132.*

*Octo veſtimentorum ſpecies habet Pontifex.*

*Articulus XII. Sanctimonialium, virginum, & viduarum conſecrationem & profeſſionem patribus in vſu fuiſſe, eaſdemque veſtibus ſuæ profeſſioni accommodatis indui ſolitas.*

SCIO quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale, ſanctū operuerit caput, &c. *Tom. 1. epiſt. 8. ad Demetriadem, cap. 1.*

*Ad imprecationem Pontificis flammeū virginali capiti impoſitum.*

APPETEBAT ieiuniorum laborem, aſperitatem veſtium, victus continentiam. Legerat enim Domini verba dicentis: Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Stupebat ad conuerſationem Heliæ & Ioannis Baptiſtæ: quorum vterque zona pellicea aſtrinxit & mortificauit lumbos ſuos: alter veniſſe narratur in ſpiritu & virtute Heliæ, præcurſor Domini, in vtero prophetans parentis, & ante diem iudicij iudicis voce laudatus, &c. *Tom. 1. Epiſtola 8. ad Demetriadem, cap. 2.*

*Matth. 11. 4. Reg. 1. Matth. 3.*

OMNEM corporis cultum, & habitum ſecularem quaſi propoſiti ſui impedimenta, proiecit. Prætioſa monilia, & graues cenſibus vniones, ardenteſque gemmæ redduntur ſcrinijs: vili tunica induitur, viliori tegitur pallio: & inſperata auiæ genibus prouoluitur; fletu tantum,& planctibus, quæ eſſet, oſtendit. Obſtupuit ſancta & grauis fœmina, alienum habitum in nepte conſpiciens, mater gaudio ſtabat attonita. *Tomo primo Epiſtola octaua, ad Demetriadem, cap. 3.*

*Habitus virginum.*

*Profeßio virginitatis frequentißima.*

HOC exemplum patronæ: & Dominæ ſecuta eſt clientum turba, atque famularum. Per omnes domos feruebat virginitatis profeſsio, quarum cum impar eſſet in carne condicio, vnum erat præmium. Incerta ſint apud infideles præmia futurorum, plus interim recepiſti virgo, quam obtuliſti. *Ibidem, cap. 3.*

CELLVLA monaſterij, vilis cibus, veſtiſque contempta, & ætas vicina iam morti, breuiſque temporis viaticum carent omni aſſentationis infamia. *Ibidem cap. 4.*

NIHIL prodeſt monachis & ſanctimonialibus vile palliolum, furua tunica, corporis illuuies, & ſimulata paupertas, ſi nominis dignitatem operibus deſtruant. *Tom. 1. Epiſtola 9. ad Saluiam, cap. 2.*

MERETRIX illa in Euangelio baptizata lachrymis ſuis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, ſaluata eſt; non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos; quanto fœdior, tanto pulchrior. Quid facit in facie Chriſtianæ purpuriſſus, & ceruſſa? quorum alterum ruborem genarum, labiorumque; mentitur: alterum candorem oris, & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Quomodo flere poteſt pro peccatis ſuis, quæ lachrymis cutem nudat, & ſulcos ducit in facie? Ornatus iſte non Domini eſt, velamen illud Antichriſti eſt. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoſcit? *Tom. 1. epiſt. 10. ad Furiam, cap. 2.*

*Lucæ 7.*

*Vilis veſtitus docet pœnitentes virgines profeſſas.*

AVT loquendum nobis eſt vt veſtiti ſumus: aut veſtiendum, vt loquimur, quid aliud pollicemur, & aliud oſtendimus? lingua perſonat caſtitatem & totum corpus prefert impudicitiam. *Ibidem cap. 3.*

*Oratio veſtitui reſpondeat.*

SOLENT quædam, cum futuram virginem ſpoſponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in colle, nihil in capite auri ſinere: reuera bono conſilio, ne habere diſcat in tenero, quod poſtea ponere cogatur. *To. 1. epiſtola 12. ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione.*

*Ornamenta ſæculi depoſuit virgo profeſſa.*

CVM primum Aſella hoc propoſitum arripuit, aurum colli ſui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, abſque; parentibus vendidit; & tunicam fuſciorem quam à matre impetrare non poterat, induta: pio negotiationis auſpicio, ſe repente Domino conſecrauit; vt intelligeret vniuerſa cognatio, non poſſe aliud ei extorqueri, quæ iam ſæculum damnaſſet in veſtibus. *Tom. 1. epiſt. 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ.*

*Virgines ſæculum dānabant in veſtibus.*

VIDVAE gentiles ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretioſiſsima grana ſuſpēdere, fragrare muſco mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum ſe caruiſſe lætentur, &c. Noſtra vidua talibus vſa eſt veſtibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret, aurum vſque ad annuli ſignaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quam in marſupijs recondens. *Tom. 1. epiſtola 16. ad Principiam in epitaphio Marcellæ viduæ, cap. 2.*

*Diuerſus veſtitus viduæ gentilis & chriſtianæ, viduæ profeſſæ.*



MVNVSCVLA, quæ mihi tranſmittis, quia velatarum virginum dona ſunt, aliqua in ipſis munuſculis eſſe myſteria demonſtremus. *Tom. 1. epiſtola 20. ad Marcellam de acceptis munuſculis. Vide latius infra epiſtola 48. contra Sabinianum Diaconum virginis ſollicitatorem de antiquitate velandarum virginum.*

*Velatæ virgines.*

ZELOTYPVS eſt Ieſus, non vult videri ab alijs faciem tuam. Excuſes licet atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, indignabitur tamen ſponſus, &c. *Tom. 1. epiſtola 22. cap. 11.*

*Obductum velamen.*

SED ne hoc ipſum tibi iactantiam generet, quod ſæculi iactantiam contempſiſti: ne cogitatio tacita ſubrepat, vt quia in auratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordidis; etſi quando in conuentum fratrum veneris, vel ſororum, humilis ſedeas, ſcabello te cauſeris indignam, abſit vt in pulla veſte, cingulo ſacceo hominibus placere cupias. His enim quotidie pſalmus ille canitur: Dominus diſsipat oſſa hominum ſibi placentium. Sunt quæ cilicijs veſtiuntur, & cullulis, fabrefactis, vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Aliæ virili habitu, veſte mutata, erubeſcunt eſſe quod natæ ſunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies Eunuchinas. *Tom. 1. epiſtola 22. cap. 12.*

*Superbia in monaſticis veſtibus fugienda. Matth. 6.*

*Pſal. 52.*

AT ſcandalizat quempiam veſtis fuſcior. Scandalizet Ioannes, quo inter natos mulierum maior non fuit; qui angelus dictus ipſum quoque Dominum baptizauit; qui camelorum veſtitus tegmine, zona pellicea cingebatur. Cibi diſplicent viliores? nihil eſt vilius locuſtis. Illæ Chriſtianos oculos ſcandalizēt potius, quę purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora oculoſque; depingunt; quarum facies gypſeæ, nimio candore deformes, idola mentiuntur, quibus ſi fortè improuidis lachrymarum ſtilla eruperit, ſulco defluit: quas nec numerus annorum poteſt docere, quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt, quæ denique ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. Vidua noſtra ante moroſius ornabatur, & die tota, quod ſibi deeſſet, quærebat ad ſpeculum. Nunc loquitur confidenter: Nos autem omnes facie reuelata, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. Tunc crines ancillulæ diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex artabatur innoxius: nunc neglectum caput ſcit ſibi tantum ſufficere, quod velatur. Pulla tunica, minus cum humi iacuerit, ſordidatur. Cingulum non auro gemmiſque diſtinctum eſt, ſed laneum, & tota ſimplicitate puriſsimum, & quod magis aſtringere veſtimenta, quam ſcindere. Nos quia ſerica veſte nō vtimur, monachi iudicamur quia ebrij non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus, continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit; ſtatim illud è triuio, impoſtor & græcus eſt. *Tom. 1. epiſtola 23. tota ad Marcellam de ægrotatione Bleſillæ.*

*Matth. 11. Marc. 1.*

*Veſtis vilis & cibus ſanctimonialiū.*

*Diuerſus ornatus virginum nobiliū ſæcularium & virginū ſacrarum.*

INCVLTA veſtis, vilis cibus, neglectum Leæ caput. *Tom. 1. Epiſtola 24. ad Marcellam de exitu Leæ.*

HOCCINE eſt quod mihi monaſterium promittebas? quod, habitu à cæteris matronis ſeparato, tibi quaſi religioſior videbaris? Mens iſta quæ plangit ſericarum veſtium eſt. *Tom. 1. Epiſtola 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ.*

QVIS crederet, vt conſulum pronepos, & Furiani, germinis decus, inter purpuras ſenatorum, furua tunica pullatus incederet, & non erubeſceret oculos ſodalium, vt deridentes ſe derideret? *Tom. 1. epiſt. 26. cap. 2. ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ vxoris.*

*Furna tunica pullatæ ſacræ virgines deridentes derident.*

ILLAE, quæ prius immunditias platearum non poterant ferre, quæ Eunuchorum manibus portabantur, & inæquale ſolum moleſtius tranſcendebant, quibus ſerica veſtis oneri erat, & ſolis calor incendium; nunc ſordidatæ & lugubres, & ſui comparatione ſorficulæ, vel lucernas concinnant, vel ſuccendunt focum, pauimenta verrunt, mundant legumina, holerum faſciculos in feruentem ollam deijciunt, apponunt menſas, calices porrigunt, effundunt cibos, huc illucque; diſcurrunt. Et certè magnus virginum chorus cum illis habitat. *Tom. 1. epiſtola 26. cap. 6.*

*Comparatio diſsimilis virginum ſæcularium & profeſſarum.*

NON debeo ſilentio præterire quantò exultauerit gaudio, quod Paulam neptem ſuam, ex Læta, & Toxotio genitam, imo voto & futuræ virginitatis repromiſsione conceptam, audierat in cunis, & crepitaculis balbutiente lingua, alleluia cantare. In hoc ſolo patriæ deſiderium habuit, vt filium, nurum, neptem, renunciaſſe ſæculo, & Chriſto ſeruire cognoſceret, quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Chriſti flammeo reſeruaturus: æternæ ſe tradens pudicitiæ: ſocrus opera, fide, eleemoſynis ſequitur, & Romæ conatur exprimere, quod illa Hieroſolymis compleuit. *Tom. 1. epiſtola 27. cap. 12.*

*Neptis Chriſti flammeo reſeruatur.*

HVMILITATEM Fabiolæ laudem? ſed maior eſt fidei ardor. Dicam appetitas ſordes, & in condemnationem veſtium ſericarum, plebeium cultum, & ſeruilia indumenta quæſita? plus eſt animum depoſuiſſe, quam cultum. *Tom. 1. epiſtola 30. ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ, cap. 1.*

BONOSVS non conſpicit turritas vrbes: ſed in nouæ ciuitatis cenſu dedit nomen ſuum. Horrent ſacco membra deformia, ſed ſic melius Chriſto obuiam rapietur in nubibus. *Tom. 1. epiſtola 41. ad Ruffinum.*

*Cenſus nouæ ciuitatis.*

VESTIS vilis & pulla animi tacentis eſt indicium. O virgo ſanctimonialis impudica quę impudicè viuis inter laſciuas puellas, & comatos linteatoſque iuuenes, furuarum veſtium puella gradieris. *Tom. 1. Epiſt. 47. de vitando ſuſpecto contubernio.*

*Furua veſtes Nonnarū.*

TV vir bone in ſpelunca illa ſaluatoris venerabili, quaſi quoſdam obſides accipis capillos (virgines enim crines matribus monaſteriorum offerunt deſecandos) ſudariola infœlicis, & cingulum dotale pignus deportas, iurans ei te nullam ſimiliter amaturum. *Tomo primo, Epiſtola 48. ad Sabinianum Diaconum ſollicitatorem virginis ad ſtuprum, cap. 3.*

MORIS eſt in Aegypti & Syriæ monaſterijs, vt tam virgo, quam vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea

*Crines conſecratis virginibus deſecantur. 1. Cor. 11.*

rijs eſſent, rurſum iubet vt egredientes, in Gazophylacijs ſiue in exedris ſanctorum, exuant ſe priſtinis veſtibus, & induantur alijs: ne ſi ſanctas veſtes habuerint, ſanctificent populum foris poſitum, qui necdum fuerit ſanctificatus, nec ſe præparauerit in ſanctificationem templi, vt ſit Domini Nazaræus. Per quæ diſcimus, non quotidianis & quibuslibet pro vſu vitæ communis pollutis veſtibus, nos ingredi debere in ſancta ſanctorum, ſed munda conſcientia & mundis veſtibus tenere Domini ſacramenta. Quod autem ſequitur: Caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut ſacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis nos eſſe debere: nec rurſum comam demittere, quod propriè eſt luxurioſorum, barbarorumque & militantium, ſed vt honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur. Pro quo dixere LXX. Capita ſua non radent, & comas ſuas ad preſſum non tondebunt: ſed operientes operient capita ſua. Iuxta quod diſcimus nec caluitium nouacula eſſe faciendum: nec ita ad preſſum tondendum caput, vt raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos demittendos, vt operta ſit cutis. Vel certè ſacerdotes ſemper ſua capita operire debent, iuxta illud Vergilianum: Purpureo velare comas adopertus amictu. Veſtibus lineis vtuntur ſacerdotes Aegyptij, non ſolum intrinſecus, ſed & extrinſecus. Porrò religio diuina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in vſu vitaque communi. Fœminalia rectè aſſumuntur, vt honeſtas decoque ſeruetur: ne ſcilicet aſcendentes altaris gradus, & in miniſterio diſcurrentes, reuelent turpitudinem. Raſa capita habet, ſuperſtitio gentilis. *Vide hic de ſanctis indumentis & veſtimentis ſpiritualibus. Remittit nos ad librum à ſe editum de ſacerdotalibus veſtibus, in quo interpretatur cap. 28. Exodi. Vide Tomo tertio, Epiſtola 128. tota ad Fabiolam, de veſtitu ſacerdotali; ſuperiora ſumpta ſunt ex Tomo quarto, libro decimotertio, Commentariorum, in cap. 44. Ezechielis.*

*Non quotidianis & pollutis veſtibus ingrediendum in ſancta ſanctorum.*

*An operto capite eſſe debeant ſacerdotes.*

*Alius laicorum alius Eccleſiaſticorum veſtitus.*

NON eſt huius temporis de ſacerdotalibus dicere veſtimentis. Siquidem Pontifex octo habet ſpecies veſtimentorum. Longum eſt nunc dicere de ephod, de tunica. Longum eſt dicere de rationali, de manifeſtationibus, de catenulis, de zona, de fœmoralibus, de fimbrijs, de reti, de tintinnabulis, quibus virtutibus ſacerdos debeat ingredi templum Domini, & in ſancta ſanctorum. *Tom 7. Com. in Pſal. 132.*

*Octo veſtimentorum ſpecies habet Pontifex.*

## *Articulus XII. Sanctimonialium, virginum, & viduarum conſecrationem & profeſſionem patribus in vſu fuiſſe, eaſdemq; veſtibus ſuæ profeſſioni accommodatis indui ſolitas.*

SCIO quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale, ſanctū operuerit caput, &c. *Tom. 1. epiſt. 8. ad Demetriadem, cap. 1.*

*Ad imprecationem Pontificis flammeum virginali capiti impoſitum.*

APPETEBAT ieiuniorum laborem, aſperitatem veſtium, victus continentiam. Legerat enim Domini verba dicentis: Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Stupebat ad conuerſationem Heliæ & Ioannis Baptiſtæ: quorum vterque zona pellicea aſtrinxit & mortificauit lumbos ſuos: alter veniſſe narratur in ſpiritu & virtute Heliæ, præcurſor Domini, in vtero prophetans parentis, & ante diem iudicij iudicis voce laudatus, &c. *Tom. 1. Epiſtola 8. ad Demetriadem, cap. 2.*

*Matth 11. 4. Reg. 1. Matth 3.*

OMNEM corporis cultum, & habitum ſecularem quaſi propoſiti ſui impedimenta, proiecit. Prætioſa monilia, & graues cenſibus vniones, ardenteſque gemmæ redduntur ſcrinijs: vili tunica induitur, viliori tegitur pallio: & inſperata auiæ genibus prouoluitur; fletu tantum, & planctibus, quæ eſſet, oſtendit. Obſtupuit ſancta & grauis fœmina, alienum habitum in nepte conſpiciens, mater gaudio ſtabat attonita. *Tomo primo Epiſtola octaua, ad Demetriadem, cap. 3.*

*Habitus virginum.*

*Profeßio virginitatis frequentißima.*

HOC exemplum patronæ: & Dominæ ſecuta eſt clientum turba, atque famularum. Per omnes domos feruebat virginitatis profeſsio, quarum cum impar eſſet in carne condicio, vnum erat præmium. Incerta ſint apud infideles præmia futurorum, plus interim recepiſti virgo, quam obtuliſti. *Ibidem, cap. 3.*

CELLVLA monaſterij, vilis cibus, veſtiſque contempta, & ætas vicina iam morti, breuiſque temporis viaticum carent omni aſſentationis infamia. *Ibidem cap. 4.*

NIHIL prodeſt monachis & ſanctimonialibus vile palliolum, furua tunica, corporis illuuies, & ſimulata paupertas, ſi nominis dignitatem operibus deſtruant. *Tom. 1. Epiſtola 9. ad Saluiam, cap. 2.*

MERETRIX illa in Euangelio baptizata lachrymis ſuis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, ſaluata eſt; non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos; quanto fœdior, tanto pulchrior. Quid facit in facie Chriſtianæ purpuriſſus, & ceruſſa? quorum alterum ruborem genarum, labiorumq; mentitur: alterum candorem oris, & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Quomodo flere poteſt pro peccatis ſuis, quæ lachrymis cutem nudat, & ſulcos ducit in facie? Ornatus iſte non Domini eſt, velamen illud Antichriſti eſt. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoſcit? *Tom. 1. epiſt. 10. ad Furiam, cap. 2.*

*Lucæ 7.*

*Vilis veſtitus docet pœnitentes virgines profeſſas.*

AVT loquendum nobis eſt vt veſtiti ſumus: aut veſtiendum, vt loquimur, quid aliud pollicemur, & aliud oſtendimus? lingua perſonat caſtitatem, & totum corpus prefert impudicitiam. *Ibidem cap 3.*

*Oratio veſtitui reſpondeat.*

SOLENT quædam, cum futuram virginem ſpoſponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in colle, nihil in capite auri ſinere: reuera bono conſilio, ne habere diſcat in tenero, quod poſtea ponere cogatur. *To. 1. epiſtola 12. ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione.*

*Ornamenta ſæculi deponit virgo profeſſa.*

CVM primum Aſella hoc propoſitum arripuit, aurum colli ſui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, abſq; parentibus vendidit; & tunicam fuſciorem quam à matre impetrare non poterat, induta: pio negotiationis auſpicio, ſe repente Domino conſecrauit; vt intelligeret vniuerſa cognatio, non poſſe aliud ei extorqueri, quæ iam ſæculum damnaſſet in veſtibus. *Tom. 1. epiſt. 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ.*

*Virgines ſæculum damnabant in veſtibus.*

VIDVAE gentiles ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretioſiſsima grana ſuſpēdere, fragrare muſco mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum ſe caruiſſe lætentur, &c. Noſtra vidua talibus vſa eſt veſtibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret, aurum vſque ad annuli ſignaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quam in marſupijs recondens. *Tom. 1. epiſtola 16. ad Principiam in epitaphio Marcellæ viduæ, cap. 2.*



*Diuerſus veſtitus viduæ gentilis & chriſtianæ, viduæ profeſſæ.*

MVNVSCVLA, quæ mihi tranſmittis, quia velatarum virginum dona ſunt, aliqua in ipſis munuſculis eſſe myſteria demonſtremus. *Tom. 1. epiſtola 20. ad Marcellam de acceptis munuſculis. Vide latius infra epiſtola 48. contra Sabinianum Diaconum virginis ſollicitatorem de antiquitate velandarum virginum.*

*Velatæ virgines.*

ZELOTYPVS eſt Ieſus, non vult videri ab alijs faciem tuam. Excuſes licet atque cauſeris, obducto velamine ora contexi, indignabitur tamen ſponſus, &c. *Tom. 1. epiſtola 22. cap. 11.*

*Obductum velamen.*

SED ne hoc ipſum tibi iactantiam generet, quod ſæculi iactantiam contempſiſti: ne cogitatio tacita ſubrepat, vt quia in auratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordidis; etſi quando in conuentum fratrum veneris, vel ſororum, humilis ſedeas, ſcabello te cauſeris indignam, abſit vt in pulla veſte, cingulo ſacceo hominibus placere cupias. His enim quotidie pſalmus ille canitur: Dominus diſsipat oſſa hominum ſibi placentium. Sunt quæ cilicijs veſtiuntur, & cullulis, fabrefactis, vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Aliæ virili habitu, veſte mutata, erubeſcunt eſſe quod natæ ſunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies Eunuchinas. *Tom. 1. epiſtola 22. cap. 12.*

*Superbia in monaſticis veſtibus fugienda. Matth. 6.*

*Pſal. 52.*

AT ſcandalizat quempiam veſtis fuſcior. Scandalizet Ioannes, quo inter natos mulierum maior non fuit; qui angelus dictus ipſum quoque Dominum baptizauit; qui camelorum veſtitus tegmine, zona pellicea cingebatur. Cibi diſplicent viliores? nihil eſt vilius locuſtis. Illæ Chriſtianos oculos ſcandalizēt potius, quę purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora oculoſq; depingunt; quarum facies gypſeæ, nimio candore deformes, idola mentiuntur, quibus ſi fortè improuidis lachrymarum ſtilla eruperit, ſulco defluit: quas nec numerus annorum poteſt docere, quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt, quæ denique ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. Vidua noſtra ante moroſius ornabatur, & die tota, quod ſibi deeſſet, quærebat ad ſpeculum. Nunc loquitur confidenter: Nos autem omnes facie reuelata, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur. Tunc crines ancillulæ diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex artabatur innoxius: nunc neglectum caput ſcit ſibi tantum ſufficere, quod velatur. Pulla tunica, minus cum humi iacuerit, ſordidatur. Cingulum non auro gemmiſque diſtinctum eſt, ſed laneum, & tota ſimplicitate puriſsimum, & quod magis aſtringere veſtimenta, quam ſcindere. Nos quia ſerica veſte nō vtimur, monachi iudicamur quia ebrij non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus, continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit; ſtatim illud è triuio, impoſtor & græcus eſt. *Tom. 1. epiſtola 23. tota ad Marcellam de ægrotatione Bleſillæ.*

*Matth 11. Marc. 1.*

*Veſtis vilis & cibus ſanctimonialium.*

*Diuerſus ornatus virginum nobilium ſæcularium & virginum ſacrarum.*

INCVLTA veſtis, vilis cibus, neglectum Leæ caput. *Tom. 1. Epiſtola 24. ad Marcellam de exitu Leæ.*

HOCCINE eſt quod mihi monaſterium promittebas? quod, habitu à cæteris matronis ſeparato, tibi quaſi religioſior videbaris? Mens iſta quæ plangit ſericarum veſtium eſt. *Tom. 1. Epiſtola 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ.*

QVIS crederet, vt conſulum pronepos, & Furiani, germinis decus, inter purpuras ſenatorum, furua tunica pullatus incederet, & non erubeſceret oculos ſodalium, vt deridentes ſe derideret? *Tom. 1. epiſt. 26. cap. 2. ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ vxoris.*

*Furna tunica pullatæ ſacræ virgines deridentes derident.*

ILLAE, quæ prius immunditias platearum non poterant ferre, quæ Eunuchorum manibus portabantur, & inæquale ſolum moleſtius tranſcendebant, quibus ſerica veſtis oneri erat, & ſolis calor incendium; nunc ſordidatæ & lugubres, & ſui comparatione forficulæ, vel lucernas concinnant, vel ſuccendunt focum, pauimenta verrunt, mundant legumina, holerum faſciculos in feruentem ollam deijciunt, apponunt menſas, calices porrigunt, effundunt cibos, huc illucq; diſcurrunt. Et certè magnus virginum chorus cum illis habitat. *Tom. 1. epiſtola 26. cap. 6.*

*Comparatio diſsimilis virginum ſæcularium & profeſſarum.*

NON debeo ſilentio præterire quanto exultauerit gaudio, quod Paulam neptem ſuam, ex Læta, & Toxotio genitam, imo voto & futuræ virginitatis repromiſsione conceptam, audierat in cunis, & crepitaculis balbutiente lingua, alleluia cantare. In hoc ſolo patriæ deſiderium habuit, vt filium, nurum, neptem, renunciaſſe ſæculo, & Chriſto ſeruire cognoſceret, quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Chriſti flammeo reſeruaturus: æternæ ſe tradens pudicitiæ: ſocrus opera, fide, eleemoſynis ſequitur, & Romæ conatur exprimere, quod illa Hieroſolymis compleuit. *Tom. 1. epiſtola 27. cap. 12.*

*Neptis Chriſti flammeo reſeruatur.*

HVMILITATEM Fabiolæ laudem? ſed maior eſt fidei ardor. Dicam appetitas ſordes, & in condemnationem veſtium ſericarum, plebeium cultum, & ſeruilia indumenta quæſita? plus eſt animum depoſuiſſe, quam cultum. *Tom. 1. epiſtola 30. ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ, cap. 1.*

BONOSVS non conſpicit turritas vrbes: ſed in nouæ ciuitatis cenſu dedit nomen ſuum. Horrent ſacco membra deformia, ſed ſic melius Chriſto obuiam rapietur in nubibus. *Tom. 1. epiſtola 41. ad Ruffinum.*

*Cenſus nouæ ciuitatis.*

VESTIS vilis & pulla animi tacentis eſt indicium. O virgo ſanctimonialis impudica quę impudicè viuis inter laſciuas puellas, & comatos linteatoſque iuuenes, furuarum veſtium puella gradieris. *Tom. 1. Epiſt. 47. de vitando ſuſpecto contubernio.*

*Furua veſtes Nonnarum*

TV vir bone in ſpelunca illa ſaluatoris venerabili, quaſi quoſdam obſides accipis capillos (virgines enim crines matribus monaſteriorum offerunt deſecandos) ſudariola infœlicis, & cingulum dotale pignus deportas, iurans ei te nullam ſimiliter amaturum. *Tomo primo, Epiſtola 48. ad Sabinianum Diaconum ſollicitatorem virginis ad ſtuprum, cap. 3.*

MORIS eſt in Aegypti & Syriæ monaſterijs, vt tam virgo, quam vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea

*Crines conſecratis virginibus deſecantur. 1. Cor. 11.*

contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato, nec hoc quiſquam, præter tondentes, nouit, & tonſas, niſi quod, quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplici de cauſa de conſuetudine verſum eſt in naturã; vel quia lauacrum nõ adeunt; vel quia oleum nec capite, nec ore norunt; ne à paruis animalibus, quæ inter cutem & crines gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur. *Ibidem, cap.3.*

*1. Cor. 11.*

*Duæ cauſæ cur crines abradantur virginibus.*

POST Apoſtoli Petri Baſilicam, in qua Chriſti flammeo conſecrata eſt, poſt crucis & reſurrectionis & aſcenſionis Dominicæ ſacramenta, in quibus rurſum ſe in monaſterio victuram ſpoponderat, audes crinem accipere tecum noctibus dormituræ, quem Chriſto meſſuerat in ſpelunca. *Ibidem, cap.3.*

*Virgo Chriſti flammeo conſecrata.*

O Antoni, inquit, moriturus Paulus Eremita, pallium quod tibi Athanaſius Epiſcopus dedit, ad inuoluendum corpuſculum meum defer. *Tom 1. in vita Pauli eremitæ.*

ANTONIVS ne quid pius hæres ex inteſtati bonis non poſſideret, tunicam eius ſibi vindicauit, quam in ſportarum modum de palmæ folijs ipſe, ſibi contexuerat, ac ſic ad monaſterium reuerſus, diſcipulis cuncta ex ordine replicauit, diebuſque ſolennibus paſchæ & pentecoſtes ſemper Pauli tunica veſtitus eſt. *Ibidem in vita Pauli.*

*Antonius Pauli tunica feſtis ſolennibus induitur.*

HILARION ſacco tantum membra coopertus & pelliceum habens ependyten, quem illi proficiſcenti beatus Antonius dederat, ſagumque ruſticum inter mare & paludem, vaſta & terribili ſolitudine fruebatur. *Tom.1. in vita Hilarionis.*

HILARION capillum ſemel in anno die paſchæ totondit. Saccum, quo ſemel fuerat indutus nunquam lauit: ſuperfluum eſſe dicens, mundicias in cilicio quærere. *Ibidem in vita Hilarionis.*

*Paupertas Hilarionis.*

HILARION quaſi teſtamenti vice breui manu propria ſcripſit Epiſtolam, diuitias Heſychio derelinquens, Euangelium ſcilicet & tunicam ſacceam, cucullam & palliolum. Veſtitus enim erat tunica cilicina, & cucullа & ſago ruſtico. *Tõ. 1. in vita Hilarionis.*

IACOBVS frater Domini nunquam attonſus eſt, nec vnctus vnguento, nec vſus balneo. Veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſoluſque ingrediebatur templum, &c. *Tom.1. libro de viris Illuſtribus Iacobo.*

*Veſtibus lineis vſus Iacobus.*

HERI Catechumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Eccleſia: veſpere in in circo, mane in altario: dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator. *Tom.2. epiſtola 83. ad Oceanum, de conſecratione virginum vide 48. Epiſtola & loco ſupranotato. Vide de vnctione & conſecratione plura Tom.5. libr.2. Commentariorum, in cap.3 Habacuc.*

*Virginum conſecrator.*

## *Articulus XIII. Quare quibuſdam diebus lugeat Eccleſia, & alijs lætetur.*

VOCATE cœtum ſiue curationem: vt per pœnitentiam peccata noſtra curemus. Pro cœtu in hebraico legitur Aſara, quod Symmachus, ſynodum: Aquila diem collectæ interpretatus eſt. Cum omnes tam ſenes quam iuuenes in Eccleſia fuerint congregati, & de diſpari grege ſacerdotum & populi, ſenum & habitatorum terræ vnus grex fuerit effectus. Clamate, inquit, ad Dominum in cordibus veſtris, & dicite, ah, ah, ah, diei, &c. *Tom.5. Com. in cap.1. Ioelis.*

*Dies luctus & pœnitentiæ in Eccleſia.*

VOX ſacerdotum & populi ad Dominum clamantis inducitur, vt tertiò dicant heu mihi: credo quia propter peccata quæ fecerunt ſanctam offenderant trinitatem. *Ibidem.*

HIS qui in Eccleſia commorantur: pro qualitate meritorum, frumentum ſpiritus, & hordeum literæ, ſi peccauerint, tollitur, vt patiantur famem ſermonis Dei. Cumque fuerint alimenta ſublata, conſequenter gaudium & lætitia tollitur de domo Dei: vt qui audiebant ante, Apoſtolum dicentem: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: poſtea Dominum audiant ad pœnitentiam prouocantem. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Tom.5. Com. in cap.1. Ioelis.*

*Amos 8.*

*Gaudium & lætitia quandoq; tolluntur de Eccleſia.*

*Matth. 5.*

TV autem cum ieiunas vnge caput tuum.] Iuxta ritum prouinciæ Palæſtinæ loquitur, vbi diebus feſtis ſolent vngere capita ſua. Præcipit igitur, vt quando ieiunamus, lætos & feſtiuos nos eſſe monſtremus. Multi legentes illud pſalmiſtę: Oleum peccatoris non impiuguet, caput meum è contrariò eſſe volunt bonum oleum: de quo alibi dicitur: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus eius. Et id præcipi, vt exercentes virtutes, ſpirituali oleo principale cordis noſtri vngere debeamus. *Tom.6. lib.1. Com. in cap.6. Matthæi.*

*In Palæſtina diebus feſtis, vngebant capita ſua.*

*Pſal. 140.*

PERMANSIT Epheſi vſque ad pentecoſten: tempus lætitiæ atq; victoriæ, quo non flectimus genua, nec curuamur in terram, ſed Domino reſurgentes ad cœlorum alta ſuſtollimur. *Tom.6. Proœmio Com. in Epiſtolam ad Epheſios.*

*Tempus Pentecoſtes eſt tempus lætitiæ & victoriæ, tempus quadrageſimæ tempus lugubre.*

## *Articulus XIV. Diem Dominicum à Chriſtianis venerandum, obſeruandum & honorandum eſſe.*

COENOBITAE (monachorum eſt tertium genus) Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore, completis opuſculis, faciunt. *Tom.1. epiſtola 22. ad Euſtochium, cap.15.*

DIE Dominico tantum (in Bethlehemitico monaſterio virginum à Paula extructo) ad Eccleſiam procedebant, ex cuius habitabant latere, & vnum quodque agmen matrem propriam ſequebatur. *Tom.1. epiſt.27. ad Euſtochium, cap.10.*

*Exercitia pietatis in die Dominica.*

MALEDICTVS, ait ſanctus Hilarion, qui prius refectionem corporis, quam animæ quæſierit. Hoc die Dominico prius oremus, pſallamus, reddamus Domino officium, & ſic ad vineam poſtea properabitis. Completo itaque miniſterio, in ſublimi ſtans benedixit vineæ, & ſuas ad paſcendum dimiſit oues. *Tom.1. in vita Hilarionis.*

MELITO Aſianus, Sardenſis Epiſcopus de die Dominico librum vnum ſcripſit. *Tom.1. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt. in Melitone.*

DE Vigilijs & pernoctationibus in baſilicis martyrum ſæpè celebrandis, in altera Epiſtola, quam fermè ante biennium ſancto Ripario presbytero ſcripſeram, reſpondi breuiter. Quod ſi ideo eas exiſtimas reſpuendas, ne ſæpè videamur paſcha celebrare, non ſolennes poſt annum exercere vigilias: ergo & die Dominico nõ ſunt Chriſto offerenda ſacrificia; ne reſurrectionis Domini crebro paſcha celebramus; & incipiamus non vnum paſcha habere, ſed plurima. *Tom.2. aduerſus Vigilantium, cap.4.*

*Die Dominico Chriſto offerebantur ſacrificia.*

DVM eſſem Romæ puer & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdẽ ætatis & propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum & martyrum circuire: crebroque cryptas ingredi. *Tom.4. lib.12. Com. in cap.40. Ezechielis.*

*Diebus Dominicis cryptas ingrediebantur.*





## *Articulus XV. Solennium feſtorum ſtata tempora etiam olim fuiſſe.*

PASCHA Chriſti cum amaritudinibus manducatur. Feſtus eſt dies, & natalis beati Petri, feſtiuius eſt ſolito condiendus. *Tom.1. Epiſtola 19. ad Euſtochium.*

*Exod. 12. Paſcha Chriſti.*

*Natalis Petri.*

PAVLA, exceptis diebus feſtis, vix oleum in cibo capiebat. *Tom.1. Epiſtola 27. cap.8.*

VIRGO in Apoſtoli Petri baſilica flammeo ſiue velo conſecrata eſt. *Tomo primo, Epiſtola 40. cap.3.*

*Baſilica D. Petri.*

DIEBVS ſolennibus Paſchæ & Pentecoſtes Antonius ſemper Pauli eremitæ tunica in modum ſportarum de palmæ folijs contexta veſtitus eſt. *Tom.1. in vita Pauli eremitæ.*

*Dies ſolennis Paſchæ & Pentecoſtes.*

HILARIONI tota voluntas erat in Eccleſiæ congregatione. *Tom.1. in vita Hilarionis.*

HILARION capillos ſemel in anno in die Paſchæ totondit. *Ibidem.*

POLYCARPVS propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium, Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos, reduxit ad fidem. *Tom. 1. de viris Illuſtribus in Polycarpo.*

*Quæſtiones de die Paſchatis.*

MELITO Aſianus Sardenſis Epiſcopus de Paſcha duos libros ſcripſit. *Ibidem in Melitone.*

VICTOR tertiuſdecimus Romanæ vrbis Epiſcopus ſuper quæſtione Paſchæ ſcripſit Opuſculum.

FERVNTVR Irenæi, & aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum, de quæſtione Paſchæ Epiſtolæ, in quibus commonet eum, non facilè debere vnitatem collegij ſcindere. Si quidem Victor multos Aſiæ & orientis Epiſcopos, qui à decimaquarta luna cum Iudæis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat. In qua ſententia ij, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. *Tom.1. in Catalogo in Irenæo.*

CLEMENTIS Alexandrini de Paſcha liber vnus. *Ibidem in Clemente.*

THEOPHILVS Cæſarienſis Epiſcopus aduerſum eos, qui decimaquarta luna cum Iudæis paſcha celebrabant, cum cæteris Epiſcopis Synodicam valde vtilem compoſuit Epiſtolam. *Tom. 1. in Catalogo in Theophilo.*

BACCHYLVS Corinthi Epiſcopus de Paſcha, ex omnium, qui in Achaia erant, Epiſcoporum, perſona, elegantem librum ſcripſit. *Ibidem in Bacchylo.*

POLYCRATES Epheſiorum Epiſcopus cum cæteris Epiſcopis Aſiæ, qui iuxta quandam veterem conſuetudinem cum Iudæis decimaquarta luna Paſcha celebrabant ſcripſit aduerſus Victorem Epiſcopum Romanum Epiſtolam ſynodicam, in qua docet ſe Apoſtoli Ioannis & veterũ autoritatẽ ſequi, de qua hæc pauca excerpſimus: Nos igitur inuiolabilem ſeruamus diem, neque addentes aliquid, neque dementes. Etenim in Aſia elementa maxima dormierunt, quæ reſurgent in die Domini, quando venturus eſt de cœlis in maieſtate ſua, & ſuſcitaturus omnes ſanctos, Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines ſeruierunt, & aliam eius filiam, quę ſpiritu ſancto plena, in Epheſo occubuit. Sed & Iohannes, qui ſuper pectus Domini recubuit, & pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans; martyr & doctor in Epheſo dormiuit, & Polycarpus Epiſcopus, & martyr, Smyrnæ cubat. Thraſeas quoque Epiſcopus & martyr de Eumenia in eadem Smyrna requieſcit. Quid neceſſe eſt Sagaris Epiſcopi, & martyris recordari, qui in Laodicea ſoporatur; & Papirij beati, & Melitonis in ſancto ſpiritu Eunuchi, qui ſemper Domino ſeruiens, poſitus eſt in Sardis, & expectat in aduentu eius reſurrectionem? Hi omnes obſeruauerunt Paſchæ diem decimaquarta luna, ab Euangelica traditione in nullam partem declinantes, & Eccleſiaſticum ſequentes canonem. Ego quoque minimus omnium veſtrum Polycrates, ſecundum doctrinam propinquorum meorum, quos & ſequutus ſum (ſeptem ſiquidem fuerunt propinqui mei Epiſcopi, & ego octauus) ſemper paſcha celebraui, quando populus Iudęorum azyma faciebat. Itaque fratres, ſexagintaquinque annos ætatis meæ natus in Domino, & à multis ex toto orbe fratribus eruditus, peragrata omni ſcriptura, non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim maiores mei: Obedire Deo magis oportet, quam hominibus. Hæc propterea poſui, vt ingenium & authoritatem viri ex paruo opuſculo demonſtrarem. *Tomo primo in Cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum in Polycrate.*

*Controuerſia quo die Paſcha celebrandum.*

*Acta. 21. Ioan. 21.*

THEOPHILI Epiſtola in quatuor partes eſt diuiſa. In prima credentes hortatur ad Dominicum paſcha celebrandum. *Tom.2. epiſt.78. ad Pammachium & Marcellam.*

SYSINNIVS frater noſter multas ſanctorum fratrum ac ſororum de veſtra prouincia ad me detulit quæſtiones; ad quas vſque ad diem Epiphaniorum largiſſimo ſpatio cogitaui reſpondere: *Tom.3 epiſtola 152. ad Minerium & Alexandrum.*

*Dies Epiphaniæ.*

SI vmbræ & exemplaribus ſeruiebat iuxta carnem Iſrahel: & omnis eorum ſolennitas futurorum erat typus: quare non & anni præſentis temporis, futura tempora præfigurant? De quibus & in alio loco legimus: Quid facitis in diebus conuentus, & in diebus feſtiuitatis Domini? *Tom.4. lib.6. Com. in cap.16. Eſaiæ.*

*Solennitates Iudæorum noſtrarum ſolennitatum typus.*

*Oſee. 9.*

QVINTVM diem menſis adiungit, vt ſignificet baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cœli, & Epiphaniorum dies huc uſque venerabilis eſt: non vt quidam putant natalis in carne: Tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit: Quod huic tempori congruit, quando dictum eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Tom. 4. lib.1. Com. in cap.1. Ezechielis.*

*Epiphaniæ dies.*

*Natalis Chriſti.*

*Matth. 3.*

SANCTVARIA mea ſiue ſancta contempſiſtis, & ſabbatha mea polluiſtis: vt non diſcerneretis inter ſanctum & pollutum: inter decretum religioni diem, otiumque ſabbathi ad culturam Dei, & cæteros dies, quibus operari & ſeruire neceſsitatibus carnis lege permiſſum eſt. *Tom.4. lib. 7. Com. in cap.22. Ezechielis.*

*Inter dies feſtos & prophanos eſt diſtinguendum.*

QVIA apud hebræos menſis, qui apud nos Kalendis & nonis idibuſque deuoluitur, ſecundum lunæ curſum ſupputatur (vnde & græco vocabulo μήνη, id eſt, luna à menſe nomen accepit) hoc dictum eſt, in viceſimoſeptimo lunæ die parum quid luminis remanſiſſe, ne penitus ira eius abſque miſericordia ſit. Quando autem totus lunæ orbis lumine impletur, tunc & paſcha celebratur, & omnes maximæ ſolennitates. *To.4. lib.9. Cõ. in cap.29. Ezechielis.*

*In plenilunio Paſcha & omnes maximæ ſolennitates celebrantur.*

INTER cætera liberalitatis ſuæ munera in po-

*Multiplicabuntur ſolennitates noui teſtamenti.*

pulum noui teſtamenti, & hoc erit numerandum, quod multiplicabit eum ſolennitatibus eius. Quando comedimus azyma ſynceritatis & veritatis, & agni carnibus veſcimur, & cruore potamur, & ſeptem hebdomadibus, & tabernaculis huius ſæculi Dominica feſta celebramus: vt ciuitates quondam deſertæ, plenæ fiant gregibus hominum, & hac ratione cognoſcant, quod ipſe ſit Dominus, qui cuncta præſtiterit. *Tom. 4. lib. 11. Commentariorum, in cap. 36. Ezechielis, & in fine, cap. 36. ibidem repetit de futuris ſolennitatibus Eccleſiæ noui teſtamenti. Vide & lib. 11. in cap. 39. Ezechielis, fol. 452. fac. 1.*

*Solennitates Dei.*

LEGES, inquit, meas & præcepta mea in omnibus ſolennitatibus meis cuſtodient: vt ſciant quomodo Chriſtus ſit nobis Paſcha immolatus: quomodo ſeptem hebdomadas implere debeamus gaudij atque lætitiæ, humiliare animas noſtras ieiunio: clangoremque tubarum intelligere, & Scenophegias ſpirituales, & in quibus dicimus: Aduena ſum ego & peregrinus ſicut omnes patres mei. *Pſal. 38.* Hæ ſunt veræ ſolennitates Dei, quas conſequentius quis Pentateuchum diſſerens interpretabitur. Prima virtus eſt ſacerdotis, non tantum docere, quæ noueris, ſed omnnes Dei feſtiuitates cuſtodire, vt poſsit alijs cuſtodienda præcipere, quæ & ipſe obſeruauerit. *Tomo quarto, libro. 13. Commentariorum, in cap. 44. Ezechielis.*

*Coloſſ. 2. Quæ ſint ſolennitates ſpirituales.*

ESSE ſolennitates ſpirituales, & Apoſtolus docet: Ne ergo quis vos iudicet in cibo & potu, aut in parte ſolennitatis, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt vmbra futurorum. Et ſic per Eſaiam loquitur Deus. Neomenias veſtras & ſabbatha veſtra, & diem magnum non ſuſcipio: ieiunium & ferias & neomenias, & ſolennitates veſtras odit anima mea. Manifeſtum eſt, quod qui ſolennitates oderit Iudæorum, ſuas diligat: ſabbathum videlicet, quod relictum eſt populo Dei: vt videamus quæ à Deo donata ſunt nobis: & loquamur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus: ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. *1. Ioan 5.* In præſenti enim ſæculo, quod in maligno poſitum eſt, dies bonos videre non poſſumus, ſed in nouo: de quibus diebus in carmine Moſaico ſpiritus ſanctus canit: *Deut. 32.* Memento dierum antiquitatis: intellige annos generationis generationum. De quibus & ſanctus loquebatur in Pſalmo: *Pſal 76.* Nocte in corde meo meditabar. Et iterum: Et annos æternos in mente habui & meditatus ſum. Qui iſtum non ſuſcipit intellectum, reſpondeat quomodo illud poſsit exponere, quod Eſaias de futuro & nouo ſæculo vaticinatur. *Eſaiæ 66.* Erit menſis ex menſe, Sabbathum ex ſabbatho & veniet omnis caro adorare Dominum, quando veri adoratores nequaquam adorabunt in monte Garizim, *Ioan. 4.* nec in Hieruſalem, ſed in ſpiritu & veritate: quando erit cœlum nouum & terra noua: *Eſaiæ 63.* & liberabitur omnis creatura à ſeruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei: *Rom. 8.* & ſol ſepties tantum lumen accipiet, & luna ſoli comparabitur. Acceſsimus enim ad montem Sion, qui interpretatur ſpecula, & ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & ad millia angelorum ſolennitates. De qua ſolennitate loquitur & alius Propheta: Quid facietis in diebus congregationis, & in diebus ſolennitatis Domini? *Oſee. 9.* Hoc eſt illud quod & alibi dicitur. Celebra Iuda feſtiuitates tuas: redde vota tua. *Tomo quarto, libro decimoquarto, Commentariorum, in cap. 14. Ezechielis.*

*Leuit. 25. Num. 10.* *Tubarũ buccinarumque clangor in feſtiuitatibus.*

TVBARVM buccinarumque clangorem, non ſolum in Leuitico & Numerorum libro legimus (in quibus iubetur, vt duas argenteas tubas faciat Moyſes, quibus & in Kalendis & in ſeptimo menſe, prima die menſis, & in iubileo, & in cæteris feſtiuitatibus, & quando ad bella procedunt, canant hi qui officio mancipati ſunt) ſed etiam muros Hiericho ad tubarum clangorem ſcriptum eſt corruiſſe. *Ioſue. 6.* Et Dominus angelum miſſurum ſe eſſe dicit cum clangore tubæ *Matth. 24.* & Apoſtolus reſurrectionem mortuorum ad tubæ ſonitum fieri prædicat. *1. Cor. 15.* Et in Apocalypſi quoque Iohannis legimus, ſeptem angelos accepiſſe tubas ſingulas: quibus per ordinem canentibus, facta ſunt, quæ Scriptura deſcribit. Præcipit ergo nunc ſacerdotibus & magiſtris vt exaltent quaſi tuba vocem ſuam, & impleant illud quod ſcriptum eſt: In montem excelſum aſcende, qui Euangelizas Sion: exalta vocem tuam, qui annuncias Hieruſalem: vt canant tuba in Sion, id eſt, in Eccleſia, quæ interpretatur ſpecula atque ſublimitas. Et in ſancto Dei monte qui Chriſtus eſt: vt conturbentur ſiue confundantur omnes habitatores terræ, & confuſio eos pertrahat ad ſalutem. *Tom. 5. Comment. in cap. 2. Ioelis.*

*2. Paral. 31.*

IN Paralypomenon ſcribitur libro: quod obſidente Sennacherib Hieruſalem, in primo menſe Paſcha facere non potuerunt. Cæſo autem per angelum exercitu eius, & fuga & morte eius nunciata, in ſecundo menſe ſumma feſtiuitate Paſchæ diem celebrarint. *Summa feſtiuitate Paſchæ dies celebratus.* Quod ergo dicit tale eſt: O Iuda, qui regnas in Hieruſalem, noli eſſe ſollicitus, interfecto hoſte tuo in templo Dei ſui: Ecce venit tibi nuncius, monteſque & colles tranſcurrens, & quaſi de ſublimi ſpecula procul nuncians Sennacherib mortuum: vrbem eius imperio liberatam. Celebra feſta, redde vota pronece inimici: quæ pollicitus es Deo: nequaquam vltra pertranſibit per te præuaricator & ἀποστάτης. Totus interijt, id eſt, exercitus, rex & imperium Aſſyriorum penitus conciderunt. Et hoc quidem ſecundum literam. Cæterum iuxta ἀναγωγὴν dicitur ad Eccleſiam, dicitur ad animas Dominum confitentes, quia diabolus, qui te prius populabatur, & grauiſsimo premebat iugo, in idolis & cum idolis, quę fabricatus fuerat, perijt: celebra feſtiuitates tuas, & redde Deo vota tua: canens cum angelis iugiter: nequaquam enim vltra per te tranſibit Belial: de quo dicit & Apoſtolus: *2. Cor. 6.* Quæ communicatio Chriſti & Belial? quia ſubuerſa Niniue totus interijt: Si quando grauiſsima perſequutio fuerit, qualis ſub Valeriano, & Decio, & Maximiniano, & Domini vltio apparuerit in aduerſarijs eius: Dicamus ad Eccleſiam: Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua, &c. Celebra Iuda feſtiuitates tuas.] Quod nunc dicitur huiuſcemodi eſt. O Eccleſiaſte, quia de aduerſariorum tuorũ nomine vltra non ſeminabitur, & virga eorum contrita eſt, & vincula diſsipata ſunt, & venit, qui tibi annunciaret pacem: celebra feſtiuitates tuas, non in vino & epulis (vt carne Iudęi exiſtimant) ſed in ſpiritualibus delicijs, & voluptate torrentis. *Poſt victoriã & triumphũ de hoſtibus celebrat Eccleſia feſtiuitates.* O Iuda redde vota tua: quia nequaquam vltra pertranſient inimici, qui te adducant in vetuſtatem: hoc eſt,



qui te volunt portare imaginẽ veteris hominis. *Hebr. 8.* Quoniam quod vetus eſt ſeneſcit: & quod ſeneſcit, perditioni proximum eſt. Completus eſt mundus, conſumptus eſt aduerſarius: venit tibi Chriſtus, qui prius inſufflauerat in faciem tuam, cùm te de limo fingeret, & poſt reſurrectionem quoq; inſufflans in faciem Apoſtolorum, ait: Accipite ſpiritum ſanctum: ipſe eſt, qui te liberat de tribulatione. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Nahum.*

*Quomodo feſtiuitates celebrandæ ſint.*

QVIA Aggeus interpretatur feſtiuus: omnis qui poteſt feſta celebrare, non in fermento veteris malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis, poteſt Dei recipere ſermonẽ. Habeamus & nos manus mundas, & vocemur ἑορτάζοντες, id eſt, feſta celebrãtes, & ad nos fiet Dei ſermo, proponamus ante oculos noſtros, quia lex ſpiritualis eſt, ſpirituales ſolennitates; de quibus ſcriptum eſt: *Exod. 23.* Tribus temporibus mihi feſta celebrabitis in anno: Solennitatem azymorum cuſtodietis: ſeptem diebus comedetis azyma: ſicut pręcepi tibi in tempore menſis nouorum, in ipſo enim es egreſſus ex Aegypto: Non operibus in cõſpectu meo vacuus: Et ſolennitatem meſsis primitiuorum de operibus tuis, quæcunque ſeminaueris in agro. Et ſolennitatem conſummationis in exitu anni in conſummatione operum tuorũ de agro. Si voluerimus in nobis fieri ſermonem Dei, ſimus Aggei, id eſt, feſta celebrantes, & nõ appareamus in conſpectu Dei vacui: ſeminanteſq; in ſpiritu, de ſpiritu metamus æternam vitam, vt celebremus ſolennitatem primitiuorum de operibus noſtris, quæcunque ſeminauerimus in agro, cui benedixit Dominus. *Spiritualiũ feſtiuitatum intelligentia* Simus quoque Aggei, & per omnem vitam noſtram, vſq; ad cõſummationem anni, id eſt, vſq; ad exitum de ſæculo iſto, celebremus feſta de operibus noſtris, quæ nobis orta ſunt in agro noſtro. *Galat. 6.* Multa ſunt, & non huius temporis, quæ de ſolennitate dicantur: quibus poteſt de omni ſcriptura lector diligens, coaptare intelligentiam ſpiritualem. *Tom. 5. Com. in cap. 1. Aggei.*

*Paſchatis et Pentecoſtes feſta.*

IN illo tempore, ideò ver neceſſarium erit: quia flores apparebunt in terra noſtra, & celebremus Paſcha, & Pentecoſten; in quibus de terrenis tranſeamus ad cæleſtia, & omnes fructus noſtros offeramus Deo. In phaſe enim hyemis finis, veris exordium eſt, & pentecoſte ęſtatis principiũ: quando labores manuum noſtrarum & fructuũ offerimus Deo. De hac æſtate & vere perpetuò iuſtus loquitur ad Dominum: Tu fabricatus es auroram & ſolem: æſtatem & ver tu plaſmaſti. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 14. Zachariæ.*

*Tria feſtã Catholicæ eccleſiæ reſpõdere tribus feſtis veteris teſtamẽti.*

BVCCINATE in Neomenia tuba.] Illi canebant tuba in Paſcha, Pentecoſte, & Scenophegia Nos modo in Eccleſia, licet omni tempore Deo canere debeamus, ſed præcipuè in reſurrectione, in remiſsione, & in domus innouatione, hoc eſt, cùm reſurgimus in Chriſto: cùm remiſsionem accipimus: cùm domus pectoris noſtri innouata fuerit poſt ruinam. *To. 7. Com. in Pſalm. 80. vide inſignem locum, cum aſsignat a finali cauſa de celebratione feſtorum Catholicæ eccleſiæ. To. 6. lib. 2. Cõ. in c. 4. ad Gala.*

## *Articulus XVI. Diebus varijs, varia legi in templis ex ſcripturis ſacris & martyrum paſsionibus atq; ſanctorum hiſtorijs excerpta.*

*Diaconi legebant in eccleſia lectiones.*

RESPICE ad populum: ſingulorum facies intuere, ille in Eccleſia legit (diaconus ſcilicet ſuſpectæ vitæ) in te aſpiciunt vniuerſi, niſi quod penè licentia coniugali de tua infamia gloriaris. *Tom. 1. epiſt. 47. cap. 4.*

*Diaconi legebant Euangelium.*

ORIEBATVR tibi ſol inuito, exanguis, marcidꝰ, pallidus, & vt ſuſpicione omni careres, Euãgelium Chriſti, quaſi diaconus, lectitabas. *Tom. 1. epiſt. 48. cap. 3.*

*Scripta Ephræm in eccleſia publicè lecta.*

EPHRAEM, Edeſſenæ Eccleſiæ diaconus, ad tantam venit claritudinem, vt poſt lectionem ſcripturarum, publicè in quibuſdam Eccleſijs eius ſcripta recitentur. *Tom. 1. in Catalogo Viro. illuſt. in Ephræm.*

ATQVI columna veritatis ac fidei, qui de tãto viro audet dicere, loquente illo ad populum, quæ vellet, & qualia vellet, de ſeipſo quàm prudenter & verecundè, quàm humiliter referat, cõſiderimus. Cùm, inquit, & nos quadam die ante eum locuti fuiſſemus, & præſens lectio prouocaſſet, audiente illo, & conuerſa Eccleſia; de fide & omnibus Eccleſiaſticis dogmatibus hæc locuti ſumus, quę ſemper Dei gratia indeſinenter in eccleſia docemus, & in catecheſibus. *Præſens lectio in Eccleſia prouocata, &c. Catecheſes docebantur in Eccleſia.* Rogo, quæ iſta eſt confidentia, qui animi tumor, quod alter Gorgias de quacunq; re te reſponſurum iactites. *Tom. 2. epiſt. 61. cap. 4.*

*Presbyteri & non ſolũ Diaconi legebant lectiones.*

LEGENTEM presbyterum in Eccleſia per archidiaconum tacere iuſsiſti. *Ibidem.*

*Ionæ 4. Hieronymi interpretatiõ ſcripturæ lectam eccleſia.*

QVIDAM frater Epiſcopus noſter, cùm lectitari inſtituiſſet in Eccleſia, cui præeſt, interpretationem tuam, ob diuerſam tranſlationem Ionæ prophetæ, coactus eſt, velut mendoſitatem corrigere volens, poſt magnum periculum, non remanere ſine plebe arguentibus græcis calumniã falſitatis. *Tom. 2. epiſt. 88. quæ eſt Auguſt. ad Hieronymum.*

*Viſio omniũ Chriſti Eccleſiarum lectione celebrata.*

FAMOSA eſt viſio, & omnium Eccleſiarum Chriſti lectione celebrata: ob quam vel maximè cauſam vtramq; editionem ex integro poſui: ne qua nobis ab Hebræis calumnia fieret, ſi ſaltem in verbis aliquid diſcreparent. *Tom. 4. lib. 11. Com. in cap. 37. Ezech.*

*Scripturæ ſic interpretandæ vt leguntur in Eccleſia.*

NOBIS, quia ſic voluiſtis, & ſemel ſuſcepimus, incumbit neceſsitas ita interpretari ſcripturas, quomodo leguntur in Eccleſia, & nihilominus Hebraicam non omittere veritatem. *Tom. lib. 1. Com. in cap. 1. Micheæ.*

*Thren. 4. Lamentationes Hieremiæ leguntur in Eccleſia Fragmenta ſcripturarũ legebantur in Eccleſia & ſequebatur mox interpretatio.*

IN die illa magnus erit planctus.] Hadadrimmon, pro quo Lxx. tranſtulerunt ῥοῶνος vrbs eſt, iuxta Hiezraelem; quæ hoc olim vocabulo nuncupata eſt, & hodie vocatur Maximianopolis in campo Mageddon: in quo Ioſias rex iuſtus à Pharaone cognomento Nechao vulneratus eſt: ſuper quo Lamentationes ſcripſit Hieremias, quæ legũtur in Eccleſia, & ſcripſiſſe eum Paralipomenon teſtatur liber. *Tomo. 5. libr. 3. Commentar. in cap. 12. Zachariæ.*

NOS hodie, proh dolor, omnes in Eccleſia iudices ſumus. Neſcimus quotus ſit Pſalmus, quæ pars prophetiæ, quod legis capitulum, & loquendi facilitate interpretamur audacter, quod non intelligimus. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap 4. ad Galat.*

*Scripturæ in Eccleſiã leguntur.*

QVID tam Dei opus, quàm ſcripturas in Eccleſia legere, prædicare, ſacerdotium cupere, ante altare Domini miniſtrare? Sed & hæc, niſi aliquis omni diligentia cuſtodierit cor ſuum, de cupiditate laudis oriuntur. *Tom. 6. lib. 3. Com. in caput 5. ad. Galat.*

SVRGE qui dormis, & exurge à mortuis.] Scio me audiſſe quendam de hoc loco in Eccleſia diſputantem: qui in theatrale miraculum, nunquam ante

ante viſam formã populo exhibuit, vt placeret, teſtimoniũ hoc inqens, ad Adã dicitur, in loco caluariç ſepultũ vbi crucifix⁹ eſt Dñs. Qui Caluariç idcircò appellatus eſt: q̃ ibi antiqui hominis eſſet conditum caput: Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus, ſuper eius pendebat ſepulchrum, hæc prophetia completa eſt, dicens: Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis, & continget te Chriſtus: Quia videlicet tactu ſanguinis ipſius, & corporis dependentis viuificetur, atq; conſurgat, & tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit. *Tom. 6. lib. 3. Com. in c. 5. ad Epheſi.*

### *Articulus XVII. De horis Canonicis, & Vigilijs nocturnis: ſeu Statis temporibus orare moris olim fuiſſe.*

*Septem horæ Canonicæ*

PRAEPONATVR ei probæ fidei ac morum & pudicitiæ virgo veterana, quæ illã doceat & aſſueſcat exemplo ad orationes & Pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie, quaſi bellatricẽ Chriſti, accenſaque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum, ſic dies tranſeat, ſic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio, *Tom. 1. epiſt. 7. ad Lætam de inſtitutione filiæ cap. 5.*

*Vigiliæ nocturnæ virginum.*

SIC debes ieiunare, vt non palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarũ, vel traharis, vel porteris manibus, ſed vt, fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in Pſalmis, nec in vigilijs ſolito, quid minus facias. *Tom. 1. epiſt. 8. ad Demetriadem cap. 6.*

*Ordo horarũ Canonicarũ.*

PRAETER Pſalmorum, & orationis ordinẽ, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperum, media nocte, & mane ſemper eſt exercendum; ſtatue, quot horis ſacram ſcripturã ediſcere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, ſed ad delectationem, & inſtructionem animæ. *Tom. 1. epiſt. 8. ad Demetriadem cap. 8.*

*Exod. 15.*

O ſi videres ſororem tuam: audires totam, noui & veteris teſtamenti ſuppellectilem ex illius corde feruere. Ieiunia pro ludo habet, orationem pro delicijs. Tenet tympanum in exemplum Mariæ; &, Pharaone ſubmerſo, virginum choro præcinit: Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Has docet pſaltrias Chriſto, has fidicinas erudit Saluatori. Sic dies, ſic nox ducitur: & oleo ad lampades præparato, ſponſi expectatur aduentus. Imitare ergo & tu conſanguineam tuam. Habeat Roma, quod anguſtior vrbe Romana poſſidet Bethlehem. *Tom. 1. epiſt. 10. ad Furiam cap. 5.*

*Pſalterium memoriter ediſcendum à virginibus*

CVM virgunculam rudem, & edentulam ſeptimus ætatis annus exceperit, & cœperit erubeſcere, ſcire quid taceat, dubitare quid dicat; diſcat memoriter pſalterium, & vſq; ad annos pubertatis libros Solomonis; Euangelia, Apoſtolos, & prophetas ſui cordis theſaurum faciat. *Tom. 1. epiſt. 12. cap. 3. ad Gaudentium.*

*Crebræ vigiliæ.*

SEMPER in manu tua ſit ſacra lectio, frequẽter orandum, & flexo corpore mens erigenda ad Dominum: Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo ſæpius dormiendum. *Tom. 1. epiſt. 13. ad Paulinum c. 3.*

ASELLA ſponſo loquebatur, aut orans, aut pſallens. *Tom. 1. epiſtol. 15. ad Marcellam de laudibus Aſellæ.*

*Cur diuiſas orandi horas habere debeant clerici.*

QVAMQVAM Apoſtolus orare nos ſemper iubeat; & ſanctus etiam ipſe ſomnus ſit oratio: tamen diuiſas orandi horas habere debemus; vt ſi fortè fuerimus aliquo opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque & veſperam, nemo eſt, qui neſciat. Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa: nec recedatur à menſa, niſi referatur creatori gratia. Noctibus bis, terque ſurgendum, reuoluenda, quæ de ſcripturis memoriter retinemus. *Tom. 1. epiſt. 22. cap. 16.*

*Per ordinẽ canebatur diuerſis horis pſalteriũ. Nocturnæ vigiliæ. Chorus pſallentium.*

MANE, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio, per ordinẽ in monaſterio Paulæ pſalterium canebãt. Nec licebat cuiquam ſororum ignorare Pſalmos, & non de ſcripturis ſacris quotidie aliquid diſcere. *Tom. 1. epiſt. 27. ca. 10.*

TOTA Eccleſia nocturnis vigilijs perſonabat Chriſtum Dominum; & in diuerſarum gentiũm linguis vnus in laudibus Dei ſpiritus concinebat. Tu inter oſtia quondam præſepis Domini, nunc altaris, amatorias epiſtolas fulciebas. Et ſtabas deinceps in choro pſallẽtiũ & impudicis nutibus loquebaris. *To. 1. epiſt. 48. ad Sabinianum. cap. 3.*

*Nocturnæ vigiliæ Monachorum.*

PAVLVS & Antonius immolantes Deo ſacrificium laudis, noctem tranſegere vigilijs. *Tomo 1. in vita Pauli eremitæ.*

ANTONIVS hymnos & Pſalmos in funere Pauli de traditione Chriſtiana decantat. *Ibidem.*

PRIVS refectionem animæ, quàm corporis quæramus, oremus, pſallamus, reddamus Domino officium, & prius miniſterium compleamus. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

*In peruigilio paſchæ explicatus in Eccleſia Oſeas.*

PIERII Alexandrinæ Eccleſiæ presbyteri, longiſſimus tractatus extat de propheta Oſeæ in peruigilio Paſchæ habitus. *Tom. 1. in Catalogo Scripto. Eccleſiaſt. in Pierio.*

*Matth. 26. Laus nocturnarum vigiliarum. Pſal. 118. Luc. 6.*

QVOD dicis Vigilantium vigilias execrari: facit hoc contra hoc vocabulũ ſuum, vt velit dormire Vigilantius, & non audiat Saluatorem dicentem: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate ne intretis in tentationem: Spiritus promptus eſt, ſed caro infirma. Et in alio loco propheta decantat: Media nocte ſurgebam, vt confiterer tibi ſuper iudicia tua Domine. Dominum quoque in Euangelio legimus pernoctaſſe, & Apoſtolos clauſos carcere, tota nocte vigilaſſe, vt illis pſallentibus, terra quateretur, cuſtos carceris crederet, magiſtratus & ciuitas terrerentur. Loquitur Paulus: Orationi inſiſtite, vigilantes in ea, & in alio loco: In vigilijs frequẽter. Dormiat itaque Vigilantius, & ab exterminatore Aegypti cum Aegyptijs dormiens ſuffocetur. Nos dicamus cum Dauid: Non dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael, vt veniat ad nos ſanctus, & Hir, qui interpretatur Vigil. Et ſi quando propter peccata noſtra dormierit, dicamus ad eum: Surge, vt quid dormitas domine? excitemuſq; illum. &, nauicula fluctuante, clamemus: Magiſter, ſaluos nos fac: perimus. *Tom. 2. epiſt. 53. ad Riparium.*

*Ioan. 20. Coloſſ. 4. 2. Cor. 11. Exod. 12. Pſal. 120.*

*Vigilantius damnat vigilias.*

EXORTVS eſt ſubitò Vigilantius, ſeu potius Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnat contra Chriſti ſpiritum, & damnandas dicit eſſe vigilias. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium cap. 1.*

*Abuſus vigiliarum nõ tollit verũ vſum.*

DE Vigilijs & pernoctationibus in baſilicis martyrum ſæpè celebrandis, in altera epiſtola, quam fermè ante biennium ſancto Ripario presbytero ſcripſeram, reſpondi breuiter. Quod ſi ideò eas exiſtimas reſpuendas, ne ſæpè videamur paſcha celebrare, & non ſolennes poſt annum exercere vigilias: ergo & die dominico non ſunt Chriſto offerenda ſacrificia; ne reſurrectionis Domini crebro paſcha celebremus; & incipiamus nõ vnum paſcha habere, ſed plurima. Error autem & culpa



& culpa iuuenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpè deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus, quia & in vigilijs Paſchæ tale quid fieri plerumq; conuincitur; & tamen paucorum culpa non prçiudicat religioni; qui & abſque vigilijs poſſunt errare, vel in ſuis, vel in alienis domibus. Apoſtolorum fidem Iudç proditio non deſtruxit: & noſtras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non deſtruent, quin potius pudicitiæ vigilare cogantur, q̃ libidini dormiũt, quod enim ſemel feciſſe bonum eſt, non poteſt malum eſſe, ſi frequenter fiat: aut, ſi aliqua culpa vitanda eſt, non ex eo, quod ſæpè, ſed ex eo, quod fit aliquando, culpabile eſt. Non vigilemus itaq; diebus paſchæ: ne expectata diu adulterorum deſideria compleantur; ne occaſionem peccandi vxor inueniat; ne maritali nõ poſſit recludi claue. Ardentiùs appetitur, quicquid eſt rariùs. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium c. 4.*

IN ſeptuageſimo nono Pſalmo legimus. Qui ſedes ſuper Cherubin manifeſtare. Qui in lingua noſtra interpretantur, multitudo ſcientiæ. Vnde & Dominus in aurigæ modum ſuper Cherubin apertè ſedere oſtenditur. Seraphin autem præter hunc locum, in ſcripturis canonicis alibi legiſſe me neſcio: qui ſtare dicuntur ſuper templum, vel in circuitu Domini. Ergo errant, qui ſolent in precibus dicere: Qui ſedes ſuper Cherubin & Seraphim, quod ſcriptura docuit. *Tom. 4. lib. 3. Co. in cap. 6. Eſaiæ.*

*Error in precibus Eccleſiaſticis.*

ET ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit.] Pro vigili, Theodotio ipſum Chaldaicum verbum poſuit hir, quod per tres literas ain, iod, & res ſcribitur: ſignficat autem angelos, quod ſemper vigilent, & ad Dei imperium ſunt parati. Vnde & nos crebris pernoctationibus imitamur angelorum officia. Et de Domino dicitur: Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 4. Danielis.*

*Vigiliæ nocturnæ imitantur angelorum officia. Pſal. 120.*

*Horæ canonicæ ex traditione Eccleſiaſtica deſcendunt. Actor. 3. Actor. 10. Actor. 3.*

TRIA ſunt tempora, quibus Deo flectenda ſunt genua: tertiam horam, ſextam, & nonã Eccleſiaſtica traditio intelligit. Denique tertia hora deſcendit ſpiritus S, ſuper Apoſtolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem deſcendit in cœnaculum. Nona, Petrus & Ioannes pergebant ad templum. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 6. Danielis.*

QVARTA vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare.] Stationes & vigiliæ militares in trium horarum ſpacia diuiduntur. Quando ergo dicit: quarta vigilia noctis veniſſe ad eos Dominum: oſtendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis, atque in conſummatione mundi eis auxilium præbiturum. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 14. Matth. Cano. 19.*

*Exod. 12. Traditio Apoſtolica de vigilijs Paſchæ. Pſalm. 118.*

TRADITIO Iudæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Aegyptij temporis, quando paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & Dominus ſuper tabernacula trãſijt, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecrati ſunt. Vnde reor, & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die Vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium, populos dimittere nõ liceat, expectantes aduentum Chriſti. Et poſtquã illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem. Vnde & pſalmiſta dicebat Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 25. Matth. Canon. 55.*

*Statuta paũca orandi & ieiunandi tẽpora.*

QVOTVS quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi, ſemper exerceat? *Tom. 6. lib. 2. Comment. in cap 4. ad Galatas.*

*Daniel 10. Pſal. 120.*

ANTICIPAVERVNT vigilias oculi mei.] Antequam aliquis vigilaret, ego vigilabam. Legimus & in Daniele: Et ecce, inquit, Hir, id eſt, vigil. Non dormitauit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Ergo monachus, qui non vigilat, hunc verſum non poteſt dicere. *Tom. 7. Com. in Pſal. 76.*

*Quatuor vigiliæ noctis. Matth 14.*

ET cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habetur, eorum anni erunt.] Debemus ſecundum hiſtoriam ſcire, quia nox in quatuor vigilias diuiditur: Denique & in Euangelio dicitur: In quarta autem vigilia. Vna ergo vigilia tres horæ ſunt. Nox ergo diuiditur in quatuor vigilias. Denique milites quatuor ſtationes habent, quando vigilant & ſeruiunt. *Tom. 7. Com. in Pſal 89.*

CERTE Chriſtianorum & monachorum eſt maximè in nocte peccata ſua cõfiteri. *Tom. 7. Co. in Pſalm. 91.*

REM dico miram: Et ſi nocte ſurgimus, Deũ in luce benedicimus. Nunquam Chriſtiano nox eſt: ſemper Chriſtiano ſol iuſtititiæ oritur. *Tom. 7. Com. in Pſalm. 107.*

MEMOR fui nocte.] Oportet fragilitatem humanam, & cùm ſemper, impenſiùs tamen nocturno tempore memoriam facere dominici nominis: cùm aut recordatione diuitiarum premitur, aut concupiſcentiæ igne torquetur, & præcipuè hoc exorare, vt ſi legem Dei cuſtodire cœpit. ne ab eadem in aliquo diuellatur. *Tom. 7. Com. in Pſal. 118.*

*Nocturnæ preces.*

MEDIA nocte ſurgebam.] Scit media nocte, vel pericula pati, vel prœmia ſe aſſequi poſſe: quia ſicut media nocte percuſſit angelus Aegyptum: ita media nocte ſapientes virgines introducuntur ad ſponſum. Et multa ſunt alia de media nocte teſtimonia. *Tom. 7. Com. in Pſalm. 118.*

*Exod. 11. Matth. 25.*

MONACHI dicimur, & licet non ſimus, quales eſſe debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus: hora ſexta oramus: hora nona lucernarium facimus: media nocte conſurgimus: deinde gallicinio oramus. Videte quibus horis ſemper ad obſequium Dei ſuſcitamur. Videte quid dicat: hora tertia, ſexta, nona, lucernarium, medio noctis, gallicinio, mane primo. Hoc totum facimus, & non conſideramus: quia ſi inimicitias habet anima noſtra contra fratrem, ſine cauſa oramus. In Euãgelio enim quid dicitur. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi, quod aliquid frater tuus habet aduerſus te, recõciliare prius fratri, &c. *Tom. 7. in 2. expoſitione Pſal. 119.*

*Quibus horis ad obſequium Dei ſuſcitemur vide.*

### *Articulus XVIII. Quomodo illud Apoſtoli ad Galatas cap. 4. Dies obſeruatis & menſes, &c. accipiendum ſit.*

*Pſal. 94. Eſa. 46. Pſalm. 76.*

DIES obſeruatis, menſes & tempora.] Qui non adorat patrem in ſpiritu & veritate, neſcit ſabbathiſmum ſanctis repoſitum. De quo loquitur Deus: Si introierint in requiem meam: & non de illis temporibus recordatur, de quibus ſcriptum eſt: Recordamini dierum ſæculi, & alibi: Memoratus ſum dies antiquos, & annos æternos in mente habui, dies Iudaicos obſeruat & mẽſes, & tempora, & annos. Dies, vt ſabbathi, & neomeniæ, & à decima menſis primi vſque ad quartam decimam, qua agnus corporeus victimæ reſeruatur: & à quartadecima vſque ad vigeſimam primam eiuſdem menſis, quando azyma comeduntur,

*Obſeruatio dierum Iudaicorum et menſium reprehenditur.*

*Leuit. 23.* duntur, non ſynceritatis & veritatis, ſed in fermento veteri malitiæ & nequitiæ phariſæorum. Septem quoq; ſeptimanas, qui ritu Iudaico poſt azyma computat, dies Iſraeliticæ pentecoſtes colit. Nec non & clangorem tubarum menſe ſeptimo prima menſis. Decima quoq; eiuſdem menſis, expiationem, & ieiunium, & ſcenophegias ex more figentes, Iudaicos obſeruant dies. Menſes autem cuſtodiunt, qui primum & ſeptimum menſem, non intelligentes myſterium veritatis, obſeruant. Tempora quoque colunt, qui ter per ſingulos annos Hieroſolymam venientes, putant ſe *Exod. 23.* Domini implere præceptum, dicentis: Tribus tẽporibus anni, diem feſtum agetis mihi, ſolennitatem azymorum, & ſolennitatem meſsis primitiuorum, & ſolennitatem conſummationis in exitu anni. & alibi: Tribus temporibus anni apparebit maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei *Exod. 34.* tui. Quod autem ait, & annos, puto de ſeptimo remiſsionis anno dici, & de quinquageſimo, quem *Coloſſ. 2.* illi Iubilæum vocant. Pleniùs hunc locũ ad Coloſſenſes Apoſtolus explicat. Dicat aliquis: Si dies obſeruare non licet, & menſes, & tempora, & annos, nos quoque ſimile crimen incurrimus, quartam ſabbathi obſeruantes, & paraſceuen, & diem dominicam, & ieiunium quadrageſimæ, & paſchæ feſtiuitatem, & pentecoſtes lætitiam, & pro veritate regionum diuerſa in honore martyrum templa cõſtituta. *Excluſio obiectionis hæreticæ de noſtris prohibitis diebus feſtis.*

*Prima reſpõſio ad obiectionem proximã.* Ad quod, qui ſimpliciter reſpõdebit, dicet, non eoſdem Iudaicæ obſeruationis dies eſſe quos noſtros. Nos enim non azymorum paſcha celebramus, ſed reſurrectionis & crucis. Nec ſeptem, iuxta morem Iſrael, numeramus hebdomadas in pentecoſte: ſed ſpiritus S. veneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto propterea dies aliqui conſtituti ſunt, vt in vnum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior ſit dies illa, qua conuenimus: ſed quo quacumque die conueniendum ſit, ex conſpectu mutuo, maior lætitia oriatur. *[O]bſeruationis dierum feſtorũ.* Qui verò oppoſitæ quæſtioni accuratiùs reſpondere conatur, illud affirmat; omnes dies æquales eſſe, nec per paraſceuen Chriſtum tantum crucifigi, & die dominica reſurgere: ſed ſemper ſanctũ eſſe reſurrectionis diem, & ſemper eũ veſci carne dominica. Ieiunia autẽ, & congregationes inter dies, propter eos, ita viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſæculo vacãt, quàm Deo: nec poſſunt, imò nolunt, toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus, Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſq; eſt, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi, ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: Non ita & Iudæis fas eſt omni tempore immolare agnum, pentecoſten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidie. *Tom. 6. lib. 2. Com. in cap. 4. ad Galatas.*

*Secunda accuratior reſponſio ad propoſitam obiectionem.*

*Alia cauſa finalis inſtitutorum feſtorum dierum.*

*Diſsimilitudo Iudæorũ, & Chriſtianorum in feſtis celebrandis.*

## *Articulus XIX. De antiqua conſuetudine cereos, & luminaria accendendi in templis.*

*Cur cerei noctu accendantur.* CEREOS non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calũniaris; ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui, propter imperitiã & ſimplicitatem, ſæcularium hominum, vel certè religioſarum fœminarum, de quibus verè poſſumus dicere: Confiteor, *Rom. 10.* zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: hoc pro honore martyrum faciũt: quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret vnguentum, ſed Domini voce correpti *Matth. 26.* ſunt, neque enim Chriſtus indigebat vnguento, nec martyres lumine cereorũ: & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, deuotioque mentis eius recipitur: & quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet. *Rom. 14.* *Religioſæ fœminæ ad honorẽ martyrum accendunt rectè cereos.* Idololatras appellas huiuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatriæ errore veniſſe, non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani: & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & idcircò deteſtãdum eſt: hoc fit martyribus, & iccircò recipiendum eſt. *Idem cultus diuerſis diuerſimodè exhibetur.* nã & abſque martyrum reliquijs per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iam ſole rutulante, non vtique ad fugiendas tenebras, ſed ſignum lætitiæ demonſtrandum. *Cùm legitur Euangelium accendũtur luminaria.* Vnde & virgines illæ Euangelicę ſemper habent accenſas lampades ſuas: & ad Apoſtolos dicitur: Sint lumbi veſtri pręcincti, & *Matth. 25.* Lucernæ ardentes in manibus veſtris, & de Ioanne *Lucæ 12.* Baptiſta: Ille erat lucerna ardens, & lucens: vt *Ioan. 5.* ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, *Pſalm. 118.* de qua in Pſalterio legimus: Lucerna pedib. meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. *Tom. 2. aduerſus Vigilantium. cap. 3.*

ACCENSI ante tumulos martyrum cerei idololatriæ (Vigilantio videlicet) inſignia ſunt. *Tom. 2. Epiſt. 53. ad Riparium presbyterum.*

## *Articulus XX. Miraculum editum per Hilarionem aſperſione aquæ benedictæ.*

ITALICVS Chriſtianus aduerſum Gazenſem duumuirum, Marnæ idolo deditum, Circenſes equos nutriebat, hoc ſiquidem in Romanis vrbibus iam inde ſeruatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptũ, Conſo, quaſi conſiliorum Deo, quadrigæ ſepteno currant circũitu; & equos partis aduerſæ fregiſſe, victoria ſit. Hic itaque æmulo ſuo habente maleficum, qui dæmoniacis quibuſdam imprecationibus huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum, venit ad beatum Hilarionem, & non tam aduerſarium lædi, quàm ſe defendi obſecrauit. Ineptum viſum eſt venerando ſeni, in huiuſcemodi nugis orationem perdere, cũq; ſubrideret, & diceret: Cur enim non magis equorum precium pro ſalute animæ tuæ pauperibus erogas. Ille reſpondit, functionem eſſe publicam; & hoc non tam ſe velle, quam cogi; nec poſſe hominem Chriſtianũ vti magicis artibus, ſed à ſeruo Chriſti potius auxilium petere, maximè contra Gazenſes aduerſarios Dei, & non tam ſibi, quàm Eccleſiæ Chriſti inſultantes. Rogatus ergo à fratribus, qui aderant, ſcyphum fictilem, quo bibere conſueuerat, aqua iuſsit impleri, eique tradi, quẽ accepiſſet Italicus; & ſtabulum & equos, & aurigas ſuos, rhedas, carcerumque repagula aſperſit. Mira vulgi expectatio: nam & aduerſarius hoc ipſum irridens diffamauerat; & fautores Italici, ſibi certam victoriam pollicentes, exultabant. *Miraculum per aſperſionem aquæ benedictæ.* Igitur, dato ſigno, hi aduolãt, iſti præpediuntur, ſub horum curru rotæ feruent: illi præteruolantium



tium terga vix cernunt, clamor fit vulgi nimius, ita vt Ethnici quoque ipſi concreparent, Marnas victus à Chriſto eſt. Porrò furentes aduerſarij Hilarionem maleficum Chriſtianorum ad ſupplicium poſcere. Indubitata ergo victoria, & illis, & multis retro Circiſiéb. plurimis fidei occaſio fuit. *Tom. 1. in vita Hilarionis.*

# *Caput XI. De Antichriſti, extremique iudicij temporibus, ac deinceps de futuro hominum, tam electorum quam reproborum ſtatu.*

## *Articulus I. Antichriſtum filium illum perditionis, vnum aliquem particularem hominem futurum.*

*Matth. 24.* QVID vult ſignificare, quod in eodem Matthæo ſcriptum eſt: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Et orate, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbatho. Quod ex ſuperioribus pendere manifeſtum eſt. Cùm enim Euangelium Chriſti cunctis gentibus fuerit prædicatum, & venerit conſummatio, viderintque abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in *Marc. 13.* loco ſancto. Tunc præcipitur ijs, qui in Iudæa ſunt, vt fugiant ad montes; & qui in tecto, ne deſcendant *Dan. 9.* tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro, ne reuertãtur auferre tunicam ſuam, de quibus in commentarijs eiuſdem Matthæi pleniùs diximus. Statimq; coniungitur: Væ pręgnantibus, & nutrientibus in diebus illis. In quibus diebus? quando abominatio deſolationis ſteterit in loco ſancto, quod quidem, iuxta literam, de aduentu Antichriſti prædicari, nulli dubium eſt. *Antichriſti aduentus.* quando perſecutionis magnitudo cõpellit fugere, & graues vteri paruulique lactantes fugam retardant. Licet quidem Titi & Veſpaſiani aduerſus Iudęos & præcipuè Hieruſalem obſidionem pugnamq; ſignificari velint. Hyemem quoque & ſabbathũ, ſic interpretantur, ne eo tempore fugere compellantur; quando duritia frigoris in agris & in deſertis locis, fugientes latere non patitur, & obſeruatio ſabbathi aut præuaricatores facit, ſi fugiant, aut hoſtium gladijs ſubiacere, ſi ſabbathi otium & præcepta ſeruauerint. *Tom. 3. Epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſtione 7.*

NISI, inquiunt, venerit diſceſsio primum, quod Græcè dicitur ἀποστασία, vt omnes gentes quę Romano imperio ſubiacent, recedãt ab eis, & reuelatus fuerit, id eſt, oſtenſus: quem omnia prophetarũ verba pręnunciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt, & filius perditionis, id eſt, diaboli: ipſe eſt enim vniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur antichriſtus: & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, vt cunctarum gentiũ Deus, ſiue probatam omnem & veram religionem ſuo calcet pede: & in templo Dei, vel Hieroſolymis, vt quidam putant, vel in Eccleſia, vt veriùs arbitramur ſederit, oſtendens ſe tanquam ipſe ſit Chriſtus & filius Dei. Niſi, inquit, Romanum imperium fuerit ante deſolatum, & antechriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet; qui ideò ita venturus eſt, vt antichriſtum deſtruat. *Ibidem quæſtione. 11.*

*Antichriſtus futurus particularis homo.*

*Quæ præcedent Chriſti ſecundum aduentum.*

CONSIDERABAM cornua, & ecce cornu, &c.] Et ecce, ait, oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto. Ne eum putemus iuxta quorundã opinionem, vel diabolũ eſſe, vel dæmonem, ſed vnum de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus ſit corporaliter. Et os loquens ingentia. *Vnus particularis homo antichriſtus.* Eſt enim homo peccati, filius perditionis, ita vt *2. Timo. 2.* in tẽplo Dei ſedere audeat, faciens ſe, quaſi Deũ. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 7. Danielis.*

IN monte autem Syon erit ſaluatio, &c.] Cuncta quæ diximus, & quę dicturi ſumus, Iudæi ſibi futuro tẽpore pollicentur, quando pro Chriſto *Ioan. 5.* recipient antichriſtum, impleta prophetia Domini Saluatoris: Ego veni in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. Et quidquid contra Idumæam interpretati ſumus, illi aduerſus Romanũ regnum ſomniant. *Tom. 5. Com. in cap. Abdiæ.* *Antichriſtus veniet in nomine Chriſti & recipietur à Iudæis.*

VBI eſt habitaculum Leonum, &c.] Et catulus leonis antichriſtus, & (omnes doctrinæ peruerſæ) ſermo contrarius. audiſtis (inquit Ioan.) quia antichriſtus veniet, nunc autem antichriſti multi ſunt: tot enim antichriſti ſunt, quot dogmata *1. Ioan. 2.* falſa. Et ante aduentum Chriſti non fuit qui exterreret. *Tot Antichriſti, quot falſa dogmata.* Sed poſtquam Dominus noſter venit in mundum & Niniuem ingreſſus eſt, vidit quaſi fulgur Sathanam de cælo cadentem. *Lucæ 10.* Et cecidit de cælo Lucifer, qui mane oriebatur. *Eſa. 14.* Venit enim verus Samſon ad Allophylos, & dum pergit in *Iud. 14.* Thamnas (quod interpretatur cõſummatio eius: vt pauperculam de gentibus duceret Dalilam) interfecit Leonem, cui venerat conſummatio, & illo mortuo, comedit mella dulcedinis. Sed & verus Dauid ſeruans oues patris ſui, apprehendit leonem, & interfecit eum. Et Baneas (qui interpretatur ædificator dominus deſcendit in lacum ſęculi iſtius, qui calentes aquas refrigerare cõſueuit; & interfecit leonem. *Scripturæ cõ[...]* Et in viſione Eſaiæ, quæ *Eſa. 30.* aduerſum quadrupedes cernitur: primum de an*Sec. 70.*guſtia harum dicitur beſtiarum: In tribulatione de anguſtia Leo & catulus Leonis. Iſte Leo antequam interficeretur à Chriſto, plurimos cœpit in pręda catulorum ſuorum, & necauit leunculis ſuis, ſatellitibus ſuis, videlicet dæmonijs. *Tom. 5. Com. in cap 2. Nahum.*

ET dixit Dominus ad me: Adhuc ſume, &c.] Paſtor ſtultus aut imperitus haud dubium, quin Antichriſtus ſit, qui in conſummatione mundi dicitur eſſe venturus. Et qualis venturus ſit indicatur: Vaſa autem paſtoris, inſignia illius & habitum debemus accipere, peram, baculum, fiſtulã, & ſibilum. *Antichriſti affectiones & proprietates.* Et quomodo Eſaias, vt captiuitatem populi demonſtraret, nudus ingreditur, & Hieremias, *Eſa. 50.* vadit ad domum figuli, vt ex diſsipatione *Hier. 18.* vaſis, quod currebat in rota, & manu fingebatur artificis, & interitum Iſrahel, & Dei potentiam oſtenderit; *Ezech. 12.* & Ezechiel, vt ſubuerſionem Hieruſalem, & fugam Sedechię, & onera captiuorum nõ ſolùm voce, ſed & habitu demonſtraret, perfodit *Zach. 11.* parietem, & in ſuis humeris excipitur; ſic Zacharias habitum ſtulti & imperiti paſtoris aſſumit, vt eum nunciet, qui venturus eſt. Iſte eſt paſtor, id *Sup. eodem.* eo conſurget in Iſrael; quia verus paſtor dixerat: *Dan. 9.* Iam non paſcam vos: Qui alio nomine & in Da*Marc. 13.*niel. propheta & in Euãgelio, & in epiſtola Pauli *2. Theſ. 2.* ad Theſſal. abominatio deſolationis, ſeſſurus in *Eſa. 10.* templo Domini prophetatur, & ſe facturum, vt *Sec. 70.* Deum. Qui & per Eſaiam magnus ſenſus dicitur: & ad hoc venit, non vt ſanet, ſed vt perdat gregẽ Iſrael. Paſtor enim bonus, ægrotantia pecora viſitat, diſperſa inquirit, relicta offert, laſſa ſuſtentat. *Antichriſti & Chriſti planè contraria actiones.*

E con-

E contrario paſtor malus omnia aduerſa agit: carnes pinguium deuorat, vngulas arietum & ouiũ diſſoluit atque peruertit, ne recto ingrediantur pede. Hunc paſtorem ſuſcipient Iudæi, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui: vt qui non crediderunt veritati, ne ſalui fierent, credent mẽdacio, & iudicentur, qui conſenſerunt iniquitati. De ſcripto autem paſtore peſsimo, ſtulto & imperito, ad ipſum paſtorem prophetalis ſermo conuertitur: O paſtor, & idolum. Tam ſceleratus eſt paſtor, vt non idolorum cultor, ſed ipſe idolum nominetur, dum ſe appellat Deum, & vult ab omnibus adorari. Qui dereliquit gregem à beſtijs deuorandum, quem Dominus tanto tempore cuſtodierat. Gladius ſuper brachium eius, & robur, ſuper oculum dextrum eius: quo ſe acutè Dei iactabat cernere ſacramenta, & plus videre, quã omnes retro prophetæ viderant, in tantũ, vt Dei filium ſe vocaret. Gladius autem ille eſt, de quo & ſupra diximus, & nũc dicem⁹ ex parte, de quo & Eſaias loquitur: Inebriatus eſt gladius meus in cælo. Propterea autem gladius Domini ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum illius erit: vt robur eius, & omnis iactantia fortitudinis eius ariditate ſiccetur, & ſcientia, quam ſibi falſo nomine promittebat, æternis tenebris obſcuretur. *Tom. 5. lib. 3. Com. in cap. 11. Zachariæ.*

*2. Theſ. 2.* — *Antichriſtus idolum.* — *Antichriſti iactantia.* — *Gladius Antichriſti.* — *Eſaiæ. 34.*

### *Articulus II. Quomodo intelligendus ſit ille Apoſtoli locus 2. Theſſal. 2. Niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.*

QVID ſit, quod idem Apoſtolus ad Theſſal. ſcribit: Niſi diſceſsio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati: & reliqua. ] Igitur Theſſalonicenſium animos, vel occaſio non intellectæ epiſtolæ, vel ficta reuelatio, quæ per ſomnium deceperat dormientes, vel aliquorum coniectura, Eſaiæ & Danielis, Euangeliorumq́; verba de Antichriſto prænunciantia, in illud tempus interpretantium mouerat, atque turbauerat, vt in maieſtate ſua tunc Chriſtum ſperarent eſſe venturum. Cui errori medetur Apoſtolus, & exponit, quæ ante aduentum Chriſti debeant præſtolari: vt cũ illa facta fuerint, tunc ſciant antichriſtum, id eſt, hominem peccati, & filium perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, ꝙ dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, eſſe venturũ. Niſi, inquit, venerit diſceſsio primum, quod Græcè dicitur ἀποστασία, vt omnes gentes, quæ Romano imperio ſubiacẽt, recedant ab eis, & reuelatus fuerit, id eſt, oſtẽſus: quem omnia prophetarum verba prænunciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt: & filius perditiõis, id eſt, diaboli: ipſe eſt enim vniuerſorum perditio, qui aduerſatur Chriſto, & ideò vocatur Antichriſtus: & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, vt cunctarum gentiũ Deus, ſiue probatum omnium & veram religionem ſuo calcet pede; & in templo Dei, vel Hieroſolymis, vt quidam putant, vel in Eccleſia, vt verius arbitramur ſederit, oſtendens ſe, tanquam ipſe ſit Chriſtus & filius Dei. Niſi, inquit, fuerit Romanum imperium ante deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet: qui ideò ita venturus eſt, vt antichriſtum deſtruat. Meminiſtis, ait, quod hæc ipſa, quæ nunc ſcribo per epiſtolam, cũ apud vos eſſem, præſenti ſermone narrabam, & dicebam, niſi præceſsiſſet antichriſtus. Et nunc quid detineat, ſcitis. Vt reueletur in ſuo tẽpore, hoc eſt, quæ cauſa ſit, vt antichriſtus in præſentiarum non veniat, optimè noſtis. Nec vult apertè dicere, Romanum imperium deſtruendũ, quod ipſi, qui imperant æternum putant. Vnde ſecundum Apocalyp. Ioannis, in fronte purpuratę meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romę æternæ. Si enim apertè audacterq́; dixiſſet; non veniet antichriſtus niſi prius Romanum deleatur imperium, iuſta cauſa perſecutionis in Orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur. Quodq́ue ſequitur: Iam enim myſterium operatur iniquitas, tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat; & tunc reuelabitur ille iniquus: Hunc habet ſenſum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impuriſsimus Cæſarum mundum premit, antichriſti parturitur aduentus, & quod ille operaturus eſt poſtea, in iſto ex parte completur. tantum vt Romanum imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat: & tunc Antichriſtus veniet, fons iniquitatis: quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, diuina videlicet poteſtate & ſuæ maieſtatis imperio, cuius iuſsiſſe, feciſſe eſt; non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in angelorum auxilio, ſed ſtatim vt ille aduenerit, interficietur antichriſtus: & quomodo tenebrę ſolis fugantur aduentu: ſic illuſtratione aduẽtus ſui, eum Dominus deſtruet, atque delebit. Cuius opera Sathanę ſunt opera. Et ſicut in Chriſto plenitudo diuinitatis fuit corporaliter: ita & in anthriſto omnes erunt fortitudines, & ſigna, & prodigia, ſed vniuerſa mẽdacia. Quomodo enim ſignis Dei, quę operabatur ꝑ Moyſen, Magi ſuis reſtitere mendacijs, & virga Moyſi deuorauit virgas eorum: ita mendacium antichriſti, Chriſti veritas deuorabit. Seducentur autem eius mendacio, qui perditioni ſunt præparati: Et quia tacita quæſtio poterat commoueri: cur enim conceſsit Deus omnem eum habere virtutem, ſigna atque prodigia, per quę ſeducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi Dei: ſolutione pręuenit quæſtionem, & ꝙ opponi poterat, antequam opponatur, abſoluit. Faciet, inquit Hierem. non ſua virtute, ſed conceſsione Dei, propter Iudæos: & qui noluerunt charitatem recipere veritatis, hoc eſt, ſpiritũ Dei per Chriſtum; Quia charitas Dei diffuſa eſt in corda credentium. Et ipſe dicit: Ego ſum veritas: de quo in Pſalm. ſcriptum eſt. Veritas de terra orta eſt: Qui ergo charitatem & virtutem nõ receperunt, vt Saluatore ſuſcepto ſalui fierẽt, mittit illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem, id eſt, fontem erroris, vt credant mendacio: Quia eſt mendax ipſe, & pater eius. Etſi quidẽ antichriſtus de virgine natus eſſet, & primus veniſſet, in mundum, poterant Iudæi habere excuſationem, & dicere, ꝙ putauerint eſſe veritatem, & iccircò mendacium pro veritate ſuſceperint. Nunc autẽ ideò iudicandi ſunt, imò procul dubio condemnandi, quia Chriſti veritate contempta, poſtea mendacium, id eſt, antichriſtum ſuſcepturi ſunt. *Tomo 3. Epiſtola 151. ad Algaſiam quæſtione 11.*

*2. Theſſ. obſer.* — *Quæ antecedent Chriſti aduentum.* — *In Antichriſto fons omnium peccatorum.* — *Romanũ imperium deſolabitur ante aduentũ Antichriſti.* — *Nero præcurſor & exemplar Antichriſti.* — *Chriſti & antichriſti diſſimilis cõparatio.* — *Col. 2.* — *Exod. 7.* — *Præoccupatio obiectiõnis.* — *Rom. 5.* — *Ioan 14.* — *Pſalm. 84.* — *Iudæi pro Chriſto ſuſcipient Antichriſtum.*

ET rex Seſach, &c. ] Arbitror à ſancto propheta prudenter fuiſſe cælatum, ne apertè eorum contra ſe inſaniam commoueret, qui obſidebant Hieruſalem, & iam iamq́; ei[illegible]ſtituri erant. Quod & Apoſtolũ contra im[illegible]ium Romanũ feciſſe legimus, ſcribentem de [illegible]chriſto, nõ meminſtis, quod cùm apud vos eſſem, adhuc dicebã vobis? Et nũc quid detineat ſcitis: vt reueletur in ſuo tẽpore, ſubauditur Antichriſtus. Iam enim myſterium iniquitatis operatur: tantum, qui timet modo, teneat, donec de medio fiat, & tum reuelabitur ille iniquus; quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuminatione aduentus ſui. Eum qui tenet, Romanum imperium oſtendit. Niſi enim hoc deſtructum fuerit, ſublatumq́ue de medio, iuxta prophetiam Danielis, Antichriſtus ante non veniet. Quod ſi apertè dicere voluiſſet, ſtulte perſecutiones aduerſũ Chriſtianos, & tunc naſcentem Eccleſiam, rabiem cõcitaſſet. *Tom. 4. lib. 5. Co. in cap. 25. Hierem.*

*2. Theſſ 2. Non apertè, ſed occultè innuit prius Romanum imperium deſtruendum, quã veniat antichriſtus.* — *Danie. 7.*

QVID alijs proſit in prophetas noſtra dictatio, Dei iudicij eſt, eorumq́ue conſcientiæ, qui omiſsis declamationibus ac plauſu & compoſitione verborum, cupiunt ſcire qui eorũ ſermo vel narret præteritũ, vel præſens arguat, vel prædicat eſſe vẽturum. Nobis interim prodeſt, dum. n. hoc facimus, & nihil aliud cogitamus, in modum furti explanatiões aggredimur, & dierũ miſerias, noctiũ ſtudio compenſamus; paſcitur animus, & obliuiſcitur ſæculi calamitatum, quod in extremo fine iam poſitum congemiſcit & parturit, donec qui tenet, de medio fiat, & pedes ſtatuæ quõdam ferrei fragilitate digitorum fictilium conterantur. Cadit mundus & ceruix erecta non flectitur. Pereunt diuitię, & nequaquam ceſſat auaritia. Congregare feſtinant, quæ rurſum ab alijs occupentur, Aruerunt lachrymæ, pietas omnis ablata eſt. Multi qui petãt, pauci qui tribuant. Nec erubeſcimus, paupertatem vili palliolo præferẽtes, Cræſi opibus incubare: infamemq́; & interitum plurimorum, noſtros cuſtodire theſauros, ſecundum illum diuitem purpuratum, qui vt nihil aliud fecerit (neque enim rapinas eius & iniquitates ſcriptura teſtatur) crudelitas eius atque ſuperbia non habebat modum: Lazaro autem foras iacenti atque ſeminecci, ne ea quidem iuſſit dari, quæ canibus proijciuntur. Quanti nunc Lazari iacent, & quanti purpurati diuerſis veſtium colorib. proteguntur, ne in vſum quidẽ proprium vertentes quæ peritura conſeruant? *Tomo. 4. in Proœmio, lib. 8. in Ezechielem.*

*Antichriſtus in fine mũdi venturus.* — *2. Th. 2.* — *Daniel. 2.* — *Luc. 16.*

CONSIDERABAM cornua, & ecce cornu, &c. ] Dicamus, quod omnes ſcriptores eccleſiaſtici tradiderunt: in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decẽ futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidãt, & vndecimum ſurrecturum eſſe regem paruulũ qui tres reges de decem regib. ſuperaturus ſit: id eſt, Aegyptiorum regẽ, & Aphricæ, & Aetiopiæ; ſicut in conſequentib. manifeſtius dicemus. Quibus interfectis, etiam alij ſeptẽ reges victori colla ſubmittẽt. Ecce, ait, oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto. Ne eum putemus iuxta quorundam opinionem, vel diabolũ eſſe vel demonem, ſed vnum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus ſit corporaliter. Et os loquẽs ingentia. Eſt, n. homo pæccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei ſedere audeat, faciens ſe quaſi Deum. *Tomo quarto, libro primo, Commentariorum, in cap. 7. Danielis.*

*Decem futuri reges, qui orbem Romanum inter ſe diuident.* — *Antichriſtus erit vnus de hominibus.* — *2. Th. 2.*

ET vidi quoniam interfecta eſſet beſtia, &c. ] In vno Romano imperio propter Antichriſtum blaſphemantem, omnia ſimul regna delenda ſũt & nequaquam terrenum imperium erit, ſed ſanctorum conuerſatio, & aduentus filij Dei triumphantis. *Ibidem.*



### *Artic. III. Antichriſti perſecutionem, nõ vna aliqua in regione, ſed vniuerſo orbe futuram.*

ET ſanctos altiſsimi conteret, &c. ] Pręliabitur Antichriſtus contra ſanctos, & ſuperabit eos; In tantamq́; erigetur ſuperbiam, vt leges Dei & ceremonias mutare conetur: & eleuetur ſupra omne quod dicitur Deus, religionẽ cunctam ſuæ ſubijciens poteſtati. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 7. Daniel.*

*Antichriſtus mutabit leges Dei & ceremonias.* — *2. Th. 2.*

APOLLINARIVS autẽ Laodicenus, &c. ] Cũ quadringenti, triginta quatuor anni poſt hoc fuerint euoluti: id eſt, ſexagintę duę hebdomadę: tũc ab Helia (qui venturus eſt iuxta ſermonem Domini ſaluatoris: vt reſtituat, cor patrum ad filios) in vltima hebdomada ædificandã Hieruſalem, & templum, per annos tres & ſemis: venturumq́ue Antichriſtum, & iuxta Apoſtolum ſeſſurum in templo Dei, & interficiendum ſpiritu Domini ſaluatoris, poſtquã contra ſanctos dimicauerit: atque ita fieri, vt media hebdomada confirmet teſtamentũ Dei cum ſanctis, & rurſum media ceſſationem victimarum eſſe pronunciet ſub Antichriſto; qui ponet abominationem deſolationis, id eſt, idolum & ſtatuam proprij Dei in templo, & erit extrema vaſtitas & condemnatio populi Iudæorum: qui ſpreta veritate Chriſti, receperũt Antichriſti mendacium. *To. 4. lib. 1. Cõ. in ca. 9. Dan.*

*Luc. 1.* — *2. Theſ. 2.* — *Antichriſtus venturus & quid peracturus.*

ET ſtabit in loco eius deſpectus, & non retribuetur ei honor regius, &c. ] Noſtri hæc omnia de Antichriſto prophetari arbitrantur, qui vltimo tempore futurus eſt. Cumq́; eis videatur illud opponi: quare tantos in medio dereliquerit ſermo propheticus, à Seleuco vſq; ad conſummationem mundi: reſpondent, quod & in priori hiſtoria vbi de regib. Perſis dicebatur, quatuor tantos reges poſt Cyrum Perſarum poſuerit, & multis in medio tranſilitis, repente venerit ad Alexãdrum regem Macedonum: & hanc eſſe ſcripturæ ſanctæ conſuetudinẽ, non vniuerſa narrare, ſed ea quæ maiora videantur exponere. Cumq́; multa quæ poſtea lecturi & expoſituri ſumus, ſuper Antiochi perſona conueniãt: typum eum volũt Antichriſti habere, & quæ in illo ex parte præceſſerint, in Antichriſto, ex toto eſſe complenda. Et hunc eſſe morem ſcripturæ ſanctæ, vt futurã veritatem præmittat in typis, iuxta illud quod de Domino Saluatore in ſeptuageſimo primo Pſalmo dicitur; qui prænotatur Salomonis, & omnia quæ de ea dicuntur Salomoni non valent conuenire. Neque enim permanſit ille cum ſole & ante lunam generationis generationum, neq; dominatus eſt, à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum: nec omnes gentes ſeruierunt ei: neq; ante ſolem permanſit nomẽ eius: nec benedictæ ſunt in ipſo omnes tribus terræ: neque omnes gentes magnificauerunt eum. Ex parte autem & quaſi in vmbra & imagine veritatis in Salomone præmiſſa ſunt: vt in Domino Saluatore perfectius implerentur. Sicut igitur Saluator habet & Salomonem & cęteros ſanctos in typum aduentus ſui: ſic & Antichriſtus peſſimum regem Antiochum, qui ſanctos perſecutus eſt, tẽplumq́; violauit, rectè typum ſui habuiſſe credẽdus eſt. *Tom. 4. lib. 1. Com. in cap. 11. Danielis.*

*Scripturæ cõſuetudo non vniuerſa narrare, ſed quæ videntur maiora.* — *Antiochus typus Antichriſti.* — *Pſal. 71.* — *Mos ſcripturæ futuram veritatem præmittere in typis.*

NOSTRI autem & melius interpretantur & rectius: quod in fine mundi hæc ſit facturus Antichriſtus: qui conſurgere habet de modica gente; id eſt, de populo Iudæorum, & tam humilis erit atque deſpectus, vt ei non detur honor

*Antichriſtus de populo Iudæorum conſurget.*

regius, & per inſidias & fraudulentiam obtineat principatum, & brachia pugnantis populi Romani, expugnentur ab eo & conterantur. Et hoc faciet, quia ſimulabit ſe ducem eſſe fœderis, hoc eſt, legis & teſtamenti Dei. Et ingredietur vrbes ditiſſimas, & faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum illius: Nullus enim Iudæorum abſque Antichriſto in toto vmquam orbe regnauit, & contra firmiſſimas cogitationes ſanctorum inibit conſilium: facietque vniuerſa vſque ad tempus: donec eum dei voluntas facere iſta permiſerit, *Ibidem. Paulo poſt.*

*Actiones Antichriſti.*

ET concitabitur fortitudo eius, &c.] Noſtri ſecundum ſuperiorem ſenſum interpretãtur omnia de Antichriſto, qui naſciturus eſt de populo Iudæorum, & de Babylone venturus, primum ſuperaturus eſt regem Aegypti: qui eſt vnus de tribus cornibus, de quibus antea iam diximus. *Ibidem. Fol. 523.*

ET cor eius aduerſum teſtamentum ſanctum, &c.] De Antichriſto nullus ambigit, quin pugnaturus ſit aduerſus teſtamentum ſanctum, & primum contra regem Aegypti dimicans, Romanorum pro eius auxilio terreatur. Hæc autem ſub Antiocho Epiphane in imagine præceſſerunt, vt Rex ſceleratiſſimus qui perſecutus eſt populum Dei, præfiguret Antichriſtum, qui Chriſti populum perſecuturus eſt. Vnde multi noſtrorum putant ob ſęuitię & turpitudinis magnitudinẽ, Domitianũ Neronẽ Antichriſtũ fore. *Ibid. Fol. 524.*

*Domitianus Nero á multis iudicatus Antichriſt⁹.*

ET reuertetur, & indignabitur contra teſtamentum ſanctum, &c.] Plenius complendum eſt ſub Antichriſto, qui indignabitur contra teſtamentũ dei, & cogitabit aduerſum illos quos vult legem dei derelinquere. *Ibidem. Mox.*

ET brachia ex eo ſtabunt, &c.] Quæ vniuerſa in typo Antichriſti, noſtri pręceſſiſſe contendunt: qui ſeſſurus eſt in templo dei, & ſe facturus vt deũ. *Ibidem mox.*

*2. Th. 2.*

ET impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter, &c.] Et hoc in Machabæis legimus, quod quidã ſimulauerint, ſe legis Dei eſſe cuſtodes, & poſtea cum gentibus pactũ fecerint: alij verò permanſerint in religione quod & Antichriſti temporibus futurũ arbitror, quando refrigeſcet charitas multorum, de quibus Dominus loquitur in euangelio: Putas filius hominis veniẽs inueniet fidem ſuper terram? *Ibidem.*

*1. Mach. 6. Quanta impietas tempore Antichriſti.*

ET docti in populo docebunt plurimos, &c.] Quanta Iudæi ab Antiocho paſſi ſunt, Machabæorum libri referunt, & triumphi eorum teſtimonio ſunt: qui pro cuſtodia legis dei flammas, & gladios, & ſeruitutem, & rapinas, & pœnas vltimas ſuſtinuerunt. Quæ futura nemo dubitet ſub Antichriſto, multis reſiſtentibus potentiæ eius, & in diuerſa fugientibus. *Ibidem.*

*Matt. 24. Antiochus typus Antichriſti.*

CVMQVE corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo, &c.] Sub Antichriſto paruum auxiliũ noſtri intelligi volunt, quia congregati ſancti reſiſtent ei, & vtentur auxilio paruulo, & poſtea de eruditis corruẽt plurimi. Et hoc fiet, vt quaſi conflentur in fornace; & dealbentur, & eligantur donec veniat tempus præfinitum: quia vera victoria in aduentu Chriſti erit. *Ibidem.*

*2. Th. 2.*

ET faciet iuxta voluntatem ſuam rex, &c.] Ab hoc loco Iudęi dici de Antichriſto putant, ꝙ poſt Iuliani paruum auxilium ſurrecturus ſit rex, qui faciet iuxta voluntatem ſuam, & eleuetur contra omne quod dicitur deus, & aduerſum deum deorum loquatur magnifica: ita vt ſedeat in templo dei, & ſeipſum faciat Deum, & dirigatur voluntas eius donec compleatur ira dei, quia in ipſo erit conſummatio. Quod quidem & nos de Antichriſto intelligimus. *Ibidem.*

ET in tempore præfinito præliabitur aduerſum eum rex auſtri, &c.] Noſtri ad Antichriſtũ & iſta referentes, dicunt quod primum pugnaturus ſit contra regem auſtri, id eſt, Aegypti, & poſtea Libyes, & Aethiopes ſuperaturus (quę de decẽ cornibus tria contrita cornua ſupra legimus,) & quia vẽturus ſit in terrã Iſrael, & multæ ei vel vrbes vel prouincię daturæ ſunt manus. *Ibi. Fo. 525.*

ET fama turbabit eum ab oriente, &c.] Noſtri extremum viſionis huius capitulum ſuper antichriſto ſic exponunt: quod pugnans contra Aegyptios Lybyaſque & Aethiopas, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus ſit de aquilonis & de oriẽtis partibus, aduerſum ſe bella conſurgere, quod veniens cum magna multitudine vt conterat & interficiat plurimos, figat tabernaculum ſuum in Apando iuxta Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur, vbi incipiunt Iudęę prouinciæ montana conſurgere: denique inde ſe erigens vſque ad mõtem Oliueti, Hieroſolymorum regio aſcenditur, & hoc eſſe quod nunc ſcriptura dicitur: Et cum fixerit tabernaculum ſuum in montanæ prouinciæ radicibus inter duo maria, (mare videlicet quod nunc appellatur mortuum ab oriente, & mare magnum, in cuius littore Cæſaria, Ioppe, Aſcalon, & Gaza ſitæ ſunt.) Tunc veniet vſque ad ſummitatem montis eius: hoc eſt, montanæ prouinciæ, id eſt, verticem mõtis olíueti qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus atque Saluator aſcendit ad patrem: & nullus Antichriſto poterit auxiliari contra ſe Domino ſæuiente. Et aſſerunt ibi Antichriſtum eſſe periturum vnde dominus aſcendit ad cœlos. *Ibi. Fo. 526.*

*Præliũ cõtra Antichriſtũ.*

*Ibi Antichriſtus peritur⁹ vnde dominus aſcendit ad cœlos.*

QVOD autem Antichriſtus veniat vſque ad ſummitatẽ mõtis ſancti & inclyti, & ibi pereat, Eſaias plenius loquitur. Præcipitabit dominus in monte ſancto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnes gentes, id eſt, eum qui dominabitur cunctis populis: & vnctionem quæ vncta eſt contra vniuerſas nationes. *Ibidem.*

*Eſaiæ, 25. Sec. Heb.*

IN tempore autem illo conſurget. Michael princeps magnus, &c.] Ponit hiſtoriam de Machabæis: in qua dicitur multos Iudæorum ſub Mathathia & Iuda Machabeo ad eremum confugiſſe, & latuiſſe in ſpeluncis, & in cauernis petrarum: ac poſt victoriã proceſſiſſe, & hæc μεταφορικῶς, quaſi de reſurrectione mortuorum eſſe prædicta. Tempore autem Antichriſti talem tribulationem fore, qualis nunquam fuit ex eo quo gentes eſſe cœperunt, verius intelligitur: Ponamus enim viciſſe Lyſiam, qui victus eſt, & penitus oppreſſos Iudęos eſſe, qui vicerunt. Nũquid fuit talis tribulatio qualis eo tẽpore quo Hieruſalẽ capta eſt à Babylonijs, tẽplumq; ſubuerſum & omnis populus ductus in captiuitatem? Oppreſſo igitur Antichriſto, & ſpiritu ſaluatoris extincto, ſaluabitur populus, qui ſcriptus fuerit in libro dei, & pro diuerſitate meritorũ alij reſurgẽt in vitã æternã, & alij in opprobriũ ſẽpiternũ. *To. 4. li. 1. C. in ca. 12. Dan.*

*1. Mac. 2.*

*Antichriſti tempore omnium grauiſſima perſequitio.*

ET quo modo vinũ potantẽ decipit, ſic erit vir ſuperb⁹, & nõ decorabitur, &c.] Poteſt hoc ipſũ & de antichriſto interpretari, ꝙ intãtũ erit arrogãs & ſuperb⁹, vt in tẽplo dei ſeſſurus ſit, faciẽs ſe deũ. Et quaſi infernus et mors tãtos interficiet, et ad ſe congregabit, vt ſi fieri poſſit, decipiat etiam electos Dei. Congregabit quoque ad ſe omnes gentes, & vniuerſos populos in ſuum ducet errorem. Qui cum poſtea interfectum illum ſpiritu oris Chriſti viderint, intelligent vera eſſe quæ de eo ante prædicta ſunt, & dicent omnia quæ ſequuntur, eadem intelligentia qua expoſuimus ſuper diabolum. Quod autem dicit expoliabunt te omnes reliqui populi propter ſanguinem hominũ, & impietatem terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea reliquos populos ſanctos intelligamus, qui antichriſto non ſeruierunt: à quibus expoliabitur impius propter impietatem quam exercuit, in vniuerſam terram, & vaſtationem ciuitatis eccleſiæ, & perſecutionem omnium qui habitauerunt in ea. Tanta enim vaſtitas, & tanta impietas in fine rerum Antichriſto ſæuiente, graſſabitur in eccleſijs, & multiplicata iniquitate multorum, in tantum refrigeſcet charitas, vt Dominus qui cordis arcana cognoſcit, & quod futurũ non ignorat, dixerit: Putas veniens filius hominis inueniet fidẽ ſuper terrã? *To. 2. Co. in ca. 2 Haba.*

*Arrogantia Antichriſti.*

*2. Th. 2.*

*Matt. 24.*

*2. Th. 2.*

*Impietas quanta futura ſit tẽpore Antichriſti. Luc. 18.*

VAE qui potum dat amico ſuo, &c.] cęterum ſi volumus de Antichriſto intelligere, ſiue de diabolo, qui operaturus eſt, in Antichriſto: Et iſte calice ſuo quo Chriſti cupiet ſubuertere diſciplinam, inebriabit plurimos, vt ebrij ingrediantur ſpeluncas eius; ſed poſtquam finis aduenerit, pro ea gloria qua ſe magnificauerat, implebitur ignominia. Implebitur autem, quia bibet ſupplicorũ calicem, & commouebitur nequaquam firmus in malitia ſua, ſed trepidus & ſero pœnitens, Circundabit enim eum calix dexteræ domini, qui eſt dominus atque ſaluator, quando interfecerit eũ ſpiritu oris ſui, & deſtruxerit illuminatione aduentus ſui. Tunc omnis ignominia, quam ſibi cogitationibus, factis, ſermonibus congregauit, veniet ſuper gloriam eius; vt quantum ante putabatur inclytus, tantũ poſtea ignominia plenus ſit. Blaſphemauit enim in Deum, & impietas quam exercuit in Lybano, operiet eum & multorum hominũ furor, qui aduerſum dei eccleſiã debacchati ſunt, ipſi imputabitur: nec poterit eleuare ceruicẽ, ſed terrore deprimetur in terrã. Multos .n. homines interfecit, & totum orbẽ, id eſt, Eccleſiam Chriſti & habitatores eius, ſua impietate vaſtauit: *Tom. 5. Com. in cap. 2. Habacuc.*

*2. Th. 2.*

*Antichriſt⁹ totam Eccleſiã vaſtabit.*

ET erit in die illo, ſcrutabitur Hieruſalẽ. &c.] Rectè Hieruſalem, id eſt, eccleſia (quę prius Iebus vocabatur. quod dicitur conculcata) quando conculcabatur à gentibus, & dæmonum ludibrium erat, dicta eſt Iebus, & poſtquam cœpit in eo pax habitare domini, & factus eſt in pace locus eius, nomen Hieruſalem ſortita eſt. Quia igitur in nouiſſimo tempore, quod ſæpe iam diximus, multiplicata iniquitate, refrigeſcet charitas, & ſolis lumem recedet ab Hieruſalem, & tanta erit vaſtitas vt difficile etiam ſaluentur electi dei. Tunc in lucerna ſermonis ſui, atq; rationis omnia vitia ſcrutabitur Dominus in Hieruſalem, & in medium proferet, & de ocioſo quoque verbo fiet iudiciũ & vindicta, non in peccatores (poterat enim & peccatum veniam promereri) ſed in contemptores, de quibus dicitur in Habacuc: Videte contẽptores, & aſpicite: Et in alio loco: Qnare non reſpicis ad contemptores? *To. 5. Co. in cap. 1. Sophoniæ.*

*Pſal. 15.*

*Matt. 24.*

*Matt, 12. Solis lumen recedet ab eccleſia.*

*Lucerna ſui verbi ſcrutatur deꝰ vitia*

*Hab. 1.*

*Articu. IIII. Antichriſtum non plus triennio & ſex menſibus eſſe regnaturum.*

ET tradentur in manu eius vſque ad tempus & tempora, & dimidiũ, &c.] Tempus, annum ſignificat: Tempora iuxta hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent, duos annos præfigurant. Dimidium autem temporis, ſex menſes, quibus ſancti poteſtati Antichriſti permittendi ſunt: vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati, ſuſceperunt mendacium. De quo tempore & Saluator in Euangelio loquitur: Niſi abbreuiati eſſent dies illi, nequaquam ſalua eſſet omnis caro. Non conuenire hæc tempora Antiocho, in extrema viſione dicemus. *To. 4. lib. 1. Com. in cap. 7. Danielis.*

*Tres anni & dimidiũ Antichriſti tempora.*

*Matt. 24.*

ET audiui virum qui indutus erat lineis qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cum eleuaſſet dextrã & ſiniſtram ſuam in cælum & iuraſſet viuentem in æternum, qui in tempus & tempora, & dimidium temporis.] Tempus, & tempora, & dimidium temporis, tres & ſemis annos interpretatur Porphyrius, quod & nos iuxta ſcripturarum ſanctarum idioma nõ negamus. Nam & ſupra legimus, quod ſeptem tẽpora tranſierunt ſuper Nabuchodonoſor; id eſt ſeptem anni efferationis eius: & in viſione quatuor beſtiarum ſcriptum eſt: leonis, & vrſi, pardi, & alterius beſtiæ, cuius nomen tacetur, quæ regnum ſignificat Romanorum, & poſtea de Antichriſto, quod tres reges humiliet, & ſermones contra excelſum loquatur, & ſanctos altiſsimi conteret, & putabit, ait, quod poſſit mutare tempora & leges. Et tradentur in manu eius, vſque ad tempus, & tẽpora, & dimidium temporis, Et iudiciũ ſedebit, vt auferatur potẽtia & conteratur, & diſpereat vſq; in finem. Et manifeſtè de aduentu Chriſti atq; ſanctorũ, dicit: Regnum autem & poteſtas & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi: cuius regnum, regnum ſempiternũ eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient. Si itaque ſuperiora quæ perſpicuè de Antichriſto ſcripta ſunt, refert Porphyrius ad Antiochum, & ad tres & ſemis annos, quibus templum dicit fuiſſe deſertum: ergo & hoc quod ſequitur: Regnum eius ſempiternum, & omnes reges ſeruient ei & obedient: debet probare ſuper Antiocho, vel vt ipſe putat, ſuper populo Iudæorum: quod nequaquam ſtare manifeſtum eſt. Legimus in Machabæorum libris, Ioſephus quoque in eandem conſentit opinionem: quod tribus annis templum pollutum fuerit in Hieruſalem, & in eo Iouis idolum ſteterit ſub Antiocho Epiphane, centeſimo quadrageſimo quinto anno regni Macedonum, à Caſſau menſe eiuſdẽ anni nono, vſque ad menſem nonũ centeſimi quadrageſimi octaui anni, qui faciũt annos tres. Sub Antichriſto autem nõ tres anni, ſed tres & ſemis, hoc eſt, mille ducẽti, nonaginta dies, deſolationis tẽpli ſancti, & euerſionis futuri eſſe dicũtur. *To. 4. l. 1. Co. in cap. 12. Dan.*

*Sup. 7. Sup. 4.*

*Collatiõ vaſtationis Antiochi et Antichriſti in tẽpore.*

*1. Mac. 1. Ib dem. 4. Ioſeph li. 12. cap. 12.*

*Tempus Antichriſti.*

ET à tempore quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, &c.] Hos mille ducentos nonaginta dies, Porphyrius in tempore Antiochi, & in deſolatione templi dicit completos, quam & Ioſephus & Machabæorum (vt diximus) liber, tribus tantum annis fuiſſe commemorant. Ex quo perſpicuum eſt, tres iſtos & ſemis annos, hoc eſt, mille ducentis, nonaginta diebus, ſanctos perſecuturus eſt, & poſtea corruiturus in mõte inclyto & ſancto, à tẽpore igitur ἐνδελεχισμοῦ (quod nos interpretati ſumus iuge ſacrificium) quando Antichriſtus orbẽ obtinens, Dei cultũ interdixerit, vſq; ad internitionẽ eius, tres & ſemis anni, id eſt, mille ducenti et nonaginta dies complebuntur. *Ibid.*

*Articu. V. Antichriſti tempore non defe-ctur am Eccleſiam Chriſti.*

PROPTER hoc ecce dies veniunt dicit Dominus,&c]Hoc omne capitulum in Lxx, nō habetur: Cuius hic ſenſus eſt, quod nequaquam per Moyſen populus Dei de Aegypto liberetur, ſed per Ieſum Chriſtum de omni orbe terrarum, in quem diſperſus fuerat. Quod ex parte & nunc completur in mundo: & ex toto complebitur, quando de oriente & occidente, ſeptentrione & meridie, venient & diſcumbent cum Abraham, Iſaac,& Iacob, Vt poſtquam ſubintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus fiat. *Tom. 4. lib. 4. Com. in cap. 23. Hieremiæ.*

*In fine mundi omnis Iſrael ſaluus fiet.*
*Matt. 8.*
*Rom 11.*

MATER tua quaſi vinea,&c. ]Porro ſecundùm Anagogen, quod alij ad cœleſtem referunt Hieruſalem, vt dicant ex ea in iſtam vallem lacrymarum plurimos corruiſſe, & reges eſſe deſijſſe,& vineam quōdam pulcherrimam vento vrente ſiccatam, ita vt nullus in ea virentium palmitum remanſerit, quam poſtea ſub vrbis figura plangit Hieremias: nos intelligimus ſuper eccleſiam, eo quod in nouiſſimo tempore, multiplicata iniquitate, refrigeſcet charitas multorum, ita vt probentur ſi fieri poteſt, etiam electi Dei, & principes eius capiantur retibus diaboli: qui non ſit vnius regis captione contentus, ſed quotidie reges & principes capere feſtinet, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Eſcæ eius electæ. Palmites quoque eccleſiæ, qui dudum floribus & rubori ſanguinis æquabantur, poſtea vento vrente ſiccentur. Quā expoſitionem & euangelij quoq; parabala ſonat: in qua ſole orto, ea quæ germinauerant, æſtuauerunt & repentè ſiccata ſunt: ita vix remaneat vnus è plamitibus, qui conſurgat in virgam & dignus populi princeps ſiat. Quod alijs verbis loquitur Amos: Inducam famem & ſitim ſuper terrā: nō famē panis & ſitim aquę, ſed, famē audiendi ſermonis Dei. Vnde debemus plangere & lamentari ſuper principes Iſrael, quorum vitio & ſuperbia Iudæa deſerta, & capta eſt Hieruſalem. *To. 4. li. 6. Com. in cap. 19. Ezechielis.*

*Matt. 24.*
*Anguſtiæ eccleſiæ & perſequutiōes in fine mundi.*
*Hab. 1.*
*Mar. 4.*
*Amos. 8.*

ET eduxit me ad portam, &c.] Et terra ſplendebat à maieſtate eius. Quod propriè in aduentu Chriſti factū eſt, quando in omnem terram exiuit ſonus Apoſtolorū,& in fines orbis terræ verba eorū: quotidieq; impletur in credentibus: & ad perfectum complebitur, quādo corruptiuum hoc induerit incorruptionem: & mortale iſtud fuerit immortalitate veſtitum. *Tom. 4. lib. 13. Com. in cap. 43. Ezechielis.*

*Pſal. 18.*
*Rom. 10.*

OBIECTIO.

ITE ad locum meum in Silo, &c. ]Ex præteritis docet præſentia, & dicentibus: Templum, Domini, templum Domini, templū Domini eſt: & pretioſę domus fulgore gaudentibus, Silo vbi primum fuit tabernaculum dei, recordatur hiſtoriæ, de qua in pſalmo ſcriptū eſt: Et repulit tabernaculum Silo: vt quomodo ille locus in ruinas cineresque collapſus eſt; ita & templum corruat, cū ſimilium habitatio fuerit peccatorum. Sicut igitur Silo, tēpli exemplum, ita templū nobis quando tempus aduenerit illius teſtimonij. Putas veniens filius hominus, inueniet fidem ſuper terrā? *Tom. 4. lib. 2. Com. in in cap. 7. Hieremiæ.*

*Hæc obiectio non infert eccleſiam penitus interituram ſed in magnas anguſtias in fine redigēdam.*
*Iud. 20.*
*Pſal. 77.*
*Luc. 18.*

*Articulus VI. Enoch & Eliam vſque hodie in viuis manere, eoſdem Antichriſti tempore mundo prædicaturos.*

SEPTEM hebdomadas ante reditum populi,& Nouiſſimam hebdomadam ponit in conſummatione mundi, quam diuidit in Heliæ tempora & Antichriſti: vt tribus & ſemis annis vltima hebdomadæ dei notitia confirmetur: de qua dictum eſt; Confirmabit pactum multis debdomada vna: & tribus alijs annis ſub Antichriſto deficiet hoſtia & ſacrificium. Adueniente autem Chriſto, & iniquum ſpiritu oris ſui interficiente; vſq; ad conſummationem & finem perſeueret deſolatio. *Tom. 4. lib 1. Com, in cap. 9. Danielis.*

*Vltima hebdomas in tēpora Antichriſti et Heliæ diuiſa.*
*Dan. 9.*

IN reliquijs tuis præparabis vultū illorū. ]In reliquijs tuis pręparabis vultum illorum, hoc eſt, per Eliam & Enoch credituri ſunt in finē. Pręparabis vultū illorū ad te credentiū, vt illud: Vt cōuertat corda patrum in filios. *To. 7. Com. in Pſal. 20.*

*Helias & Enoch conuertent in fine mūdi homines,*

*Articulus VII. Ante extremum iudicij diem Euangelium in vniuerſo orbe eſſe prædicandum.*

POPVLVS autem tuus omnes iuſti,&c. ] De bona plantatione per Hieremiam loquitur Deus: Ego plantaui te vineam, bonam totam, verā, quæ in Eſaia appellatur vinea Sorek. Et quia Paulus conſcientia virtutū loquentis in ſe Chriſti dicere poterat: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: Ideo ad Chrinthios loquebatur: Ego plantaui, Apollo rigauit, Dominus autem incrementū dedit. Plantati enim in domo Domini, in atrijs eius efflorefcent. Tunc qui paruulus fuit, erit in millia, audiens à domino: Eſto habens poteſtatem ſuper quinque vel decem ciuitates: ita vt appelletur χιλίαρχος: Et qui cum Apoſtolo dixerat: Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc; Princeps erit magnæ gentis in cœleſtibus: Quando tēpore conſtituto miſerit Dominus angelos ſuos, & cōgregauerint ad eū omnes ſanctos, à ſummitate cœli vſq; ad ſummū eius, nō ſolum de Iſrael, ſed & de gentium populo, quē ſignificans loquebatur: Et alias oues habeo, quæ non ſunt de grege iſto, & illas oportet me congregare vt fiat, vnus grex, & vnus paſtor. Hoc autem ſubito faciet, vt quādo omnia fuerint deſperata, tunc in gentē fortiſſimā congregētur. Quę licet ex parte in Eccleſia quotidie videamus expleri, tamen in mundi conſummatione plenius complebuntur, & in ſecundo ſaluatoris aductu. *Tom. 4. lib. 17. Com. in cap. 60. Eſaiæ.*

*Hier. 2.*
*Eſaiæ. 5.*
*1. Cor. 11.*
*Ibid. 3.*
*Pſal. 91.*
*Luc. 19.*
*Eph. 3.*
*Matt. 24.*
*Ioan. 10.*
*In mundi cōſummatione vnus grex erit & vnus paſtor.*

GENERATIO vadit,&c,] Prima recedit generatio Iudæorū, & ſuccedit generatio de gētibus, congregata: terra autē tam diu ſtat, quā diu Synogoga recedēte, eccleſia omnis introeat. Cū. n. prędicatū fuerit euangeliū in toto orbe, tunc erit finis: Imminente verò cōſummatione, cęlū & terra trāſibū. *To. 5. Co. in cap. 1. Eccleſi.*

*Synogoga recedentem introiuit eccleſia.*
*Luc. 21.*
*Non prius finis mūdi quā euangeliū annunciatū per vniuerſū orbem.*

DIES multos expectabis,&c. ]Vir ſedet, imo expectat adulteræ pœnitentiā: vt poſtquam plenitudo gentiū ſubintrauerit, & nouiſsimus crediderit Iſrael (ita vt q͂ fuerat caput, vertatur in caudā, & cauda vertatur in caput) tunc fiet vnus grex & vnus paſtor. *Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 3. Oſeæ.*

*Cauda vertetur in caput et contra.*

VLTRA flumina Aethiopiæ,&c. ]Simul conſidera quod in die iudicij, & in conſummatione mundi tollantur vniuerſa nomina dignitatum, & vnus populus remaneat, & grex ſub paſtore bono, ſit manſuetus & humilis. Tunc etiam populus Iſrael plenitudine gentiū ſubintrante (quia cōcluſit Deꝰ oēs ſub peccato, vt omnib. miſereatur.) timebunt nomen Domini. Et reliquiæ Iſrael nō



facient vltra iniquitatem, per quam Dominum negauerunt: nec loquentur vana, ineptas ſibi fabulas promittentes, nec inuenietur in ore eorum lingua mendacij, Chriſto per eos, qui veritas eſt, loquente: Tunc enim paſcentur & ipſi in vno grege, & accubabunt in Eccleſia, & veri Nabuchodonoſor impetus non timebunt. Hæc videntes & legentes tanta myſteria clamemus cum Apoſtolo, atq; dicamus: O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia tua, & inueſtigabiles viæ tuæ. Quod quidem & Propheta ſentiens, & ſecum voluens de Dei iudicijs ſuſpicabatur. In nocte cum corde meo exercebar, & ſcopebam ſpiritum meum, & dicebam: Nunquid in ſempiternum abijciet Deus: aut nō addet vt miſereatur vltra? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? & dixi: Nunc cœpi: hęc eſt immutatio dexteræ excelſi. Et eſt ſenſus: Hoc qđ putabam Dominum in æternum relinquere peccatores, & miſericordias ſuas ira ſuccedente cohibere: intellexi idcircò factū, vt immutatione dexteræ ſuę, quæ excelſi eſt dextera, vniuerſa mutaret, & miſereretur his quos ante proiecerat. Et uos igitur vt reliquiæ Iſrael, ſcientes quod reddituri ſumus rationem pro omni otioſo verbo, & quod diſperdet Dominus vniuerſa labia mendacia, nō loquamur vanitatem. Vanitas quippè vanitatū, & omnia vanitas. Et vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Nec ore noſtro mendacium proferamus: ſed accepta poteſtate calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutē inimici, nullam timeamus formidinem, nec luporum Chriſto cuſtode vereamur inſidias, ſed dicamus: Dominus illuminatio mea, & ſaluator meus, quē timebo? & cætera quæ in 26. Pſalmo continentur. *Tom. 5. Comm. in cap. 3. Sophoniæ.*

*Reliquiæ Iſrael ſaluabūtur in fine mundi.*
*Rom. 11.*
*Rom. 11.*
*Pſal. 76.*
*Elegans explicatio verſiculi pſalmi 76.*
*Matt. 12.*
*Eccle. 1.*
*Pſal. 38.*
*Luc. 10.*

ET prędicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe,&c. ]Signum dominici aduentus, eſt euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus ſit excuſabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernemus eſſe completum. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorē tamen ex vicinis nationibus, opinionem fidei non poteſt ignorare. *Tom. 6. lib. 4. Com. in cap. 24. Matthæi.*

*Ante ſecundum Chriſti aduentū in toto orbe euāgelium prædicandum,*

*Articu. VIII. Chriſtum in humana atq; viſibili forma venturum ad iudicandum humanum genus.*

ET duabus quidem velabant faciē; & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Velabāt faciem non ſuam, ſed dei, quis enim eius poteſt ſcire principium, qui antequam iſtum conderet mundum, interim fuerit in æternitate, quando thronos, dominationes, poteſtates, angelos, totūque miniſterium cœleſte condiderit? Sequitur: Et duabus velabant pedes non ſuos, ſed dei. Extrema quippe eius ſcire quis poteſt? quid poſt conſummationem ſæculi ſit futurum, quid poſtquā genus hominum fuerit iudicatum, quæ ſequatur vita? an rurſum alia ſit futura terra, & poſt tranſitionem, alia rurſum elementa, vel alius mundus ſolque condendus ſit? Priora annunciate mihi, & nouiſſima quæ futura ſunt, & dicam: quia dij eſtis, ait Eſaias; ſignificans neminē poſſe, quid ante mundum fuerit, & quid poſt mundum futurum ſit enarrare. Et duabus volabant. Media tantum cognoſcimus, quæ ex ſcripturarum nobis lectione panduntur: quando lex data ſit; vt ex vno homine vniuerſa terrarum ſpatia completa ſint & in extremo tempore, Dei filius pro noſtra ſalute ſumpſerit carnē. Cætera verò quę diximus; iſta duo Seraphim in facie pedibuſque texerunt *Tom. 3. Epiſtola. 142. ad Damaſum.*

*Eſa. 14.*
*Media nobis cognita extrema ignoramus.*

DVOS eſſe aduentus Domini Saluatoris, & omnia prophetarum docent volumina, & euangeliorum fides; quod primum in humilitate venerit, & poſtea ſit venturus in gloria. *Tom. 3. Epiſtola. 151. ad Algaſiam quæſtione 11.*

ET factum eſt verbum domini ad me, &c ]duplex conſumatio eſt: aut generaliter omniū, quādo finis mundi aduenerit, aut ſpecialiter ſingulorum, quando tempus mortis inſtiterit. *Tom. 4. lib. 9. Com. in cap. 30. Ezechielis.*

*Iudiciū particulare et vniuerſale.*

*Articulus IX. In extremo iudicio vnumquemque fidelium recepturum ſecundum opera quæ geſſit in corpore, ſiue bona ſiue mala.*

SED neque de ſecundo glorioſo aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti intermiſimus qui vēturus eſt in gloria ſua iudicare viuos & mortuos: ipſe enim ſuſcitabit omnes mortuos, & ante ſuū tribunal eſſe faciet; & vnicuique reddet ſecundū quod egit per corpus, ſiue bonum ſiue malum; ſcilicet aut coronandus in corpore, quod caſtè egit & iuſtè, aut condemnandus, quod voluptatibus pariter iniquitatibuſque ſeruiuit. *Tom. 2. Epi. 61. ad Pammachium, cap. 7.*

*Quiſque aut coronādus in corpore qui iuſte egit, aut condemnandus qui ſeruiit peccatis.*

DICIMVS & iudicium futurum, in quo iudicio vnuſquiſque recipiet propria corporis, prout geſſit, ſiue bona, ſiue mala, q̄ ſi homines recepturi ſunt ꝓ operibꝰ ſuis, quanto magis & diabolus, q̄ omnib. extitit cauſa peccati? de quo illud ſentimus, q̄ ſcriptū eſt, in Euangelio: quia & ipſe diabolus, & omnes angeli eius, cū ijs, q̄ opera eius faciunt, id eſt; qui criminātur fratres, cū ipſo pariter æterni ignis hęreditate potientur. Si quis ergo negat Diabolum æternis ignib. mancipari: partem cum ipſo ęterni ignis accipiat, vt ſentiat qđ negauit. *To. 2. li. 2. Apologiæ aduerſus Ruffinum, Cap. 1.*

*Matt 25.*
*Locus cōtrà Origeniſtas.*

ECCE Dominus diſsipabit terram,&c.] Nūc quid totus orbis in conſummatione paſſurus ſit Propheticus ſermo deſcribit: & nequaquā de ſingulis gentibus, ſed de cunctis pariter prophetatur Et primum quidem quæ impij tormenta paſſuri ſint: & quomodo iuxta euangelium & Apoſtolum pertranſeat cœlum & terra, & figura mundi iſtius, & deducantur peccatores in infernū, de quibus ſcriptum eſt: Ingredientur ad extrema terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. deinde quia pro qualitate meritorum multæ ſunt manſiones apud patrem, dicitur quomodo ſancti rapiantur in nubibus obuiam Domino in aera, & ſemper cum eo futuri ſint. Pro diſſipata terra. Lxx: corruptum orbem interpretati ſūt & pro afflicta facie illius, id eſt, terræ, ijdem tranſtulerunt ἀνακαλύψει τὸ πρόσωπον αὐτῆς, id eſt, & reuelabit faciem eius, vt procedant mortui de ſepulcris ſuis, ſiue nudabit eam, vt omnia opera eiùs proferantur in publicum, & diſpergantur habitatores eius in diuerſa loca: præmijs vel ſupplicijs deſtinati. Tunc nulla erit diuerſitas inter nobilem & ignobilem, ſacerdotem & laicum, ſeruum & Dominum, ancillam & Dominam, diuitem & pauperem, fœneratorem & eum qui ære alieno premitur, ementem atque vendentem. Omnes enim ex æquo ſtabunt ante tri-

*Matt. 24.*
*1. Cor. 7.*
*Pſal 62.*
*Iob. 14.*
*2. Th. 4.*
*Non erit προσωποληψία in extremo iudicio.*

*Rom 14. Colloſſ. 3. Iob. 3.*

bunal Chriſti:nec erit acceptio perſonarũ apud Deum. De quo & Iob eiſdem propemodum verbis loquitur. Paruus & magnus ibi ſunt, & ſeruus non timens dominum ſuum. Et Saluator in Euangelio, cui omne iudicium traditum eſt, pleno ſermone teſtatur. diſſipabitur ergo terra, & omnia terrena opera redigentur ad nihilum, vt abolita imagine χοϊκοῦ permaneat imago ſuper cœleſtis. Primus enim homo de terra terrenis, & ſecundus de cœlo cœleſtis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis ſuper cœleſtis, tales & ſuper cœleſtes: vt ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem ſupercœleſtis. Vnde idem Apoſtolus loquitur: Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Non quod ſecundum hæreticos diſpereat natura corporum, ſed quod corruptiuum hoc induat immortalitatem. *Tomo quarto, libro octauo Commentariorum in caput vigeſimum quartum Eſaiæ.*

*1. Cor. 15.*

*Ibidem*

*Subſtantia corporis non perit, ſed mutatur in reſurrectione qualitas.*

CVM feceris iudicia tua in terra, &c.] Quamdiu non exerces iudicia tua ſuper terrã, & nec bonis bona, nec malis retribuis mala: iuſtitia tua ô Domine Deus ignoratur in terra. Cùm autem iudicij die pro qualitate operum vnicuiq; reddideris, quod meretur, tunc iuſtitia tua cognoſcetur in orbe terrarum, quos prius apud incredulos videbatur iniuſta: ita vt onus Sanctorum quoque diceret: Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi greſſus mei: quoniam zelatus ſũ ſuper iniquis pacem peccatorum videns. *Tom. 4. lib. 8. Commen. in in cap. 26. Eſaiæ.*

*Ignorata dei iuſtitia in extremo iudicio cognoſcetur.*

*Pſal. 72.*

CANITE tuba in Sion, vlulate in mõte ſancto meo, &c.] Diem Domini, diem intellige iudicij: ſiue diem exitus vniuſcuiuſq; de corpore. Quod enim in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur. Dies tenebrarũ eſt & anguſtiæ, dies nubis & turbinis: quia cuncta pœnarum plena ſunt atq; cruciatuum. Veniet Angelorum populus multus & fortis, vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua, & ſicut mane & aurora conſurgens primum occupat montes: ſic iudiciũ ab excelſis & potentibus incipiet, vt potentes potenter tormenta patiantur. Similis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit vſque ad annos generationis & generationis. Omnia enim mala quæ veteribus Hiſtorijs continentur, aut inundatione maris, aut alluuione fluminum, aut peſtilẽtia, morbis, fame beſtijs, hoſtium vaſtitate, hominibus acciderunt, his ſupplicijs, quæ in die ſunt reddenda iudicij, nõ poterunt comparari. *Tom. 5. Comment. in cap. 2. Ioel.*

*Particulare & vniuerſale iudiciũ non eſt diuerſum.*

*Sapient. 6.*

*Incomparabilis ſeueritas extremi iudicij.*

ET erit in nouiſſimo dierum, &c.] Significanter hic dicitur, quod ſermo Dei egrediens de Hieruſalem, iudicet inter gentes multas, & arguat propriè populos. Nos enim quaſi peccatores iuxta operum noſtrorum menſuram iudicabit: illos verò & impios & negatores, non iudicabit, ſed arguet condemnatos. *Tom. 5. lib. 1. Comment. in caput 4. Michææ.*

*Iuxta operũ menſuram iudicabit Deus.*

ECCE ego cælabo ſculpturam eius, &c.] Dicamus Deum omnipotentem in die paſſionis filij ſui (ſiue vt Iudæi putant, in vltimo fine mundi, quando iudicaturus aduenerit) effodere, & in medium proferre opera ſingulorum, & contrectare vniuerſam terram in die iudicij: Hanc enim eſſe diem vnam: & in die illa vnumquemque Sanctorum ſocios ſuos, & amicos, qui & ipſi ſunt Sancti, vocare ad requiem, & operum ſuorũ virtute gaudere. *Tom. 5. lib. 1. Comm. in cap. 3. Zachariæ.*

IN die illa magnus erit planctus, &c.] In ſucciſione vitium & malorum, quando in die iudicij omnia deponentur nomina dignitatum, & impletum fuerit illud quod ſcriptum eſt: Ecce homo, & opera eius, & palea à tritico ſeparata: erit planctus magnus, non in alio loco, ſed in Hieruſalem. Etenim plaga atq; iudicium à Sanctis incipiet, & Reges & Sacerdotes, & Prophetæ, & doctores tundent manibus pectora, cùm mala pulcherrima viderent eſſe ſucciſa, & eum quem confixerant, in Patris ac ſua Maieſtate regnare. *Tom. 5. lib. 3. Comm. in cap. 12. Zachariæ.*

*Ezech. 9. Sec. 70.*

DICO autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, &c.] Si otioſum verbũ, quod nequaquã ædificat audientes, non eſt abſq; periculo eius qui loquitur, & in die iudicij redditurus eſt vnuſquiſque rationem ſermonũ ſuorum, quãtò magis vos, qui opera Spiritus ſancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorũ eijcere dæmonia, reddituri eſtis rationem calumniȩ veſtrȩ? Otioſum verbũ eſt, quod ſine vtilitate & loquentis dicitur, & audientis: ſi omiſſis ſerijs, de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſoluit, & aliquid profert turpitudinis: hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus. *Tom. 6. lib. 2. Comm. in cap. 12. Matthæi.*

*De qualibus verbis iudicabimur.*

AMEN dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibꝰ, &c.] Terrorem Apoſtolorũ ſpe medicari voluerat promiſſorũ, dicens: Filius hominis venturus eſt, in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. Inſuper authoritate Iudicis addita, & reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. *To. 6. lib. 3. Com. in cap. 16. Matth.*

*Spes promiſſorum timori medetur.*

IDEO ſumite omnia arma Dei: vt poſſitis reſiſtere in die malo, &c.] Diem malam aut præſens tempus oſtendit, de quo ſupra dixerat: Redimentes tẽpus, quia dies mali ſunt) propter anguſtiam & vitæ huius labores: quia non abſque ſudore & certamine peruenimus ad palmam: aut certè conſummationis atq; iudicij: quãdo diabolus inimicus & vindex, in ſua nos cupiet parte retinere, de qua liberabitur, qui intelligit ſuper egenũ & pauperem: In die enim mala liberabit eum Dominꝰ. Hæc eſt dies, de quo & in alio ſcriptum eſt: Ecce veniet dies iræ Domini. Et alibi: Dies enim Domini inſanabilis veniet, furoris & irȩ. Et rurſum: Væ deſiderantibus diem Domini. & hæc eſt tenebræ, & non lux. Quemadmodum ſi fugiat homo à facie leonis, & incurrat in vrſum: & introeat in domum ſuam, & reclinet manus ſuas ſuper parietem, & mordeat eum coluber: Nonne tenebræ dies Domini, & non lux, & caligo non habens ſplendorem? Quomodo enim non mala eſt hæc dies, quæ tenebris & caligine inuoluitur? De qua Ioel quoq; Propheta commemorat, dicens: Canite tuba in Sion: prædicate in monte ſancto meo, & confundentur omnes, qui habitant terram: quoniam adeſt, dies Domini: quia prope eſt dies tenebrarũ, & turbinis, dies nebulæ & caliginis. Et Sophonias de eadem die loquitur, dicens: Prope eſt dies Domini magna, prope & velox nimis. Vox diei Domini amara, & dura, & fortis: dies iræ dies illa, dies anguſtiæ & neceſſitatis, & reliqua. Poſt quæ infert: Et affligam homines, & ambulabunt vt cœci, quia Domino peccauerunt. Vt igitur poſſit quis in hac die diabolo reſiſtere (quia ipſe eſt accuſator fratrum noſtrorum) aſſumat omnia arma Dei (hoc enim ſonat πανοπλία: non vt in Latino ſimpliciter, arma translata) & omnibus telis armiſque

*Epitheta diei Domini varia.*

*Pſal. 40.*

*Eſa. 13. Amos. 5.*

*Ioel 2.*

*Sophon. 1. Sec. 70.*

*Apoc. 12.*



armiſque ſuccinctus (de quibus in ſequentibus explicatur) ſciat tunc ſe ſtare poſſe, ſi vniuerſa fuerit operatus: vt plenus cunctis virtutibus, ſtabilem figat gradum, & non moueatur de acie: ſitque ex his de quibus Dominus ait: Sunt quidam de hic ſtantibꝰ: Et in alio loco: Etenim fide ſtatis. Et Pſalmiſta: Statuit (inquit) ſupra petram pedes meos. *Tom. 6. libr. 3. Commentar. in caput ſextum ad Ephesios.*

*Matt. 16. 2. Cor. 1. Pſal. 39.*

## *Articulus X. Corpora Electorum reſuſcitanda, accepta iam immortalitate, poſt ſupremi iudicis ſententiam, in locis cœleſtibus eſſe conſtituenda.*

HIC Papias dicitur, mille annorum Iudaicam edidiſſe δευτέρωσιν, quem ſecuti ſunt Irenæus & Apollinarius, & cæteri, quæ poſt reſurrectionem aiunt in carne cum ſanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de ſpe fidelium, & Victorinus Pictauienſis, & Lactantius hac opinione ducuntur. *Tom. 1. de Viris Illuſtribus in Papia.*

*Error Chiliaſtarum ſeu Millenariorũ*

ET duo libri aduerſum Nepotem, Epiſcopũ qui mille annorum corporale regnum ſuis ſcriptis aſſeuerat: in quibus & de Apocalypſi Ioannis diſputat. *Ibidem de Dyoniſio Alexandrino.*

IOB (vt de cæteris ſileam) reſurrectionem corporum ſic prophetat, vt nullus de ea vel manifeſtius, vel cautius ſcripſerit. Scio, inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum: & rurſum circundabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei cõſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. *To. tertio, Epiſt. centeſima trigeſima tertia ad Paulinum cap. 7.*

*Iob. 19.*

QVAERIS Dardane, Chriſtianorum nobiliſſime, & nobilium Chriſtianiſſime, quæ ſit terra repromiſſionis, quam Iudȩi redeuntes ex Aegypto poſſederunt, cum à maiorib. eorum iam fuerit ante poſſeſſa, ac proinde non ſit promiſſa, ſed reddita, his enim verbis vteris in calce Epiſtolæ tuæ. Quod interrogans videris illud ſentire, qđ plurimis noſtrorum placet, aliam repromiſſionis terram eſſe quærendam de qua & Dauid loquitur in Pſalmo: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et Dominus in Euangelio: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

*[illegible] verũ [illegible] repromiſſionis.*

Vtique Dauid, quando hæc cantabat in ſpiritu in terra repromiſſionis erat; & non ſolum in Iudææ finibus morabatur, ſed & multarum in circuitu nationum victor extiterat, quæ à torrente Aegypti, qui eſt Rhinocoruræ, vſq; ad Euphratem fluuium tendebantur, dicens in alio loco, In Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ ſeruient. Quo modo ergo ſe credebat accipere, quod iam victoria poſſidebat? Et ne forſitan legentibus Iudæis ambiguum derelinquat, quæ ſit illa terra, quam videre cupiebat, in ipſo ſermone demonſtrat dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Ergo terra Iudææ, quæ illius ditionis erat, non eſt terra viuentium, id eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob, de quibus Dominus in reſurrectionis quæſtione dicit: Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium: verũ terra & regio mortuorum, de quibus loquitur Ezechiel: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur: Et non mortui laudabunt te Domine, ſed nos, qui viuimus, benedicimus Domino, qui in reſurrectione occurſuri ſumus Domino ſaluatori, dicente Apoſtolo: Hoc enim dico vobis in ſermone Domini, quoniam nos qui viuimus, qui relinquimur in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt: de quibus & Hieremias loquitur. Derelinquentes te ſuper terram ſcribentur. Quodque Dauid promittit: Credo videre bona Domini: ad ſpiritualem nos perſpicuè trahit intelligentiam. Quæ enim bona rex alia requirebat, aut quo indigebat, qui tantæ potentiæ fuit, vt partis per illum opibus, Salomon filius eius, quo nullus in orbe terrarum ditior fuit, contentus eſſet? Sed in terra viuentium bona illa quȩrebat, quȩ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe: Quod autem in Euangelio dicitur: Beati mites quoniam ipſi poſſidebũt terram: iuxta litteram ſibi videtur eſſe contrarium. Non enim terræ poſſeſſio manſuetorum eſt, & mitium, qui ſæpe etiam à parentibus derelicta perdunt propter manſuetudinem, ſed virorum fortium, & violentorum, qui ſunt ad bella promptiſſimi. Denique & in Pſalmo quadrageſimo quarto, qui ſub nomine Salomonis ad Chriſti Eccleſiæque eius ſacramentum refertur, ſcribitur: Accingere gladio tuo ſuper femur tuũ potentiſſime, Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperare, & regna. Propter manſuetudinẽ, & iuſtitiam, & veritatem, & deducet te mirabiliter dextera tua. Hic eſt, qui & in Pſalmo loquebatur: Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius; Et iterum: Aſſumens manſuetos Dominus & apertius in Euangelio: Diſcite à me, quia humilis ſum, & manſuetus corde. In cuius typum & Moyſes omnium hominum, qui erant ſuper terram, manſuetiſſimus ſcribitur. Hȩc eſt, vt diximus, terra viuentium, in qua ſanctis viris atque manſuetis bona Domini prȩparantur: quã ante aduentum in carne Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob, nec prophetȩ & alij iuſti viri conſequi poterunt. Denique & Abraham, licet diuerſis locis, cum Lazaro videtur apud inferos, & Iacob, vir iuſtus, dicit: Lugens, & gemens deſcendam ad infernum, Sanguis Chriſti clauis paradiſi eſt, dicentis ad latronem: Hodie mecum eris in paradiſo, Iſta eſt, vt diximus, terra viuentium, terra diuitiarum, & bonorum Dei quam primus Adam perdidit, & ſecundus Adam inuenit: imo ab illo perditam iſte reſtituit, dicente Apoſtolo: Regnauit mors ab Adã vſque ad Myoſen: ſub cuius perſona lex intelligitur, in ſimilitudinem præuaricationis Adam, qui eſt forma futuri: Volumus ſcire manifeſtius quæ ſit hæc terra: legamus Malachiam: Beatos vos dicent omnes, dicit Dominus, quoniam eritis vos, in terra voluptaria, quæ ſignificãtius Græcè appellatur θελητή, quam vel ſancti deſiderant, vel quæ Deo placeat. Eſaias quoque in hæc verba conſentit, dicens: Et erit vir abſcondens ſermones ſuos, & apparebit in terra Sion, ſicut fluuius glorioſus in terra ſitienti, Quæ eſt terra Siõ, in qua apparebit fluuius glorioſus? illa videlicet, de qua idem Dauid in alio Pſalmo canit: Glorioſa de te dicta ſunt ciuitas Dei. Et iterum: Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Nunquid iſtas portas diligit Deus, quas videmus in cineres, & fauillas eſſe conuerſas? Non dico prudentibus, ſed ne ſtultis quidem hoc perſuaderi poteſt. Ego arbitror & illud, quod in ſexa-

*Quæ ſit vera beatorũ terra nempè cœlum.*

*Terram Iudeæ non omnẽ terram viuentium.*

*Spiritualis intelligentia terræ promiſſæ.*

*In terra viuentium ſanctis bona præparantur, quæ ante Chriſti aduẽtum nulli iuſti potuerunt conſequi.*

*Sanguis Chriſti clauis paradiſi.*

*Deſcriptio lata cœleſtis regionis.*

ſexageſimo quarto Pſalmo legimus: Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Fluuius Dei repletus eſt aquis: paraſti cibũ illorum quoniam ſic eſt præparatio eius: ſi lcos eos inebria; multiplica genimina illius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans: huic ſenſui conuenire: illa enim terra quotidie viſitatur à Deo, & inebriatur cunctiſq́; plena eſt diuitijs. de hac fluuius egreditur Dei, de quo ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: qui & in deſcriptione templi Ezechielis myſtico ſermone narratur: in cuius ripis arbores ſunt ex vtraq; parte, per ſingulos menſes nouis frugibus abundantes. De quo terra & in Prouerbijs vir ſcripſit ſapientiſſimus: Qui operatur terram ſuam implebitur panibus? Quod ſi de hac terra, quã cernimus; & quæ magis à peccatoribus poſsidetur, de qua ſcriptum eſt: Maledicta terra in operibus tuis: aliquis intelligendum putat: reſpõdeat quomodo hæc poſſit ſtare ſententia: qui operatur terram ſuã, implebitur panibus? quanti enim operãtur, terrã & exercẽt vomere: & terrã, multis impedientibus cauſis, egeſtate conficiuntur & penuria? Sed conſiderandum eſt, ſcriptura quid dicat: Qui operatur terram ſuam, quę propriè iuris ſui eſt, de qua nunquam eijci poteſt, ſecundum quẽ ſenſum & illud ſcriptum eſt: Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ. Ex hoc ſecundum litteram ſentiri non poteſt, quanti enim alienis amicorumq́; redimuntur pecunijs? Huius terræ cultores, & agricolæ Apoſtoli ſunt, de quibus dicitur: vos eſtis ſal terræ. Et in alio loco: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: quorũ vnus vas electionis, confidẽtiſsimè loquebatur: Dei enim cooperatores ſumus, Dei agricultura, Dei ædificatio: & multa alia, quæ iccirco non replico, ne ſenſum legentis videar obtundere, & memoriæ illius diffidere. Illud quoq; ſolicita mente tractemus, & ſcripturarum nos doceat auctoritas, ſanctos huius terræ, quam Iudæi terram repromiſſionis autumant, non habitatores eſſe, ſed accolas, atque peregrinos. Ex iuſti viri legimus perſona, Aduena ſum ego & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Qui cum diu in terræ huius tenebris verſaretur, flebiliter ingemiſcit & dicit: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Vbicunque autem habitator terræ legitur, & priora, & media, & extrema tractemus & liquido ſcripturarum poterit regula comprobari, ſemper habitatores terræ peccatores appellari: de quibus in Apocalypſi Ioannis illud exemplum eſt: Væ habitatoribus terrę. Abraham, ad quem primum facta eſt promiſſio, dicente Domino; Tibi dabo terram hanc, & ſemini tuo: iuxta Stephani in Chriſto primi martyris concionem, ne veſtigium quidem pedis huius terræ dicitur accepiſſe. Ita enim ſcriptum eſt: Tunc egreſſus de terra Chaldæorum habitauit in Carram: & inde poſtquam mortuus eſt pater eius, migrauit in terram, in qua vos nunc habitatis, & nõ dedit ei poſſeſſionem, ne veſtigium quidem pedis, quam repromiſit dare ei in poſſeſſionem & ſemini eius poſt eum. Ac ne forſitan lectoris tacita cogitatio trahat eum ad illam intelligentiã; vt quod non eſt datum parenti reddatur poſteris: vas electionis loquitur ad Hebræos; Fide qui vocatur Abraham, obediuit egredi in locum, quem accepturus erat in poſſeſſionem: & egreſſus eſt, neſciens quo iret. Fide peregrinatus eſt, in terra promiſſionis, quaſi in aliena, in tabernaculis habitans cum Iſaac & Iacob, & cohęredibus eiuſdem promiſſionis: expectabat enim fundamentum habentem ciuitatem, ciuitatem, cuius artifex & creator Deus eſt. Et iterum cum de Abel, & Enoch, Noe, Saraque dixiſſet, intulit: Iuxta fidem mortui ſunt hi omnes, non acceptis repromiſſionibus, ſed procul eas videntes & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & aduenæ erant ſuper terram. Qui enim hæc loquũtur: oſtendunt quod aliam quærant patriam: & ſiquidem illius recordabantur, de qua egreſsi erãt; habebant tempus, vt reuerterentur, nunc vero meliorem deſiderant, id eſt, cœleſtem. Multiſq́; in medio ſanctis commemoratis, ad extremum intulit. Et hi omnes teſtimonium habentes in fide, non acceperunt repromiſſionem, Deo de nobis melius quid prouidẽte, ne ſine nobis perfecti fierent. Acceſſimus enim ad montem Sion, & ciuitatem DEI viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui ſcripti ſunt in cœlis. Nec me fugit, quod perfidia Iudæorum hæc teſtimonia non ſuſcipiat, quæ vtiq; veteris teſtamenti auctoritate firmata ſunt. Illud noſtris dicendum eſt; hanc Epiſtolã, quę inſcribitur ad Hebręos nõ ſolum ab Eccleſijs oriẽtis, ſed ab omnibus retro Eccleſijs, & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet pleriq; eã vel Barnabę, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit: cũ Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorũ conſuetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas: nec Gręcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos vtramq; ſuſcipimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerunque vtriuſq; abutuntur teſtimonijs, nõ vt interdum de Apocryphis facere ſolent: quippe qui & gentilium litterarum raro vtantur exemplis, ſed quaſi canonicis & Eccleſiaſticis. *Tom. 3. Epiſt. 129. ad Dardanum.*

*Cœleſtis terra eſt plena cunctis diuitijs.*

*Agricolæ cæleſtis terræ Apoſtoli.*

*Terræ repromiſsionis Iudaicæ non incolæ ſed peregrini ſunt.*

*Regula ſcripturarum habitatores terræ peccatores appellari*

*Alia vera terra repromiſsionis quã Iudaica.*

*Auctoritas Epiſtolæ ad Hebræos vide ſupra lib. 1. de Canone ſcripturæ.*

*Vide lib. 1, tit. 7. art. 3. de Canone ſcripturæ.*

VIVENT mortui tui & interfecti mei reſurgent, &c. ] Sanctis parturientibus & parientibus ſpiritum, & habitatoribus terræ corruentibus, quia ſalutes non fecerũt in terra. Hi quos in Chriſto mortuos Apoſtolus vocat, & propter nomen Domini interfecti ſunt, reſurgent in gloria. Et quia mors eorum ſomnus eſt, nequaquam iuxta LXX. reſurgere, ſed expergiſci & euigilare dicũtur. Vnde & Lazarus qui euigilaturus erat, à Domino dormiens appellatur. Omnes igitur martyres & ſancti viri qui pro Chriſto fuderunt ſanguinem, & quorum fuit tota vita martyrium, reſurgent & euigilabunt, atque laudabunt Deum creatorem ſuum, qui nunc habitant in puluere, de quibus in Daniele ſcriptum eſt: Multi dormientium in terræ puluere, reſurgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & confuſionem ſempiternam. Et in Ioanne Euangeliſta legimus: Veniet hora & nunc eſt, quando qui in ſepulchris ſunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent: & egredientur qui bona fecerũt in reſurrectionẽ vitæ, & qui in mala in reſurrectionem iudicij. *Tom. 4. lib. 8. Commentar. in caput 26. Eſaiæ.*

*1. Tim. 4.*

*Ioan. 11.*

*Mors eſt ſomnus.*

*Dan. 12.*

*Ioan. 5.*

QVI conuertitis in abſynthium iudiciũ, &c. ] Transformat Deus omnia, quando facit de terrenis cœleſtia, & homines angelorum donat ſimilitudine: quando luna ſolis fulgore rutilabit, & ſol habebit lumen ſextuplum: quando animal, & infirmus, & corruptibilis homo transformatur in ſpiritualem, & robuſtum, & in incorruptum, mutans gloriam non naturam: quando intelligentes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & implebitur quod ſcriptum eſt: alia gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Quando omnis creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem glorię filiorum Dei. *Tom. 5. libr. 2. Commentarior. in cap. 5. Amos, Folio 108.*



*Homines angelorum donandi ſimilitudine.*

*Sanctorum non mutabitur natura ſed gloria.*

*Dan. 12.*

*1. Cor. 15.*

*Rom. 8.*

VIDE de reſurrectione carnis fuſè diſſerentem Hieronymum. *Tomo ſecundo, Epiſtola. 61. ad Pammachium primum quidem tribus ſeptimo, octauo, nono, capitibus, aduerſus Origenis de reſurrectione errores. Deindè ex ſua ſententia, quatuor capitib. 10. 11. 12. 13. corporum reſurrectionem aſtruentem.*

### *Articulus II. Summam & vltimam beatitudinem electorum in contemplatione, ſeu fruitione diuinæ eſſentiæ conſiſtere.*

QVIA obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ, &c. ] Cauſa lætitiæ & confeſsionis Dei veri eſt, quia æterna anguſtiarum priorum ſuccedet obliuio, vt nequaquam idolorum meminerint, & erroris priſtini, ſed ad lucem de tenebris tranſeant, vt æterna beatitudine perfruantur. Obliuiſcantur enim priſtina mala; non obliuione memoriæ, ſed bonorum ſucceſſione, iuxta illud quod ſcriptum eſt: In die bona, obliuio malorum. Et alibi: Afflictio horæ, obliuionem facit delitiarũ: eo quod in anguſtijs conſtituti, nequaquam voluptatibus priſtinis, iuxta errorem Epicuri animo perfruantur. Licet poſſit & hoc dici, quod in cælo nouo & in terra noua omnis conuerſationis priſtinæ memoria deleatur: nec hoc ipſum pars malorum ſit, prioris anguſtiæ recordari. Cælum autem nouum & terram nouam qui putant omnia interire quæ cernimus, euangelij interpretantur teſtimonio. Cælũ & terra tranſibunt. Et Pauli Apoſtoli. Quæ enim videntur tẽporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna. Porrò qui nouitatem commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, illi vtuntur exemplo: A principio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt cæli: Ipſi peribunt; tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & quaſi amictum inuolues eos, & mutabuntur. In quo perſpicuè demonſtratur perditionem & interitum, non abolitionem in nihili, ſed commutationem ſonare in melius. Neque enim illud in alio loco ſcriptum eſt: Luna fulgebit vt ſol, & ſol ſextuplum lumen accipiet: interitum ſignificat priſtinorum, ſed commutationem in melius. Quod vt poſſit intelligi noſtræ conditionis ponamus exempla: Infans cũ in puerum creuerit, & puer in iuuenem & iuuenis in virum, & vir in ſenem, nequaquam per ſingulas ætates perit. Idem enim eſt, qui prius fuit, ſed paulatim immutatur, & ætati priſtinæ periſſe dicitur. Quod intelligens & Paulus Apoſtolus loquebatur. Præterit enim figura huius mundi. Conſideremus quid dixerit: Figura præterit non ſubſtantia. Hoc idem ſignificat & Petrus. Latet eos hoc volentes, quoniam cæli erant ab initio, & terra de aqua, & per aquam Dei ſermone ſubſiſtit: per quæ prior mundus inundatus diluuio perijt. Cæli autem qui nunc ſunt, & terra, eadem ratione ſeruantur igni: quod quo ſenſu accipiendum ſit, poſtmodum docet. Nouos autem cęlos, & nouam terram, videbimus, ſed veteres & antiquos in melius commutatos. Poſſumus & hoc dicere, quod conuerſi ab idololatria, & priſtino errore deſerto, nouos cælos & nouam terram videant: nequaquam arbitrantes elementa Deos, & ea quæ naſcuntur ex terra. Nunc confitemur cælum & terram opera eſſe manuum Dei: Illo autem tempore ſeruos & creaturam venerabamur obſequio Dei: quod & Dauid ſentiens cantat in Pſalmo. Videbo cælos opera digitorũ tuorum, non quo eo tempore cęlos non viderit cum iſta dicebat, ſed quo per ſingula argumenta virtutum & futurorum ſcientiam, nouos videat, quos veteres iam videbat. Quod autem in fine huius teſtimonij dicitur: Quæ ego creo, à LXX. prætermiſſum eſt. Quia ecce ego creo Hieruſalem, &c. ] Gaudere, inquit, & exultare debetis lętitia ſempiterna in creatione nouorum cęlorum & terræ nouæ, & priorum penitus non meminiſſe: ne qua vobis recordationis antiquæ triſtitia oriatur: quia non ſolum cælos nouos & terrã nouam, ſed Hieruſalem quoque creabo in exultatione, & populum eius in gaudio. Haud dubium quin vniuerſæ terræ, vt quæ vetus vni genti gaudium erat, noua cunctis nationibus lætitię ſit. In tantum autem exultatio erit omnium atque lętitia ſuper vrbe & populo Dei, vt ego quoque cõditor eius exultem & gaudeam ſuper Hieruſalẽ, & ſuper populo meo: qui comedet & bibet & lętabitur, & exultabit in ea, & qui in nomine nouo fuerit appellatus, *in cap. 65. Eſaiæ.*

*In cælo ſolorum bonorũ memoria & obliuio malorum.*

*Eccle. 11.*

*Matt. 24.*

*2. Cor. 4.*

*Quidam putant elementa non interitura ſed cõmutanda in melius & quibus teſtimonijs,*

*Pſal. 101.*

*Sup. 30.*

*Commutationis elementorũ exemplũ à ſimili.*

*1. Cor. 7.*

*Commutatio veterum & antiquorum in noua.*

*Pſal. 8.*

*Gaudium et lætitia in cælo.*

ET non audietur in ea, &cæt. ] Neque enim congruum erit vt in ciuitate Hieruſalem & populo, qui exultationis & gaudij ęternam ſuſcipiet creaturam, audiatur vltra vox fletus & clamoris: quando abierint dolor, meror, & gemitus. Contraria quippe ſimul eſſe non poſſunt. Et vbi exultatio eſt & gaudium (qui fructus eſt Spiritus ſancti) ibi fletus & planctus non poteſt commorari: qui aptus eſt lamentantibus atque lugentibus, & præcipuè clamor, quem de Eccleſia credẽtium Paulus expellit: ne in ſimilitudinem Iudęorum pro iudicio faciamus clamorem. In tali vrbe diuerſæ ætates non erunt, infans & ſenex, paruus & magnus, qui non impleat dies ſuos: ſed quaſi filij reſurrectionis, omnes peruenient in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt nec deſint alicui annorum ſpatia, nec ſuperſint, & alio necdum ſolidas habente vires, alius deſinat eſſe quod fuerit, & decrepita ætate marceſcat. Perueniéntque omnes ad centenarium numerum: qualis fuit Abraham, qui promiſſionem filij Iſaac, hac ætate ſuſcepit. De cuius numeri laudibus, non neceſſe eſt plurima me morare, ne ſuperflua ſit diſputatio. Hoc tantum dicimus, quod decem decades æqualia habeat latera, & quadræ formæ poſſideat firmitatem. In repromiſſionibus quoque pro his quæ contempſimus, multiplicata nobis centuplum Dominus pollicetur, & in bonam terram ſementis cadens, primum habet vberrimæ frugis numerum centenarium. Denique & Iſaac vnam ſementem iaciẽs fidei,

*Gal. 5.*

*Ephe. 4.*

*Beatorum ætas.*

*Gen. 21.*

*Matt. 19.*

*Luc. 8.*

*Gen. 26.*

fidei, hoc numero laboris ſui opera multiplicata ſuſcepit. In illo igitur tempore quando ætas fuerit vna cunctorum & ſanctus & peccator erunt ſimili reſurrectione perfecti: nec inter ſe variabunt tempore: ſed alius ad præmia, alius ad ſupplicia pertrahetur. Et in eo peccator maledictus erit, quod in corrupto corpore pœnas patietur æternas. Illud quoque quod in Apocalypſi Ioannis legimus: poſt reſurrectionem exhiberi pręſentiæ iudicis paruos & magnos: non ætatum ſed meritorum ſignificat differentias. Qui enim paruus eſt, iuxta ſententiam Salomonis, dignus eſt miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur. In quem ſenſum & Domini verba conſentiunt. Seruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit eam, vapulabit multis. *Tom. 4. lib. 18. Com. in cap. 65. Eſaiæ.*

*Meritorum in beatis differentia.* — *Apocal. 20.* — *Sap. 6.* — *Luc. 12.*

## *Articulus XII. De Antichriſti & nouiſſimorum temporum ſumma impietate.*

ET Deum patrum ſuorũ non reputabit, &c.] Pro eo quod nos interpretati ſumus, & erit in concupiſcentijs fœminarum: Lxx. tranſtulerunt, & concupiſcentijs mulierum non ſubiacebit. Rurſum pro Deo mauzzim, quod habebatur in Hebraico, Aquila tranſtulit, Deum fortitudinum Lxx. Deum fortiſſimum. Quia verò in Hebraico pro eo quod nos diximus, & erit in concupiſcentijs fœminarum, ambiguè poſitum eſt: dicente Aquila, qui verbum expreſſit è verbo: καὶ ἐπι θεὸν τῶν πατέρων αὐτοῦ ου συνήσει, καὶ ἐπὶ θυμιαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα θεὸν οὐ συνήσει, id eſt, & ſuper Deum patrum ſuorum non intelliget, & ſuper concupiſcentiam fœminarum, & ſuper omnem Deum non intelliget. Quibus verbis intelligitur & habere eũ concupiſcentiam fœminarum, & non habere. Si legerimus & intellexerimus ἀπὸ κοινοῦ, ſuper concupiſcentiam fœminarum non intelliget, de Antichriſto facilior interpretatio eſt: quod ideo ſimulet caſtitatem, vt plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus & ſuper concupiſcentiam fœminarum, vt ſubaudiatur, erit: Antiochi perſonæ magis coaptabitur: qui luxurioſiſſimus fuiſſe dicitur, & intantũ dedecus per ſtupra, & corruptelas veniſſe regiæ dignitatis: vt mimis quoque & ſcortis publicè iũgeretur, & libidinẽ ſuam populo præſente, compleret. Deum Mauzzim ridiculè Porphyrius interpretatus eſt, vt diceret in vico Modin (vnde fuit Mattathias & filij eius) Antiochi duces, Iouis poſuiſſe ſtatuam, & compuliſſe Iudæos, vt ei victimas immolarent: id eſt, Deo Modin. Quod autem ſequitur, & Deum, quem ignorauerũt patres eius, colet: hoc magis Antichriſto, quam Antiocho conuenit: Legimus enim Antiochum idolorum Græciæ habuiſſe cultum, & Iudæos atque Samarites ad venerationem ſuorum Deorum cõpuliſſe. Nec non & hoc quod infert, & faciet vt muniat Mauxim cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito. Theodotio ita interpretatus eſt: Et aget hęc, vt muniat præſidia cum Deo alieno, & cum eis oſtenderit, multiplicabit honorem, & dominari eos multis faciet, & terram diuidet gratis. Pro præſidijs, cõfugia interpretatus eſt, Symmachus: quod Porphyrius ita ediſſerit: faciet hæc omnia vt muniat arcem Hieruſalem, & in cęteris vrbib. ponat pręſidia, & Iudæos doceat adorare Deum alienum: haud dubium quin Iouem ſignificet. Quem cũ illis oſtenderit, & adorandum eſſe perſuaſerit, tunc dabit deceptis honorem, & gloriã plurimam: & faciet cæteris qui in Iudæa fuerint, dominari, & pro præuaricatione poſſeſsionis diuidet, & dona diſtribuet. Antichriſtus quóq; multa deceptis munera largietur, & terram ſuo exercitui diuidet: quoſque terrore non quiuerit, ſubiugabit auaritia. *Tom. 4. libr. 1. Comment. in cap. 11. Danielis.*

*Antichriſti impudicitia.* — *1. Marc. 2.* — *Antichriſti idololatria.* — *Antichriſti tyrannis & auaritia.*

NE læteris inimica mea ſuper me, &c.] Et in die illa veteres abijciet errores, ciuitateſque illius quæ malè munitæ fuerant, venient in concluſionem ſiue in diuiſionem & diuidentur ab Aſſyrijs, de Tyro quoque (quæ interpretatur συνοχὴ, id eſt, anguſtia) conſurgent aliæ fortitudines, & erit ſeditio vſque ad eos, qui ſæculi huius reumate delectantur, & libidines generant in hominibus. Et de mari vſque ad mare, & de monte vſque ad montem inuicem bella conſurgent: & amaritudo pugnet contra amaritudinem, & erigens ſe humilianda ſublimitas, contra aliam dimicet altitudinem, & tunc verè compleatur: Venite, deſcendamus, & confundamus linguas eorum, ne audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui, prodeſt quippe fortitudines peſſimas inter ſe nõ habere concordiam. Et cum ſathanas aduerſus ſathanam diuiſus fuerit, tunc demum omne regnũ illius deſtruetur: Et quod frequenter in magnis exercitibus euenire ſolet: vt interfecto tyrãno, ſatellites eius regnum inter ſe diuidant, contra ſeque conſurgant, & inteſtinum inter eos bellum ſit. Hoc & in conſummatione mundi fiet; quando Hieruſalem maceriæ fuerint ædificatę, & Babylon corruerit: Aſſyrijque & Tyrij, de flumine & de mari, & de maribus, id eſt, vniuerſæ inter ſe pugnabunt dæmonum nationes, & diſſipato regno illo fiat regnum Domino Ieſu, & omne genu flectetur, cæleſtium terreſtrium & infernorum, & vniuerſa lingua confitebitur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris. *Tom. 5. lib. 2. Com. in cap. 7. Micheæ.*

*Prodeſt fortitudines peſſimas non habere concordiam inter ſe.* — *Gen. 11.* — *Matt. 32.* — *In conſummatione mundi diuiſa regna.* — *Phil. 2.*

CVM videritis abominationem deſolationis, &cęt.] Quando ad intelligentiam prouocamur, myſticum monſtratur eſſe quod dictum eſt. Legimus autem in Daniele hoc modo. Et in dimidio hebdomadis auferetur ſacrificium & libamina; & in templo abominatio deſolationum erit vſque ad conſummationem temporis, & conſummatio dabitur ſuper ſolitudinem. De hoc & Apoſtolus loquitur: quod homo iniquitatis & aduerſarius, eleuandus ſit contra omne quod dicitur Deus, & colitur ita vt audeat ſtare in templo Dei, & oſtendere quod ipſe ſit Deus: cuius aduentus ſecundum operationem Satanę deſtruat eos, & ad Dei ſolitudinem redigat, qui ſe ſuſceperint. Poteſt autem ſimpliciter aut de Antichriſto accipi aut de imagine Cæſaris, quam Pilatus poſuit in templo; aut de Hadriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo ſancto ſanctorum loco vſque in præſentem diem ſtetit. Abominatio quoque ſecundum veterem ſcripturarum conſuetudinem idolum nuncupatur: & idcirco additur deſolationis: quod in deſolato templo atq; deſtructo, idolum poſitum ſit. *Tom. 6. libr. 4. Commentariorum, in cap. 24. Matthæi.*

*Dan. 9. Sec. 70.* — *2. Th. 2.* — *Antichriſti diabolica impietas.*

*Art. XIII.*



## *Articulus XIII. Mundum per ſex ætates duraturum.*

ET erit in nouiſſimo dierum mons domus Domini præparatus, in vertice montium, &c.] Iſte mons Domini in nouiſſimo dierum oſtenſus eſt, quando appropinquauit regnum cælorũ. Si quidem in conſummatione ſæculorum in reprobationem peccati, per hoſtiam ſuam ſaluator noſter apparuit, & vndecima hora ad conducendos operarios venit. Et completa illius paſſione Ioannes loquitur. Nouiſſima hora eſt: in ſex millibus enim annis, ſi quingenti anni per horas diei ſingulas diuidantur, nouiſſima hora conſequenter dicetur tempus fidei gentium. *Tom. 5. lib. 1. Cõ. in cap. 4. Micheæ.*

*Matt. 1.* — *1. Ioan. 1.*

SERAPHIM ſtabant ſuper illud, &c.] In Cherubim ergo oſtenditur Dominus: in Seraphim ex parte oſtẽditur, ex parte celatur. Faciem enim & pedes eius operiunt: quia & præterita ante mũdum, & futura poſt mundũ, ſcire non poſſumus; ſed media tantum, quæ in ſex diebus facta ſunt, contemplamur. *Tom. 4. libr. 3. Commentariorum, in cap. 6. Eſaiæ.*

## *PARAENESIS HIERONYMIANA*

*Epilogi vicem obtinens, ex ſelectioribus & illuſtrioribus, paucis teſtimonijs contexta, quibus ad obſeruantiam cultũque Catholicæ religionis, et apertam profeſsionem et ad fugiendas hæreſes omnes B. Hieronymus fideliter ſeduloqúe commone facit.*

CATHOLICAE fidei ſimplex, pura & aperta debet eſſe confeſſio, eaque fides liberè & audacter profitenda. Incomparabiliter pulchrior eſt veritas fidei Catholicæ, quam Helena Græcorum: pro iſta enim fortius noſtri martyres aduerſus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroës aduerſus Troiam dimicauerunt. Quiſquis es aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus; parcas fidei, quæ Apoſtoli ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit, illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. *To. 2. Epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum cap. 3.*

*Tom. 2. Epi. 61. ad Pammach. cap. 6. & latius ca. 1. ibid.* — *Tom. 2. Epi. 87. quæ eſt Auguſt. ad Hieronymũ.*

NON aliam habent Romani fidem, niſi quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed in eis maior deuotio & ſimplicitas ad credendum. *Tom. 6. in Proœm. 2. lib. Com. ad Galatas.*

BREVEM apertamque animi mei ſententiam præferam: in illa eſſe Eccleſia & religione permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad hãc diem durat. Sicubi audieris, eos qui dicũtur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas: ſcito non Eccleſiã Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogã: hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit. *Tom. 2. in Dialog. contra Luciferianos cap. 9. in fine.*

QVONIAM vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliditur, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſtra diſcerpit: & Chriſti vineam exterminant vulpes, & inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc animæ meę poſtulans cibũ, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis & interiacentis longitudo terrarum me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas. ibi ceſpite terra fœcundo Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſque degenerant. Nunc in Occidente ſol iuſtitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat ſupra ſydera poſuit: thronum ſuũ. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa & argẽtea: hic teſtacea vaſa vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri conſocior: ſuper illam petram ędificatam Eccleſiam ſcio: Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur proh dolor, poſt Nicœnam fidem poſt Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum præſule & Campenſibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? quis nouus magiſter gentium Paulus hæc docuit. *Tom. 1. Epiſtola 57. ad Damaſum.*

GRANDIS labor, ſed grande præmium, eſſe quod martyres, eſſe quod Apoſtoli, eſſe quod Chriſtus eſt: quæ quidem vniuerſa tunc proſunt, cum in Eccleſia fiunt, cum in vna domo paſcha celebramus: ſi arcam ingredimur cum Nohe, ſi pereunte Hiericho Rahab meretrix iuſtificata nos continet: cæterum virgines, quales apud diuerſas hæreſes, & quales apud impuriſſimum Manichæum eſſe dicuntur, ſcorta ſunt exiſtimandæ non virgines, ſi enim corporis earum eſt auctor diabolus, quomodo poſſunt honorare plaſmationem hoſtis ſui? ſed quia ſciunt virginale vocabulum glorioſum, ſub ouium pellibus lupos tegunt. Chriſtum mentitur Antichriſtus & turpitudinem vitæ falsò nominis honore conueſtiũt. *Tom. 1. Epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 17.*

QVI matrem Eccleſiam contempſerit morte morietur. *Tom. 5. lib. 2. Commentariorum, in caput 7. Micheæ.*

DE hæreſibus nulla dubitatio eſt, quin ſecundum falſam fidẽ vniuerſa falſa poſſideant. Hinc præſidijs fulta mundi Ariani rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit authoritas. Ego interim clamito, ſi quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Paulinus atque Vitalis tibi hærere ſe dicunt, poſſem credere ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obteſtor Beatitudinẽ tuam, per crucem Domini, per fidei noſtræ decus, per paſsionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito, ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas, ita te alius ſenem

*Tom. 6. libr. 2. Co. in ca. 4. ad Epheſ.*

cum

cum Petro cingat, ita municipatum cæli cum Paulo conſequaris: vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. *Tom. 2. Epiſtola. 58. ad Damaſum.*

ECCLESIAE ſalus à ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. *Tom. 2. in Dialogo contra Luciferianos. cap. 4.*

*Vide plura in eandem ſententiam*

*Tom. 2. Epiſtola. 61. ad Pammachium cap. 3. & 6.*
*Tom. 2. Epiſtola. 61. ad Pammachium cap. 1.*
*Tom. 2. Epiſtola. 62. ad Theophilum cap. 2.*
*Tom. 4. lib. 16. Com. in cap. 57. Eſaiæ.*
*Tom. 4. lib. 12. Com. in cap. 40. Ezechielis.*
*Tom. 6. lib. 3. Com. in cap. 5. ad Epheſios.*
*Tom. 2. Hieronymianæ Confeſſionis cap. 4. artic. 4.*
*Tom. 2. Epiſtola. 69. ad Hieronymum.*
*& Tom. 2. Epiſtola 55. ad Riparium.*
*& Tom. 2. Epiſtola 56. ad Apronium.*
*& Tom. 2. lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 11.*
*& Tom. 1. cap. 13. poſtremo. articulo. 5.*
*& Tom. 5. in Com. in cap. 4. Amos.*
*& Tom. 4. lib. 16. Com. in cap. 58. Eſaiæ.*
*& Tom. 5. lib. 1. Com. in cap. 2. Zachariæ.*

*VT breuis ſim præcipua cauſa quæ nos in Catholica eccleſia et religione retinere debeat, ea eſt quod apud Catholicos ſola vera eccleſia & per conſequens religio reperiatur non verò apud hæreticos de qua re prolixè conſule Hieronymianā Confeſſionem To. 1. cap. 6. articulo. 1. 2. 3. 4. 5. 10. 12 13. & Tom. 1. cap. 12. articulo. 8. Primariæ verò cauſæ quæ ab hæreſi deterrere atq; auocare poterunt ſunt, primò turpes cauſæ, ex quibus hæreſes oriuntur de quibus in Harmonia Confeſſionis. Tom. 1. cap. 12. articu. 3. deinde hæreticorum inter ſe diſſidia perpetua de grauiſſimis religionis articulis & pluſquam Vatiniana odia, de quibus. To. 1. cap. 12. artic. 5. Catholicorum verò vnitas & amabilis concordia de qua in Harmonia Confeſſionis. To. 1. cap. 6. artic. 1. & 18. præterea etiam hæreticorum corruptiſſimi mores & vita omnibus vitijs inquinatiſſima de qua. To. 1. cap. 12. artic. 4. fuſiſſimè. adhæc quod falſam quandam Libertatē carnis & religionis prætexant, aduerſus quam militat atq; decertat hæc Harmonica Confeſſio. To. 2. cap. 8. articu. 3. adde quod ſint: hæretici Antichriſti prodromi de quo. To. 1. cap. 12. articulo. 10. quod niſi ad Catholicam eccleſiam redeant, ſalutem conſequi non poſſint. Ibid. articulo. 12 quod ſcripturas ſacras corrumpant ibidem artic. 7. & To. 1. cap. 7. artic. 6. & 8. quod fraudibus verſipellibus & dolis ſimplicem incautumque populum circumueniant. ibid. artic. 9. quod omnib. Capitibus & articulis in huius Catholicæ Hieronymianæ Harmonicæ Cōfeſſionis Tomis. 4. comprehenſis ex diametro & quaſi δὶς διὰ πασῶν ſi non ſinguli ſingulis, ſaltem alij alijs atque alijs aduerſentur. Denique quod omnes hæretici diligenti ſtudio fugiendi ſint, & cum ijs ſine ſatisfactione fidei nullo modo communicandum: vide Tom. 1. cap. 12. artic. 15. quod hæreticis non ſit parcendum, ſed acriter et ſerio ijs reſiſtendum, grauiterque refellendi ſint, & fides Catholica ſtrenuè defendenda. conſule Tom. 1. cap. 12. artic. 16. quodque etiam pœnis & iuſtis ſupplicijs affici poſſunt habes Tom. 1. cap. 12. artic. 11. Beneuole Lector diligenter euolue Tom. 1. totum cap. 6. de eccleſia & cap. 12. totum de Hæreticis aliaque capita & artic. huius Harmoniæ & plurimas grauiſſimas iuſtiſſimasque mouentes atque impellentes cauſas, quæ te in Catholica eccleſia & religione retineant, & à conuenticulis hæreticorū, quæ ſunt Sathanæ ſynagogæ abſterreant atque abducant, inuenies.*

## FINIS PRAECLARISSIMI OPERIS CONFESSIONIS HIERONYMIANAE:

Anno χριστογενίας M. D. Lxxxv. pridiè Purificationis B. Mariæ virginis.

# INDEX CAPITVM, ATQVE ARTICVLORVM CONFESSIONIS HIERONYMIANAE.

*Tomus 1. tredecim capita complectitur.*


Caput 1. De Deo, in 12. Articulos diſtributum: Pag. 1.

*ARticulus 1. Deum eſſe ne Paganis quidem fuiſſe incognitum. pag. 2*
2. *Deum eſſe incorporeum. pag. 2*
3. *Quid ſit Deus ineffabile nobis eſſe, & incomprehenſibile. pag. 3*
4. *Quis homini de Deo ſenſus habēdus ſit. pag. 4*
5. *Scriptura ſacra multa de Deo ad captum & ſenſum noſtrum, accommodatè, ſiue vt loquitur D. Hieronymus, ἀνθρωποπαθῶς pronuntia[illegible]. pa. 4*
6. *Deum omnipotentem eſſe. pa. 6*
7. *Dei prouidentia omnia regi. pag. 8*
8. *Deum eſſe vbique. pag. 12*
9. *Deum eſſe æternum. pag. 14*
10. *Deum ſummum eſſe bonū, in quo vita beata conſiſtat. pag. 14*
11. *Deum eſſe inuiſibilem. pag. 15*
12. *De decem Dei nominibus. pag. 15*

Caput 2. De Trinitate, & Vnitate Dei, 6. artic. complectens, pag. 16.

1. *In diuinis eſſe Trinitatem perſonarū, & Vnitatem eſſentiæ. pag. 16*
2. *In diuinis quamuis plures perſonæ diſtinctæ ſint, non tamē plures Deos, ſed vnum eſſe Deum. pag. 20*
3. *In Deo eſſe tres perſonas ſeu hypoſtaſes, & vnam numero eſſentiā. pa. 21*
4. *Subſtantialia nomina in diuinis ſingulari numero, de tribus coniunctim perſonis eſſe intelligenda. pag. 22*
5. *In Trinitate non eſſe diuerſitatem gradus aut operationis, ad extra vt Scholaſtici vocant. pag. 22*
6. *Hæreticos eſſe, qui filium, aut ſpiritū ſanctum, creaturam aut minorem patre, aut diuerſa ab eo eſſentiæ ponunt. pag. 22*

Caput 3. De Deo Patre in 5. articulos partitum. pag. 23.

1. *Ipſum eſſe Patrem, qui filius, hæreſim fuiſſe Noëtianorum & Sabellianorum. pag. 23*
2. *Patrem non eſſe maiorem filio, ſecūdum diuinitatem. pag. 24*
3. *Quod ab æterno Pater genuit filium. pag. 24*
4. *Iniuriam eos inferre Patri, qui conſubſtantialem negant filium. pag. 25*
5. *Non ſolam perſonam patris, ſed totā trinitatem vnicum & verum & ſolum Deum eſſe, & nominari. pag. 26*

Caput 4. De Chriſto vero Deo, & homine, in 14. art. diuiſum. pag. 26.

1. *Chriſtum eundem verum eſſe Deum patri coæternum & verum hominem in tempore. pag. 26*
2. *Chriſtum verum Deum nihil læſa diuinitate, integram ſuſcepiſſe naturā humanam. pag. 31*
3. *Humanitatem et Diuinitatem in vnā conueniſſe Chriſti perſonam. pag 35*
4. *Naturam humanam in perſona Chriſti, nullo modo cum eius diuinitate fuiſſe confuſam. pag. 39*
5. *Recenſentur hæreſes, quæ Chriſti diuinitati aduerſantur. pag. 40*
6. *Commemorantur hæreſes, quæ cum vera humanitate Chriſti pugnant. pag. 45*
7. *Chriſto Deo & homine mediatore opus fuiſſe. pag. 46*
8. *Sine Chriſto mediatore neminē ſaluari. pag. 49*
9. *Chriſtum interpellationis ratione mediatorem etiam, ſeu aduocatum appellari. pag. 61*
10. *Humanitas in Chriſto qua ratione adoranda. pag. 63*
11. *Chriſtum paſſum fuiſſe, ſecundum humanam naturam, non ſecundum diuinam. pag. 63*
12. *Chriſtum ſecundum animam verè deſcendiſſe ad inferos. pag. 64*
13. *Animam Chriſti apud inferos nullos dolores paſſam fuiſſe. pag. 65*
14. *Chriſtum ſecūdum diuinam naturam eſſe vbiq;, non tamen ſecundum humanam. pag. 66*

Sub capite quinto, De Spiritu ſancto, 4. articul. continentur. pagina 66.

1. *Spiritum ſanctum eſſe Deum. pag. 66*
2. *Spiritum ſanctum à Patre, Filioq; ab æterno procedere, idq; tanquam ab vno principio. pag. 67*
3. *Vitandæ hæreſes de Spiritu S. pa. 67*
4. *Spiritum ſanctum eſſe fontem gratiarum. pag. 69*

Caput 6. De Eccleſia, 19. articulos ſub ſe continet. Pagina 70.

1. *Eccleſiam vnam, ſanctam, Catholicā, & Romanam eſſe. pag. 70*
2. *Catholicam appellari Eccleſiam, quod toto orbe diffuſa ſit. pag. 72*
3. *Eccleſiam Catholicam viſibilem eſſe, & ciuitatem ſupra montem poſitam. pag. 80*
4. *Obſeruationem præceptorum, Scripturas, fidem, aut Sacramenta nō eſſe ſufficientia ſigna, ad dignoſcendam Eccleſiam, ſed & ſucceſſionem & antiquitatem requiri. pag. 81*
5. *Eccleſiæ Catholicæ multis locis ſacram atteſtari Scripturam: ſiue etiam Scripturam, quaſi digito monſtrare, & notare nobis Eccleſiam, vt cognoſcatur, & innoteſcat Eccleſia per Scripturā, cum Scriptura ſit quaſi porta & ianua in Eccleſiam. pag. 82*
6. *Eccleſiam ex bonis tantum conſtare, Donatiſtarum, & Pelagianorum hæreſin fuiſſe. pag. 84*
7. *Eccleſiam ex bonis maliſq; hominibus conſtare. pag. 84*
8. *Eccleſiam propter malos non deſerendam, nec diuidendam eſſe. pag. 89*
9. *Nullam eſſe ſalutis ſpem extra Catholicam Eccleſiam, & extra eam nec martyrium, nec virginitatem, nec vlla opera bona prodeſſe. pag. 93*
10. *Non verſari in Catholica Chriſti Eccleſia hæreticos, eoſdemq; nec Eccleſiam, nec Scripturas ſacras, nec fidem & religionem, nec Sacramenta habere, etſi fidem & Sacramenta, reliquaq́ue omnia falſo ſibi arrogent. pag. 101*
11. *Eccleſiam rectè definire etiam ἄγραφα, nec non Scripturæ canonem ipſum & verſionem, ſiue tranſlationem ſacræ Scripturæ conſtituere, atq; etiam de ipſis Scripturis teſtimonium præbere. 112*
12. *Eccleſiam non poſſe errare, neque ſuos in errorem inducere: ſeu Eccleſiam eſſe vberrimum fontem, et paradiſum omnis doctrinæ ſanæ, omnis veritatis, ſcientiæ virtutum, & continere locupletiſſimas diuitias cognitionis rerum cœleſtium. pag. 114*
13. *Eccleſiam promiſſis & protectione Chriſti ſtabilitam non poſſe deficere, in eaq; ſummam eſſe ſecuritatem. pa. 113*
14. *Eccleſiæ ſpirituales claues datas eſſe, & penes eandem ſpiritualem poteſtatem excommunicandi reſidere. pa. 150*
15. *Eccleſiæ ſuum conſtare ius, vt hæreticos auxilio brachij ſæcularis redire cogat ad fidem. pag. 154*
16. *Hæreſes velut ſarmenta inutilia, ab Eccleſia reſcindendas eſſe, & Catholicam fidem retinendam. ibidem*
17. *Eccleſia collecta ſanguine Chriſti, ex vtroque populo gentium & Iudæorū. pag. 156*
18. *Eccleſia Apoſtolica prima, vt & hodierna concordiam ſeruauit in dogmatibus. ibidem*
19. *De repudio Synagogæ, eiuſdemq; doctrinæ ſterilitate, atque inopia poſt necem Saluatoris, & de iuſta Synagogæ reprobatione gentiumq; vocatione, ac tandem reliquiarum Iudaiſmi & gentium, id eſt, vtriuſq; populi, in vnam fidem Chriſti coagmentatione. Pagina 156*

Capite ſeptimo, De Scripturis ſacris agitur 19. articulis cum appendice. Pagina 173.

1. *Scripturæ Canonem Eccleſiæ Catholicæ authoritate conſtitutum, atq; confirmatum eſſe. pag. 173*
2. *Scripturæ nomine non tantum noui, verum etiam veteris Teſtamenti libros pari authoritate contineri. pagina 174*
3. *Quis librorum Canonicorum ſit Catalogus, ſiue de Canone ſacræ Scripturæ*

veteris & noui teſtamenti, tam in genere, quàm in ſpecie. pag. 181. & ſeq.

4. Quanta ſit Sacræ ſcripturæ maieſtas, authoritas, vtilitas, iucunditas, & veritas. pag. 197

5. Scripturas ſacras obſcuras eſſe, ideò nō cuiuſuis eſſe eas interpretari, ſed Eccleſiæ. pag. 201.

6. Ex peruerſa Scripturarum intelligentia hæreſes gigni. pag. 211

7. Litera Iudæos, hæreticos, & carnales homines occidit, qui non ſpiritui et ſenſui, ſed literæ verbis ſono adhærent. pagina 213

8. In rebus fidei & morum, ſacram Scripturam ad proprios hominum ſenſus torquendam non eſſe. pag. 224

9. Multos eſſe poſſe & eos veros Scripturæ ſenſus, & quid hic prudenti viro faciendum, quantusve delectus hic ſit adhibendus, ſiue de vera arte interpretādi ſacras literas. pag. 225

10. Sacram Scripturā iuxta eum ſenſum interpretandam eſſe, quem in communi Doctorum conſenſu tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia. pag. 228

11. Aduerſ⁹ αὐτοδιδάκ|ʊς Anabaptiſtas, Enthuſiaſtas, & Svvenkfeldianos, quædā Hieronymi teſtimonia. pa. 229

12. Scripturæ ſacræ explicationem, & tractationem, ad Sacerdotes propriè, & non ad laicos pertinere, nec eam ſine interprete poſſe intelligi. pag. 230

13. Linguarum peritiam, artium, eloquentiæ, & philoſophiæ cognitionem eſſe vtilem, ad Scripturarum cùm intelligētiam, tum tractationem. pag. 223

14. Eccleſiam ſacræ Scripturæ teſtimonium præbere, eam diſcernere, genuinā à non genuina, eam interpretari, & viciſſim ſcripturam Eccleſiam veram demonſtrare & denotare, ita vt mutuas operas præbeant: Siue de mutuo miniſterio Scripturæ, & Eccleſiæ atq; pulchra inter ſe comparatione. pa. 241

15. De ſumma ſacræ Scripturæ, & Chriſto, totius ſacræ Scripturæ ſubiecto. pagina. 244

16. Duplex methodus Scripturæ, & Theologiæ tractandæ. pag. 245

17. De temporis & annorum ordine in Scripturis. ibid.

18. Diuiſio Scripturæ in tres partes. ibidem.

19. Quod ſacra Scriptura, etſi non in omnibus, in plerisq; tamen locis, ſit ſui ipſius fideliſſima interpres. pag. 245

Caput 8. De ſacris traditionibus. 8. artic. pag. 60

1. Traditiones Apoſtolorum & Eccleſiæ, præſertim continua ad nos vſq; ſucceſſione deriuatas, diligenter cognoſcendas, & retinendas eſſe. pag. 260

2. Euangeliſtas in ſcribendo Euangelio, magna ex parte traditionem ſecutos eſſe. pag. 265

3. Ex traditione haberi hanc eſſe Scripturam Canonicam, illam verò non. ibid.

4. Multa quæ ab ipſis Apoſtolis, quaſi per manus tradita ad nos vſque peruenerunt, licet in ſacris literis expreſſè ſcripta non ſint Chriſtianis eſſe credenda. pag. 266

5. In Eccleſia præter Scripturas ſacras, eſſe conſuetudines & canones pergrauis authoritatis. pag. 268

6. Multa ab Apoſtolis facta, multa etiam eſſe Chriſtiano obſeruanda, quæ tamē ſcripta non ſunt. pag. 269

7. Traditiones & conſuetudines particulares, quæ neq; cum fide, neq; bonis moribus pugnant, piè in Eccleſijs retineri, & obſeruari pag. 270

8. Quod Paulus ad Coloſſenſes 2. cap. in fine, & paſſim Scriptura ſacra non reijciat cōſuetudines, & traditiones Eccleſiaſticas, ſed Iudaicas, aduerſus Caluinum.

Caput 9. De Petro Apoſtolo Romano Pontifice, & Apoſtolica ſede & fide. 8. art. pag. 275.

1. Petrum primum fuiſſe, & caput Apoſtolorum. pag. 275

2. Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. pag. 278

3. Petrum Romæ Epiſcopalem Cathedram tenuiſſe, Simonem Magum ſuperaſſe, ibidemq; martyrio eſſe coronatum. pag. 281

4. A Petri temporibus continuatam Romanorum Pontificum ſucceſſionē certiſſimum eſſe ſignum veræ atq; Catholicæ Eccleſiæ. pag. 282

5. Penes Romanam ſedem eſſe primatum, authoritatem ſummam & vniuerſam curam totius Eccleſiæ. ibid.

6. A Romana ſede de doctrina Catholica, ferri iudicium, hæreſes damnari. pag. 286

7. Romano Pontifici Hieronymum ſua ſcripta ſubieciſſe, eiusq; mandatis obtemperaſſe. pag. 289

8. Petrum Apoſtolum non erraſſe, cùm à Paulo ad Galatas 2. per diſpenſationē non verè reprehenditur. pag. 289

Caput 10. De ſacris Concilijs. 8. art. Pag. 292.

1. Quæſtiones obſcuras & arduas in Eccleſia conciliorum generalium definitione terminari. pag. 292

2. Conciliorum plenariorum magnam authoritatem eſſe, quibus et Prouincialia cedant, & Doctores etiam ſi qui ab illis diſcrepent. pag. 294

3. Ad communes prouinciæ vel regionis cauſſas tractandas concilia Epiſcoporum à Metropolitano, vel primate cōuocanda eſſe. 294

4. Definitioni Concilij legitimi acquieſcēdum eſſe. 295

5. Patres qui erant in Concilijs geſta ſua & decreta, cum Romano Pontifice cōmunicaſſe, eiusq; authoritate confirmari voluiſſe. ibid.

6. Hæreticorum mores, fraus, & infidelitas circa Concilia. pag. 296

7. In Concilijs, Epiſcopi repræſentant totam Eccleſiam. pag. 297

8. De pſeudoſynhodis. pag. 298

Caput 11. De authoritate Patrum Doctorumque Eccleſiæ. 12. artic. Pag. 298.

1. Neminem Patrum habere parem cum Scripturis authoritatem. pag. 298

2. Grauem eſſe ſanctorum Eccleſiæ Doctorum authoritatem, qua & hæreſes proterantur. pag. 299

3. Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe Scripturæ interpretationem. pa. 307

4. Antiquos Patres incorruptos eſſe Iudices, in controuerſijs poſterorū. pa. 312

5. Chriſtiani eſſe populi, ſanctorum Patrū ſequi authoritatem. ibid.

6. Hieronymum in exponendis Scripturis, iuxta communem Patrum interpretationem ſuam correxiſſe ſententiam. pagina. 315

7. Libros Patrum corrumpunt, & eis abutuntur hæretici. ibid.

8. Sententiam vnius aut paucorum Doctorum, communi Eccleſiæ ſententiæ non derogare. pag. 316.

9. Patres in quibuſdam obſcuris controuerſijs, ſalua fidei compage, ante definitionem Eccleſiæ diſcordaſſe. pa. 319

10. Patrum quorundam ſcripta ſummo adhibito iudicio & delectu, & Eccleſiæ norma lecta fuiſſe à B. Hieronymo. pag. 320

11. Ante exortas hæreſes, quædam à ſanctis Doctorib. minus diſtinctè fuiſſe dicta, quod putarent ſe Catholicè intelligi. pag. 321

12. Diſſenſio à Catholicis DD. ſummoperè euitanda. pag. ibid.

Caput 12. De Hæreticis. in 18. articulos. Pag. 321.

1. Qui ſunt hæretici nuncupandi. pag. 321

2. Quid inter hæreticos, ſchiſmaticos, & malos catholicos interſit. ibid.

3. Hæreticorum & hæreſum quæ cauſſa. pag. 322

4. Qui ſint hæreticorum mores. pag. 324

5. Hæreticos in ſectas ſolere eſſe diſſectos, & cæt. pag. 345

6. Per fœminas hæreticas plurimi in hæreſim impulſi, & quantum indulgeant fœminis hæretici. pag. 352

7. Ab hæreticis Scripturam ſacram peruerti, & ad ſenſum falſum torqueri. ibid.

8. Hæreticos etſi doctrinam veram & Eccleſiam ſe habere iactent, & promittant, tamen reſiſtere veritati. pa. 359.

9. Hæreticorum mēdacia, idolatriæ, fraudes & verſutiæ explicatæ, atq; etiam pulchris ſimilitudinib. expreſſæ. pa. 365

10. Hæreticos Antichriſtos eſſe. pag. 373

11. De pœnis & ſupplicijs hæreticorum, mortemq; ipſis inflictam, non eſſe martyrium appellandum. pag. 374

12. Hæreticos niſi ad Eccleſiam Catholicam redeant, ſaluos eſſe non poſſe, quāuis perſecutionem, aut etiam mortem pro Chriſto pati videantur. pag. 383

13. Hæreſeωn κύκλος, ſiue circulus. Qđ hæreſes eædem in orbem redeant.

14. Hæretici libros confictis falſis nominibus edunt. pag. 389

15. Cum hæreticis non eſt communicandum ſine ſanctificatione fidei, imò fugiendi. pag. 390

16. Hæreticis non eſt parcendum, ſed acriter, & ſeriò ijs reſiſtendum, grauiterq; refellendi ſunt, & fides Catholica ſtrenuè defendenda. pag. 392

17. Hæreſes ex Philoſophia naſci. pag. 393

18. Suſpicio grauis criminis hæreſeos amolienda. pag. 394

Caput 13. De officio & authoritate Magiſtratus, aduerſus hæreticos 7. Articul. Pag. 394.

1. Regibus & Imperatoribus Eccleſiam diuinitus datam in tutelam contra hæreticorum inſultus pag. 394

2. Reges atque Imperatores habere ius hæreticos corrigendi. pag. 395

3. Hæreticos fremere ſi etos authoritate Magiſtratus ſæcularis. 396

4. Vtile fuiſſe hæreticis Imperatorum legibus ab erroribus abſtrahi, atque ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari. pag. 397

5. Non debere Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem. ibid.

6. Imperatores in hæreticis damnandis Apoſtolicæ ſedis, & Epiſcoporum iudicium eſſe ſecutos. ibid.

7. Gladium portare Imperatores etiam contra hæreticos. pag. 398

Tomus Secundus 10. capit. complectitur.

Caput 1. De peccato originali. 11. art. pag. 399.

1. Primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſanctitatem & iuſtitiam in qua conſtitutus erat, amiſiſſe. pag. 399

2. Primum hominem Adam incurriſſe per offenſam præuaricationis iram & indignationem Dei, atque adeò mortem ipſam, quam illi Deus fuerat comminatus. ibid.

3. Primum hominem Adam cum morte captiuitatem ſub Diaboli poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, præuaricando meruiſſe. pag. 400

4. Adæ præuaricationem non ſibi ſoli, ſed eius propagini nocuiſſe. ibid.

5. Acceptam à Deo ſanctitatem, iuſtitiā & innocentiam, quam perdidit Adam, non ſibi ſoli, ſed iam nobis perdidiſſe. ibid.

6. Adam per inobedientiam inquinatum, eodem inobedientiæ peccato, non ſolū mortem, & pœnam corporis, ſed & peccatū in omne genus humanū transfudiſſe. pag. 401

7. Peccatum originale ab Adamo in omnes homines transfuſum, verè peccatum & mortem animæ eſſe. ibid.

8. Quomodo intelligendum ſit illud Apoſtoli ad Romanos 5. per vnum hominem peccatum intrauit? pag. 402

9. Adæ peccatum per humanæ naturæ vires, vel remedium aliud, tolli non poſſe, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. ibidem.

10. Concupiſcentiam pœnam eſſe, & effectum peccati originalis. pag. 404

11. Peccatū originale non eſſe ſubſtātiam, ſed accidens, id eſt, differentiam inter naturam humanam, & peccatum originis, ſiue corruptionem naturæ. pag. 406

Caput 2. De Concupiſcentia in renatis. 5. articul. Pag. 407.

1. In renatis manere Concupiſcentiam, quam peccati fomitem Theologi appellant. ibid.

2. Concupiſcentiam in renatis malum quidem non tamen verè & propriè peccatum eſſe. pag. 409

3. Concupiſcentiam quæ Paulo dicitur malum inhabitans, lex membrorum vel carnis, lex peccati, vel peccatum, regeneratos reos non facere. pag. 409

4. Concupiſcentiam renatis, non conſentientibus, & viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus non nocere. ibid.

5. Concupiſcentiam carnis, mortem aliasque pœnas in baptizatis ad Agonem eſſe relictas. pag. 410

Caput 3. De gratia & libero arbitrio. 15. Art. Pag. 410.

1. Liberum arbitrium non eſſe rem de ſolo titulo, aut titulum ſine re. pagina 410

2. Liberum arbitrium, quantumuis per præuaricationem Adæ viribus attenuatum, & inclinatum, non tamen penitus amiſſum eſſe, aut extinctum. pagina. 412

3. In poteſtate hominis eſſe facere vias ſuas malas. ibid.

4. Liberum hominis arbitrium non ſubeſſe fato. ibid.

5. Liberum arbitrium non velut inanime quoddam nihil omninò agere, aut merè paſſiuè ſe habere, ſed adiuuati Deo cooperari. pag. 415

6. Cum libertate arbitrij nec pugnare Dei præſcientiam, nec prædeſtinationem. pag. 416

7. Liberum arbitrium quid in Adamo ante peccatum potuerit. pag. 418

8. Scientiam legis abſque Dei gratia non ſufficere ad vitandum peccata. ibidem.

9. Deum non operari mala opera, ita vt bona: verum illa permiſſiuè tantùm, hæc propriè & per ſe, vel Deum eſſe authorem mali pœnæ, non culpæ, vt Scholaſtici loquuntur. pag. 419

10. Per liberum arbitrium ſine gratia Dei præcepta impleri non poſſe. pag. 426

11. Non omnia opera, quæ ante iuſtificationem ab infidelibus, vel alijs peccatoribus fiunt, verè eſſe peccata, aut odium promereri. pag. 429

12. Per liberum arbitrium ſine gratia, hominem nullo modo poſſe coram Deo vitam inchoare, aut perficere. pagina. 432.

13. Gratiæ nomine non tantum externum Dei fauorem, ſed etiam donum animæ, quo intrinſecus exornetur intelligi. pag. 435

14. Gratiam Dei aliam præuenientem, aliam eſſe adiuuantem. ibid.

15. Liberum arbitrium neque à præueniente, neque ab adiuuante gratia deſtrui. ibid.

Caput 4. De Fide, & Operibus. 13 Art. Pag. 436.

1. Quid ſit fides. pag. 436

2. Quæ ſit materia ſeu obiectum fidei, ſcilicet veritas diuinarum promiſſionum. ibid.

3. In myſterijs diuinis fidem antecedere, rationem ſubſequi debere. pag. 438.

4. Fidem rectam ad ſalutem neceſſariam eſſe, & profitendam, & ſtrenuè defendendam. pag. 439

5. Fidem rectam non eſſe aliam atque Catholicam fidem. pag. 441

6. Fidem donum Dei eſſe. pag. 443

7. Fidem non ita eſſe donum Dei, vt propter voluntatis motum, non ſit pariter & liberi arbitrij. ibid.

8. Quomodo, Fides, Spes, Charitas inter ſe cohæreant, & affectæ ſint pag. 444

9. Fidem Charitate perfici, atque vtilem reddi. pag. 445

10. A Iuſtitia fidei opera antecedentia ipſam fidem, non autem ſubſequentia, in Epiſtola ad Romanos excludi, vt & in electione & prædeſtinatione. pag. 447.

11. Per fidem non abrogari legem, ſed firmari pag. 448

12. Quomodo intelligendum ſit illud Habacuc 2. Iuſtus ex fide viuit. ibid.

13. Eandem fidem eſſe antiquorum Patrum, ante aduentum Chriſti & noſtram. pag. 450

Caput 5. De Iuſtificatione. 24. Art. Pag. 456.

1. Hominem ſuis operibus quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, coram Deo iuſtificari non poſſe. ibid.

2. Gratis iuſtificari hominem, neque quicquam eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fide, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promereri. pagina 465

3. Sine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione hominem non poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicuti oportet, vt ei iuſtificationis gratia

gratia conferatur.pag. 468
4. Liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti cooperari poſſe, vt ſe ad obtinendam iuſtificationis gratiam diſponat, ac præparet. pag. 469
5. Liberum arbitrium poſſe etiam diſſentire, atque vocanti ad iuſtitiam Deo nō obedire.pag. 471
6. Fidem eſſe initium, radicem, & veluti fundamentum omnis iuſtificationis, atque adeò bonorum omnium ſequentium iuſtificationem. pagina. 472
7. Fidem, qua iuſtificamur, eſſe fidem in vnum mediatorem Chriſtum, ſine qua nec antiqui iuſti in veteri Teſtamento, iuſtificari potuerunt. pagina 472
8. Sola fide impium non iuſtificari. pag. 475
9. Timorem diuinæ iuſtitiæ non eſſe malum, neque facere peccatores deteriores.pag. 477
10. Gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam, de peccatis dolendo confugimus, aut à peccato abſtinemus, prodeſſe ad iuſtificationem. pag. 480
11. Non iuſtificari hominem ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam gratiæ, & ſpiritualium donorum ſuſceptione.pagina 481
12. Iuſtificari hominem iuſtitia Dei, non qua ipſe Deus iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, & qua ab eo donati renaſcimur, & renouamur ſpiritu mentis noſtræ.pag. 492
13. Gratiam, qua iuſtificamur non eſſe fauorem Dei tantùm, ſed donum, quod per Spiritum ſanctum diſſunditur, atque inhæret in cordibus noſtris. pag. 500
14. In iuſtificatione prorſus auferri peccata mortalia, nec ita manere, vt qui iuſtificatur, partim iuſtus ſit, partim iniuſtus pag. 503
15. Iuſtificationis gratiam alijs maiorem, alijs minorem dari, iuxta menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & diuerſam ſuſcipientium diſpoſitionem. pag. 509
16. Iuſtificatos cùm plenam & abſolutam iuſtitiam conſecuti non ſint, renouari poſt acceptam iuſtitiam de die in diem.pag. 511
17. Iuſtificato non eſſe neceſſarium vt credat certitudine fidei (cui non poteſt ſubeſſe falſum) & abſque vlla heſitantia propriæ infirmitatis, ſe gratiã Dei eſſe conſecutum.pag. 518
18. Hominem & renatum & iuſtificatum, de arcano diuinæ prædeſtinationis vſque adeò præſumere non debere, vt certò ſtatuat ſe ex numero prædeſtinatorum eſſe.pag. 520
19. Perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum, neminem abſoluta & infallibili certitudine, niſi ex ſpeciali reuelatione poſſe cognoſcere. pag. 522
20. Iuſtificationis gratiam non ſolis prædeſtinatis ad vitam, ſed vocatis quoq; alijs contingere.pag. 526
21. Iuſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare non poſſe. ibid.
22. Hominem ſemel iuſtificatum, poſſe iterum peccare, & gratiam amittere. ibid.
23. De perfectione iuſtitiæ Chriſtianæ. pag. 527
24. Iuſtus ex eo dicitur quod floreat multis virtutibus, & plures habeat veras virtutes quàm vitia, indiget tamen in quibuſdam leuioribus venialibus Dei miſericordia, & Chriſti gratia ignoſcente in ijs quæ deſunt ad perfectionem ſummam.pag. 534

Caput 6. De lapſis, & eorum reparatione.10. Art. Pag.549.

1. De effectis & pœnis peccati. pag. ibid.
2. Peccatum eſſe voluntarium, nec vlla vi aut neceſſitate hominum ad illud cogi.pag. 550
3. Peccatorum alia mortalia, alia venialia. pag. 551
4. Non modò infidelitate, ſed quocunque alio mortali peccato, etiamſi quis fidem retineat ius vitæ æternæ amitti. pag. 552
5. Varia peccatorum eſſe genera: & multiplex inter ea ipſa diſcri[illegible] pagina 554
6. Lapſos poſt baptiſmum in m[illegible] peccatum, etiam in hæreſim poſſe per Dei gratiam reſurgere, & amiſſam iuſtitiam per Sacramentum pœnitentiæ recuperare.pag. 559
7. Iuſtificatum abſque ſpeciali priuilegio Dei, peccata omnia, præſertim venialia in tota vita vitare non poſſe. pag. 561.
8. Oratione, Ieiunio, & Eleemoſyna, verbo Dei, & bonis operibus, quæ à fidelibus fiunt expiari quotidiana delicta. pag. 568
9. Nõ eſſe niſi in Eccleſia Catholica remiſſionem peccatorum. pag. 571
10. Quomodo peccata in Spiritum ſanctum, in Eccleſia non dimittantur. pagina 571

Caput 7. De diſcrimine legis veteris, & Euangelij, 16. Art.Pag.574.

1. Legem veterem eandem eſſe cum veteri teſtamento.pag. 574
2. Euangelij nomine non eſſe nudam promiſſionem vitæ æternæ intelligendum. pag. ibid.
3. Euangelium eſſe legem nouam & teſtamentum nouum.pag. 575
4. Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datũ nõ tantum vt Redemptorem, ſed etiã vt legis, & quidem perfectioris latorem.pag. 576
5. Vetus teſtamentum & nouum ſibi inuicem reſpondere, & vnam ex vtroque harmoniam conficiendam. ibid.
6. Inter literam legis & gratiam Euangelij quid interſit.pag. 581
7. In vtroq; pariter teſtamento, & amandam proponi Dei bonitatem, & timendam ſeueritatem: magis tamen in veteri ſeueritas, & in nouo gratia, bonitas & clementia Dei exhibetur. pag. 582
8. Præcepta morum veteris teſtamenti, ſiue Decalogum in nouo teſtamento non eſſe abrogatum. pag. 583
9. Quo ſenſu dicantur Chriſtiani mortui legi, vel non eſſe ſub lege. pag. 584
10. Vtriuſque teſtamenti pariter finem eſſe charitatem. ibid.
11. Euangelica gratia, quæ eſt charitas diffuſa in cordibus noſtris legem impleri. ibid.
12. Quomodo intelligendum illud Apoſtoli: Plenitudo legis charitas. pag. 585
13. Veterem legem eãdem fieri cum noua, ſi charitate debita impleatur. pagina 585
14. Euangelicam gratiam, per quam iuſtificati & ſaluati ſunt, etiam in veteris teſtamenti ſanctis Patribus, Patriarchis, Prophetis & Regibus fuiſſe. pag. 586
15. Euangelium legi præferendum: ſiue de noui teſtamenti præ veteri præſtantia ac dignitate.pag. 589
16. De cæremonijs veteris legis abrogatis, vel mutatis, vel translatis, & ſucceſſione gratiæ noui teſtamenti, deque Euangelica gratia legi non permiſcenda.pag. 594

Caput 8. De mandatorum Dei obſeruatione, & bonorum operum ad ſalutem neceſſitate.8.art. Pagin. 599.

1. Dei præcepta, homini iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe obſeruanda, nec eſſe ad obſeruandum impoſſibilia. pag. 599
2. Multa in nouo teſtamento præter fidem eſſe præcepta, non autem libera omnia.pag. 604
3. Libertatem Chriſtianam ſitam in eo eſſe, vt à vitiorum ſeruitute, non autem ab humanarum legum obediẽtia, vel à mandatorum Dei obſeruationẽ liberemur. pag. 605
4. Fidem ſine operibus homini ad ſalutem eſſe ſatis, Eunomianorum & aliorum errorem fuiſſe. pag. 617
5. Fide per charitatem operante, ſiue formata, vt vocant, nos filios eſſe Dei: Fidem verò charitate deſtitutam, nulli ad ſalutem prodeſſe. pagina 618
6. Decem præcepta ad Chriſtianos etiam pertinere. pag. 619





7. Magnum eſſe inter præcepta, & conſilia Euangelica diſcrimẽ, quod illa ſunt ad ſalutem obſeruatu neceſſaria, hæc verò perfectioni peculiariter deſtinata. pag. 620
8. Iuſtitiam hominis Chriſtiani in bonorum operum, quæ ex fide ſunt, exercitatione conſiſtere.pag. 623

Cap. 9. De fructu ſeu effectu iuſtificationis, deq; bonorum operum meritis.7.artic. Pag.624.

1. Hominis iuſtificati bona opera non ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita. pag. 624
2. Dei gratiam eſſe principium, rationemque meriti noſtri.pag. 631
3. Iuſtum pro operibus bonis, quæ per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, ab eo fiunt, verè mereri, & legitimè ſperare vitam æternam. ibid.
4. Quomodo illud Apoſtoli ad Romanos 6. Gratia Dei, vita æterna, conſtet cũ verbis eiuſdem ad Romanos 2. Reddet Deus vnicuiq; ſecundum opera eius, & alijs ſimilibus. pag. 636
5. Iuſtificatum minimè peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur. ibid.
6. Vt in hac vita diuerſa ſunt hominum merita, ita poſt hanc vitam præmia quoque non æqualia omnibus tribui: ſed propriam meritorum cuiuſque rationem haberi. ibid.
7. Merita vnius alteri prodeſſe. pagina 643.

Caput 10. De Prædeſtinatione & præſcientia Dei. 5. Art. Pag.644.

1. Iuſta & occulta Dei iudicia non inquirenda quibus nobis ignota, & ſoli Deo cognita pag. 644
2. Merita præcedentia non ſunt cauſa prædeſtinationis. pag. 646
3. Reprobationis & Reiectionis cauſſam eſſe præuiſa, & à Deo præcognita peccata, & finem prædeſtinationis, vt ſimus ſancti & immaculati coram ipſo, cauſſam efficientem Dei miſericordiam.pag. 649
4. Prædeſtinatio & propoſitum differunt. pag. 652
5. Certitudo præſcientiæ diuinæ. ibidem.

*Tomus Tertius* 12. *capita comprehendit.*

Caput 1. De Sacramentis generatim. 8.art. pag. 653.

1. Sacramenta non eſſe tantum externas notas Chriſtianæ profeſſionis, ſed ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ, quæ per eadem Sacramenta confertur. pag. 653
2. Sacramenta nouæ legis à Chriſto Domino eſſe inſtituta. ibid.
3. Præter Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe etiam alia in noua lege Sacramenta. ibid.
4. Sacramenta etſi ponẽtibus obicem, gratiam non conferant, vera nihilominus eſſe & ſancta.pag. 654
5. Sacramenta nouæ legis ex Chriſti ſanguine ſeu meritis vim habere. ibid.
6. Apud hæreticos vel ſchiſmaticos Sacramenta eſſe, non tamen ſanctificare. pag. 555
7. Miniſtrum in mortali peccato licet detentum, conferre vera, & ſuſcipientibus vtilia Sacramenta.pag. 657
8. Quare expediat, vt Sacramẽtorum miniſter ab omni crimine remotus ſit, & alienus? pag. 658

Caput 2. De Sacramento in ſpecie, ac primo de Baptiſmi. 15. articul. Pag. 659.

1. Baptiſmum verè & propriè Sacramentum eſſe. pag. 659
2. Per Baptiſmum tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, non autem radi tantum, vel imputari. ibid.
3. In Baptiſmo Spiritum ſanctum conferri.pag. 662
4. Baptiſmum non eſſe liberum: ſed neceſſarium ad ſalutem. pag. 664
5. Baptiſmi Sacramentum non niſi in forma Eccleſiæ, verbiſque Euangelicis ritè conferri.pag. 665
6. Baptizatum poſſe amittere gratiã peccando ſi velit. pag. 666
7. Per Baptiſmum non ſolius fidei, ſed legis Chriſti ſeruandæ nos debitores fieri. ibid.
8. Verum Baptiſmum etiam apud hæreticos inueniri. ibid.
9. Baptiſmum verum & rectè collatum illi iterandum non eſſe, qui apud infideles fidem Chriſti abnegarit, cùm ad pœnitentiam reuertitur. ibid.
10. In Baptiſmo characterem imprimi, ideoque non poſſe eum iterari. pagina 667
11. Anabaptiſmum Nouatianis, Arianis, & Donatiſtis in vſu fuiſſe. pag. 668
12. Baptiſmum extra Eccleſiam inutilẽ eſſe, & ad conſequendam gratiam Spiritus ſancti. ibid.
13. Baptiſmum Ioannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam cum Baptiſmo Chriſti, ad remiſſionem peccatorum.pag. 669
14. Baptiſmum Ioannis & legem veterẽ, Baptiſmo Chriſti & Euangelio promulgato finem habuiſſe. pagina 670
15. De Baptiſmi miniſtro ordinario, & extraordinario. ibid.

Caput 3. De Paruulis, & Baptiſmo paruulorum. 9. artic. Pag. 671.

1. Paruulos in remiſſionem peccatorum ex Apoſtolorum traditione veraciter baptizari. pag. 671
2. Paruulos ex Adamo trahere Originale peccatum. ibid.
3. Paruulos ab Originali peccato, non niſi per lauacrum regenerationis expiari. ibid.
4. Paruulos regenerationis lauacro nondum expiatos, vitam æternam conſequi non poſſe. ibid.
5. Aequè paruulis atq; adultis per baptiſmi Sacramentum gratiã Chriſti conferri. pag. 672
6. Paruulos recenter ab vteris matrũ baptizandos eſſe. ibid.
7. Paruulos baptizatis fidelibus parentibus ortos, nihilominus Baptiſmo ad ſalutem indigere. ibid.
8. Paruulos nondum actu proprio credentes, in ſola fide Eccleſiæ rectiſſimè baptizari.pag. 673
9. Pelagianos, quantum attingit fidem de infantium Baptiſmo, in Caluinianis hodiernis reuixiſſe. ibid.

Caput 4. De Cæremonijs & ijs rebus, quæ circa Baptiſmum geruntur. 8. Articul. Pagin. 673.

1. Ante Baptiſmum præcedere Catechiſmum debere, niſi ſit aliquid impedimẽti.pag. 673
2. Aquam Baptiſmi ſigno crucis conſecrari ſolitam.pag. 674
3. Exorciſmum & exſufflationem baptizandis ex conſenſu Eccleſiæ, & Apoſtolica traditione adhiberi. ibid.
4. In Baptiſmo viſibili vnguento ſeu chriſmate fideles inungi moris eſſe. ibid.
5. Alias etiam cæremonias fuiſſe in vſu circa baptizandos ætate Hieronymi. ibi.
6. Baptizandos abrenunciare Sathanæ atque pompis eius. pag. 675
7. Trinam merſionem in Baptiſmo fuiſſe in vſu tempore B Hieronymi. ibid.
8. Baptiſmus potiſſimum duobus anni temporibus in Paſchate, & Pentecoſte tradebatur. ibid.

Caput 5. De Sacramento Confirmationis. 4. Art.Pag. 675.

1. Confirmationem baptizatorum eſſe verum Sacramentum, & proprium. pag. 675
2. Confirmationis materiam Chriſma eſſe, idq; non niſi ab Epiſcopo conſecrari.pag. 676
3. In Sacramento Confirmationis, quod manuum impoſitio vocatur, gratiam conferri. ibid.
4. Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum ſolum Epiſcopum eſſe. pagina 678.

Caput 6. De Sacramento Euchariſtiæ. 13. Artic. Pag. 679.

1. In ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, verum contineri corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti pag. 679
2. Chriſtum in Euchariſtia exhibitum à ſumentibus, vel ſacramentaliter tantum, vel etiam ſimul ſpiritualiter mãducari.pag. 682
3. In Euchariſtiæ ſacratiſſimo Sacramento, Chriſtũ vnigenitum Dei filiũ cultu

latriæ, etiam externo eſſe adorandum pag. 683
4. In ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem non remanere. ibidem.
5. Sacroſancta Euchariſtiæ myſteria Hieronymi tempore, propter ſummam eorum profunditatem, gẽtilibus & catechumenis expoſita temere non fuiſſe. pag. 684
6. Vtilem ac ſalutarem eſſe fidelibus frequentem ſacro ſancti corporis Chriſti communionem. pag. 685
7. Ante Euchariſtiæ ſumptionem, confeſſionem peccatorum, ſi conſcientia mortalis peccati grauat præmittendam, mentemq́ diligenter eò eſſe præparandam. pag. 686
8. Continentiam etiàm à proprijs vxoribus acceſſuris, ad ſacram Euchariſtiæ ſynaxin iam olim in vſu fuiſſe. pagina. 689.
9. Fructum Sacramenti Euchariſtiæ in ſola haberi Catholica Eccleſia, eumqúe multiplicem exiſtere, nec tantum poſitum in remiſſione peccatorum. pagina 690
10. Impios etiam ſicut Iudam accipere corpus Chriſti. pag. 691
11. Datam à Chriſto Domino Euchariſtiam in Emaus, eandemqúe ſub altera tantum ſpecie interdum Hieronymi tempore ſumptam fuiſſe. ibid.
11. Quo receptaculo ac inſtrumento circumgeſtatum ac deportatum venerabile Sacramentum. pag. 692
12. Infantibus baptizatis ætate B. Hieronymi in Occidentali Eccleſia dabatur vinum & lac. ibid.
13. De pane benedicto. ibid.

Caput 7. De ſacrificio Miſſæ. 10. Art. Pag. 693.

1. Errare negantes viſibile ſacrificiũ Deo offerendum eſſe. pag. 693
2. In Miſſa offerri Deo verum & propriũ ſacrificium. pag. 697
3. Sanctam Euchariſtiam Hieronymi ſententia oblationem, ſacrificium, victimam atque hoſtiam eſſe. ibid.
4. Euchariſtiam prius oblatam, quam ſumptam & manducatam fuiſſe, ac proinde offerri corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe idem, quod nobis Chriſtum ad manducandum dari. ibid.
5. Sacrificium Miſſæ à Melchiſedech typicè præfiguratũ, & à Malachia prædictum fuiſſe. pag. 698
6. Sacrificium Miſſæ à Chriſto Domino inſtitutum eſſe. pag. 700
7. Sacrificium Miſſæ verè propitiatorium eſſe, eiuſqúe oblatione peccatorum veniam impetrari. pag. 701
8. Sacrificium Miſſæ ſacrificijs veteris legis ſucceſſiſſe, ac bonorum omnium, quæ per illa ſignificabantur, veluti conſummationem ac perfectionem eſſe. pagina 702
9. Miſſæ ſacrificium rectè in memoriam & honorem Sanctorum celebrari, etſi illud Deo tantummodo, non Sanctis offeratur. pag. 703
10. Sacerdotes offerentes & celebrantes, caſti, cœlibes, ac ſobrij eſſe debent. ibidem.

Caput 8. De Cæremonijs & alijs ritibus ad Miſſam pertinentibus. 10. Art. Pag. 704.

1. Vino in calice offerendo ex Apoſtolica traditione aquam eſſe miſcendam. pagina 704
2. Vaſa ſacra in vſu fuiſſe Hieronymi tempore, ad diuina myſteria peragenda. ibid.
3. Linteamine puro obuoluendum corpus Domini. ibid.
4. Miniſter ſacrificiorum Diaconus. ibidem.
5. Laicos non eſſe proprio nomine dictos ſacerdotes, ſed tantùm metaphoricè καταχρηστικῶς. ibid.
6. Quædam etiam alia ad Canonem vel reliquas ſacrificij partes pertinentia ſimiliter in Miſſa recitata fuiſſe. pag. 704
7. Peruerſus geſtus Diaconorum ſacrificio aſtantium, & ſe Sacerdotibus præferentium ab Hieronymo refellitur. pag. 705
8. Ad altare Dei munera offerre, & tam ab omni populo, quàm à Sacerdotibus pro viuis ſupplicare, moris olim fuiſſe. pag. 706
9. Sacerdotalia ſacrificia, altaria, & loca Sacramentorum corporis & ſanguinis Chriſti, itidemqúe Sacerdotum et laicorum loca in templo diſcreta & ſeiuncta eſſe debent. ibid.
10. Fidelis populus accepturus Euchariſtiam ſacrificanti & porrigenti reſpondebat Amen. ibid.

Caput 9. De Sacramento Pœnitentiæ. 15 art. pag. 706.

1. Pœnitentiæ virtutem, quæ in fide fundatur, vt in omnibus peccatoribus: ita in adultis ante Baptiſmum ad conſequendam iuſtitiam requiri. pagina 706.
2. Baptizatos in Chriſto, non poſſe in peccata relabi, falſum & hæreticum dogma eſſe. pag. 707
3. Fidelibus quoties poſt Baptiſmum in peccata relabuntur, pœnitentiæ Sacramentum ſupereſſe, quo veniam peccatorum conſequentes, Deo reconcilientur. pag. 714
4. Chriſtiani hominis pœnitentiam, quæ poſt Baptiſmum remiſſio peccatorum imperatur, multò eſſe aliam ab ea, quæ in adultis baptizandis requiritur. pagina 721
5. Pœnitentiam extra vnitatem Eccleſiæ eſſe inutilem. pag. 724
6. Contritione, quæ verus & vtilis eſt de peccatis dolor, ad ſalutarem pœnitentiam opus eſſe, eaqúe ad percipiendam gratiam nos præparari. ibid.
7. Sacramentalem pœnitentiam atq́ confeſſionem iure diuino inſtitutam, et ad ſalutem neceſſariam eſſe. pag. 727
8. Peccata omnia mortalia, quorum memoria habetur, cum circumſtantijs neceſſarijs confitendum eſſe Sacerdoti. pag. 729
9. Sacerdoti poteſtatem abſoluendi & inſtruendi à Chriſto Domino eſſe tributam. pag. 730
10. Abſolutionem Sacerdotis actum iudicialem eſſe. pag. 733
11. Ad veram pœnitentiam ſpectare non ſolùm nouam vitam, ſed & pro peccatis præteritis ſatisfactionem. pagina 734.
12. Pœnitentiam publicam eis imponi ſolitam, quorum publica crimina fuiſſẽt, alijs verò ſecretam. pag. 747
13. Pœnitentibus ſimul cum culpa non totam pœnam ſemper remitti. pagina 754
14. Pœnitentiam differendam non eſſe. pag. 755
15. Numerus Quinquagenarius myſteriũ continet pœnitentiæ. pag. 754

Caput 10. De Sacramento extremæ Vnctionis. pag. 754.

1. Extremæ Vnctionis Sacramentum ex authoritate veteris Eccleſiæ approbandum & retinendum eſſe. pag. 754

Caput 11. De Sacramento Ordinis. 20. Artic. Pag. 756.

1. Ordinem ſiue ſacram ordinationem Sacramentum eſſe, nec poſſe in aliquo iterari. pag. 756
2. In Eccleſia Catholica hierarchiam eſſe diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, alijſqúe miniſtris, & quales in eorundem ordinationem cæremoniæ. pag. 757
3. Per ſacram ordinationem dari Spiritũ ſanctum, ac proinde non fruſtra ab Epiſcopis dici: Accipe Spiritum ſanctum pag. 761
4. In nouo teſtamento Sacerdotes eſſe qui non baptiſmo aut ſanctitate, ſed ordinatione fiant. pag. 762
5. Epiſcoporum atque Presbyterorum officium eſſe, ſacramenta & Dei verbum adminiſtrare. pag. 764
6. Epiſcopis atque Sacerdotibus etiam diſcolis propter Sacramenti ſanctitatem, obedientiam, & honorem deberi pag. 771
7. Epiſcopos Presbyteris ſuperiores eſſe. pag. 773
8. Quædam Epiſcopis reſeruari, & ab ipſis Presbyteros iuriſdictionem in pœnitentes accipere. pag. 778
9. Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, plebi præeſſe. ibid.
10. Epiſcopis poteſtatem coercendi conuenire. pag. 781
11. Ad Epiſcoporum cognitionem quondam ſæcularia quoque negotiã fidelibus fuiſſe relata. pag. 782
12. Eccleſiaſticas & Eccleſiaſticorũ cauſas ad Eccleſiaſtica Epiſcoporum tribunalia eſſe referendas. ibid.
13. Epiſcopum ab Epiſcopis, ijsq́ haud minus tribus ordinari. pag. 783
14. Epiſcoporum & Presbyterorum electionem, vel ex ſortibus, vel ex acclamationibus laicorum haberi ſolitam, Eccleſiæ multis modis incommodam, & turbarum fuiſſe plenam. pag. 784
15. Quæ ſint ſacrorum ordinum impedimenta. pag. 785
16. De minoribus ordinibus. pag. 786
17. Dignos tantum ad ordines admittendos, & de moribus Eccleſiaſticorum. pag. 787
18. Laici non debent ſacerdotalia munia exercere. pag. 792
19. Fœminas non debere in Eccleſia canere, docere, & ſacerdotalia adminiſtrare. pag. 793
20. De multiplici vocatione ordinaria, & extraordinaria, legitima & illegitima, mediata & immediata, ex qua Catholici miniſtri ab hæreticis diſcerni poſſunt. pag. 793

Caput 12. De Sacramento Matrimonij. 10. Art. Pap. 795.

1. Matrimonium ſeu nuptias damnandas non eſſe. pag. 795
2. Neque ſecundas nuptias poſſe damnari. pag. 798
3. Non licere Chriſtianis plures ſimul vxores habere. pag. 799
4. Matrimonium eſſe ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. ibid.
5. Coniugatos ex mutuo conſenſu laudabiliter vouere caſtitatem, atque in reliquum vitæ tempus à matrimoniali copula ſe continere pag. 800
6. Si ſeparantur coniuges propter fornicationem, neutri licere etiam innocenti, quamdiu alter ſit ſuperſtes, alteri matrimonio copulari. pag. 802
7. Quomodo intelligendum ſit illud Matthæi 5. & 19. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam. pag. 804
8. Diuortium quo ſolueretur matrimonij vinculum, ne Iudæis quidem Hieronymi ſententia videri conceſſum. pag. 805
9. Extra Matrimonium quamcunque viri & mulieris commixtionem eſſe peccatum. pag. 806
10. Abſque carnali copula verum matrimonium conſtare poſſe. ibid.

*Tomus 4. in vndecim capita diſtribuitur.*

Caput 1. De Emendatorio igni. 9. Art. Pag. 807.

1. Animas poſteaquam è corpore migrarint, per particulare iudicium ad varia loca deſtinari. pag. 807
2. Animas poſt hanc vitam, neque in periculo peccandi verſari, neque amplius mereri. ibid.
3. Animas in Domino morientium, ſaluas fore certum eſſe. pag. 808
4. Purgatorium ignem, vel temporarias pœnas multis poſt mortem ſupereſſe. ibid.
5. Ex illis verbis Matth. 5. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè te tradat aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimũ quadrantem, colligere Hieronymum peccata quædam poſt mortem remitti poſſe. pag. 809
6. Quomodo intelligendum illud Apoſtoli 1. Corint. 3. Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. ibid.
7. Igne purgatorio venialia tantum peccata, & reliquias læthalium purgari. pag. 811
8. Orare & offerre oblationem pro defunctis morem eſſe Catholicæ Eccleſiæ. ibidem.
9. Animæ quomodo ſciant, quæ apud nos gerantur. pag. 812

Caput 2. De Sanctis, & eorum prærogatiua. 15. Art. Pagin. 812.

1. Animas Sanctorum etiam nunc, ante extremi iudicij diem regnare cum Chriſto. pag. 812
2. Preces noſtras à Sanctis in Chriſto quieſcentibus intelligi. pag. 813
3. Angelos preces noſtras offerre Deo, hominibuſq́ varijs in rebus adeſſe, & opitulari. pag. 815
4. Sanctos vna cum Chriſto regnantes, orationes ſuas Deo pro hominibus offerre. ibid.
5. Sanctos honorandos, imitandos, & ſuo modo adorandos eſſe, nec ob id Chriſtianos idololatras appellandos. ibidem.
6. Sanctos ſuppliciter inuocare, & ad eorum orationes, opem auxiliumqúe confugere, etiam ſingulis Chriſtianis bonum eſſe atque vtile. pag. 819
7. Sanctos aliter adorari, & inuocari, & honorari, quàm Deum, cui ſoli latria, ſacrificiumq́ debetur. ibid.
8. Idololatras & hæreticos iam olim Chriſtianis obieciſſe, quod Martyres tanquam Deos colerent, atque eorundem Martyrum reliquias proculcaſſe atq́ contempſiſſe, quas Chriſtiani in ſummo honore habuerunt. pag. 820
9. Sanctorum natalitia, dieſq́ feſtos, Hieronymi tempore in ſolenni vſu fuiſſe. pag. 822
10. Baſilicas Sanctorum nomine Deo dicatas fuiſſe. ibid.
11. Sanctos eſſe inuocandos, eoſq́ opem ferre, ſuumqúe auxilium implorantibus, quamuis modus nobis incertus ſit: Sanctorum quoque merita alijs prodeſſe. pag. 823
Appendix huius articuli: Magnitudo, grauitas, & multitudo peccatorum noſtrorum, impedimentum & obſtaculum obijcit, quo minus Sanctorum interceſſio, & auxilium efficax ſit, pro nobis apud Deum: pag. 825
Appendix de communibus Sanctorum ſuffragijs quatenus & quantum proſint. pag. 826
12. Sanctorum Martyrum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, à fidelibus meritò veneranda eſſe. ibid.
13. Plurima miracula per Sanctos, & ad eorum monumenta & reliquias fuiſſe edita ac patrata, & quamobrem id Deus ita fieri voluerit. pag. 828
14. Reliquias SS. ſemper ſummo fuiſſe in honore ac precio, eaſdemq́ ſacras reliquias ſub altari collocari in more poſitum fuiſſe. pag. 830
15. Canonizatio & diſcretio Sanctorum difficilis. pag. 831

Cap. 3. De ieiunio Chriſtiano. 10. Art. Pag. 831.

1. Chriſtianis olim ieiunia familiaria fuiſſe. ibid.
2. Ieiunium in Sacris literis eſſe præceptũ. pag. 832
3. Ieiunandum eſſe Chriſtiano, qui grauioribus tentationibus pulſatur. pagina 832.
4. Ieiunantem de ſe pœnas ſumere, & Deum placare. pag. 836
5. Hæreticos eſſe, qui negant ſtatam ieiuniorum obſeruationem. ibid.
6. Ieiunij commendatio, ſiue Encomium. vel de effectibus ieiunij & qualitatibus. ibid.
7. Quomodo ieiunium ſit inſtituendum, vt fructuoſius fiat. pag. 837
8. Ieiunandum eſſe ijs diebus, quibus ieiunat, in qua verſamur, vel commoramur Eccleſia. pag. 839
9. De ieiunio quartæ, & ſextæ feriæ atque Sabbathi. pag. 840
10. Die Dominico non ieiunare, niſi fortè vltra hebdomadam continenter protraheretur ieiunium. ibid.

Cap. 4. De quadrageſimali ieiunio, 4. Art. Pag. 840.

1. Quadrageſimam à Chriſto conſecratam, & præceptam eſſe. ibid.
2. Quadrageſimam ante Paſcha ſeruandam eſſe. ibid.
3. Quomodo ſit obſeruanda Quadrageſima. pag. 841
4. De myſterijs ieiunij quadrageſimalis. ibidem.

Caput 5. De ciborum delectu. 8. Art. Pag. 842.

1. Ieiunium & à quibuſdam cibis abſtinentiam damnare, Iouiniani hæreſim fuiſſe. ibid.
2. Delectum ciborum & à vino abſtinentiam olim Catholicis in vſu fuiſſe. ibi.

8. *Alio fine Chriſtianos à quibuſdam eſcis laudabiliter, Manichæos autem ſcelerate abſtinere.pag.* 843

4. *Etſi omnis creatura bona ſit, tamen propter obedientiam, vel aliorum infirmitatem à carnibus, vel alijs cibis, ac vino Chriſtiano abſtinendum eſſe. pagina.* 844

5. *Ab idolothytis etiam quandoque abſtinendum eſſe Chriſtiano, quamuis ex ſua natura bona ſint.pag.* 846

6. *Quomodo ſit illud intelligendum: omnia munda nobis.* ibid.

7. *Obiectiones contra ieiunium & delectũ ciborum quomodo diluat Hieronymus.* ibid.

8. *Manichæos & hæreticos idem olim Catholicis obieciſſe, quod nunc à recentioribus hæreticis obijcitur, & quid eis Hieronymus reſponderit. pag.* 848


## Caput 6. De Cœlibatu. 12. Art. Pag. 849.


1. *Bonam eſſe caſtitatem coniugum, meliorem viduarum, optimam verò virginum.pag.* 849

2. *Virginitati Deo ſacratæ æquare nuptias, hæreſim fuiſſe Iouiniani. pagina* 856

3. *Caſtitatem eſſe donum Dei, quod tamẽ rectè petenti nunquam denegetur. pagina* 857

4. *Caſtitatem rectè promitti ac voueri Deo, illud votum fideliter ſeruandum eſſe.pag.* 857

5. *Caſtitatem Deo vouere, conſilij atque ſupererogationis eſſe opus. pagina* 858

6. *Caſtitatis Deo per votum conſecratæ ſingularem eſſe prærogatiuam. pagina* 859.

7. *Votum virginitatis à Deipara virgine factum eſſe, & eam fuiße perpetuam virginem. pag.* 862

8. *Cœlibatus & caſtitatis ſeruandæ atque viuendæ Hieronymum ſedulũ eſſe ſuaſorem.pag.* 864

9. *Voto caſtitatis obſtrictos, ſi nubant damnationem mereri, etiam Apoſtoli ſententia.* 867

10. *Ab Apoſtolo non fuiße datam nubendi facultatẽ. 1. Tim. 5. Viduis illis quæ iam caſtitatem fouißent, pag.* 869

11. *Hæreticis in Catholicos retorquentibus illud Apoſtoli 1. Tim. 4. In nouißimis temporibus diſcedent quidam à fide, &c. quomodo D. Hieron. reſponderit.pag.* 870

12. *Obiecta contrà continentiam, quomodo Hieronymus refellat.pag.* 871

*Sacerdotum & virginum debent eße ſeparata habitacula.* ibid.


## Caput 7. De Cœlibatu Eccleſiaſticorum. 4. Artic. Pagin. 871.


1. *Clericos præſertim Diaconos, Sacerdotes & Epiſcopos, Hieronymi ſæculo cœlibes extitiſſe.pag.* 871

2. *Quæ de cauſa Epiſcopi, & reliqui Presbyteri, atque Diaconi cœlibes eſſe debeant. pag.* 881

3. *Illud 1. Corinth. 9. Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & non eſſe de vxore intelligendum: atque Apoſtolum Paulum continentiæ perfectioris fuiſſe cultorem. pag.* 882

4. *Impudicitiam fuiſſe conſectatos hæreticos.pag.* 884


## Cap. 8. De Monachorum inſtituto. 12. Art. Pagin. 885.


1. *De nomine & origine Monachorum, eorumquè antiquitate, & Encomio. pagina* 885

*Appendix: Eidem Monachi & Epiſcopi. pag.* 892

*Appendix: De diſcrimine Monachorum, & Clericorum.* ibid.

2. *Monachorum inſtitutum exemplo ex traditione Apoſtolorum confirmari. pag.* 893

3. *Apoſtolos vt & Monachos & Prophetas paupertatem ex voto ſeruaſſe. pagina* 893

4. *Anachoretas Monachos & Moniales, non ſine magno numero, tempore Hieronymi caſtè ſanctequè vixiſſe. pag.* 895

5. *Hieronymum fuiſſe Monachum, & Monachorum inſtitutorem.pag.* 898

6. *Facultates ſuas relinquere propter Chriſtum conſilij eſſe Euangelici, & meriti ſingularis.pag.* 899

7. *Placere Deo obedientiam, quæ Prælatis propter Deum exhibetur. pag.* 905

8. *Qui coniugati erant, Monachos nonnunquam fuiſſe factos.pag.* 907

9. *Propter carnalem erga parentes affectum, vota religionis deſerenda non eſſe.* ibid.

10. *Monachos Apoſtatas, qui a retro reſpexerunt, in aperto æternæ ſalutis diſcrimine verſari. pag.* 908

11. *Propter nonnullos improbos non eſſe omnes Monachos infamandos.* ibid.

12. *Veſtitus monaſticus. pag.* 911


## Caput 9. De Imaginibus Chriſti, & Sanctorum. 1. Art. Pagin. 911.


1. *Imagines Chriſti & Sanctorum venerandas, & in honore ac precio habendas eſſe.pag.* 911


## Caput 10. De diuerſis cæremonijs, antiquiſſimisque nonnullis Eccleſiæ conſuetudinibus. 20. Art. Pag. 912.


1. *Cæremonias & ſigna externa ad pietatis exercitia admodum eſſe vtilia. pagina* 912

2. *Hymnos & Cantica Eccleſiaſtica ab Hieronymo defendi & commendari. pag.* 913

3. *Tunſionem pectoris; conuerſionem ad Orientem, & genuflexionem Chriſtianis olim orantibus, non ſine cauſa in vſu fuiſſe. pag.* 915

4. *Quanta ſit crucis dignitas, & quanta virtus.pag.* 916

5. *Crucis ſigno Hieronymi tempore frontes Chriſtianorum atque Catechumenorum ſignari ſolitas eſſe.pag.* 917

6. *Benedictionem Epiſcopalem in Eccleſia frequentem fuiſſe, vel ſolennem. pagina* 918

7. *De Exequijs. Officium ſepeliendi defunctorum corpora, & pro eis orandi, & defunctos lugendi, pium & laudandum eſſe.* ibid.

8. *Catechumenis, & Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, aut Confirmationis accipientibus impoſitionem manuum adhiberi ſolitam.pag.* 920

9. *Templa & altaria olim a Chriſtianis ornari, conſecrari, atque inungi ſolita.* ibid.

10. *Sacra templa & vaſa ac ornamenta non eſſe violanda: fuiſſe inſuper iam olim loca ſancta deuotis Chriſtianorũ peregrinationibus frequentata ac viſitata. pag.* 921

11. *De habitu ſeu veſtitu Eccleſiaſtico. Diaconos vti Dalmatica & alba, ſeu Camiſia.pag.* 927

12. *Sanctimonialium, virginum, & viduarum conſecrationem, & profeßionem Patribus in vſu fuiße, eaſdem veſtibus ſuæ profeßioni accommodatis indui ſolitas.pag.* 928

13. *Quare quibuſdam diebus lugeat Eccleſia, & alijs lætetur.pag.* 930

14. *Diem Dominicam à Chriſtianis venerandum, obſeruandum, & honorandũ eße.* ibid.

15. *Solennium Feſtorum ſtata tempora etiam olim fuiße.pag.* 931

16. *Diebus varijs, varia legi in templis ex Scripturis ſacris, & Martyrum paßionibus, atque Sanctorum hiſtorijs excerpta.pag.* 933

17. *De horis Canonicis, & Vigilijs nocturnis: ſeu ſtatis temporibus orare moris olim fuiße.pag.* 934

18. *Quomodo illud Apoſtoli ad Galatas, cap. 4. Dies obſeruatis & menſes, & cæt. accipiendum ſit pag.* 935

19. *De antiqua conſuetudine cereos, & luminaria accendi in templis. pagina* 936.

20. *Miraculum editum per Hilarionem aſperſione aquæ benedictæ. pagina* 936


## Caput 11. De Antichriſti, extremique iudicij temporibus, ac deinceps de futuro hominum tam electorum, quàm reproborum ſtatu. 13. Art. Pag. 937.


1. *Antichriſtum filium illum perditionis, vnum aliquem hominem particularem futurum pag.* 937

2. *Quomodo intelligendus ſit ille Apoſtoli locus, 2. Theßal. 2. Niſi venerit diſceßio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.pag.* 938

3. *Antichriſti perſecutionem, non vna aliqua in regione, ſed vniuerſo orbe futuram.pag.* 939

4. *Antichriſtum non plus triennio & ſex menſibus eſſe regnaturum. pag.* 941

5. *Antichriſti tempore non defecturam Eccleſiam Chriſti. pag.* 942

6. *Enoch & Eliam vſq; hodie in viuis manere, eoſdem Antichriſti tempore mũdo prædicaturos.pag.* 942

7. *Ante extremum iudicij diem Euangelium in vniuerſo orbe eſſe prædicandũ.* ibid.

8. *Chriſtum in humana atq; viſibili forma venturum ad iudicandum humanum genus. pag.* 943

9. *In extremo iudicio vnumquemque fidelium recepturum, ſecũdum opera quæ geßit in corpore, ſiue bona, ſiue mala.pag.* 943

10. *Corpora electorum reſuſcitanda, accepta iam immortalitate, poſt ſupremi Iudicis ſententiam, in locis cœleſtibus eſſe conſtituenda.pag.* 945

11. *Summam & vltimam beatitudinem electorum in contemplatione, ſeu fruitione diuinæ eſſentiæ conſiſtere. pag.* 947.

12. *De Antichriſti, & nouißimorum temporum ſumma impietate. pag.* 948

13. *Mundum per ſex ætates duraturum. pag.* 949

*Parænesis Hieronymiana Epilogi vicem obtinens, ex ſolertioribus & illuſtrioribus, paucis teſtimonijs contexta, quibus ad obſeruantiam cultumq; Catholicæ religionis, & apertam profeßionem, & ad fugiẽdas hæreſes omnes B. Hieronymus fideliter, ſeduloq; commonefacit. pag.* 949


Hæc Confeſſio Hieronymiana tribus ſummis Capitibus, ſiue Titulis, & octuaginta nouem Articulis, ſiue Propoſitionibus, Auguſtianam & Ambroſianam excedit.

## Errata Sic Emendanda.

Tomo primo, folio. 261. col. 2. linea 8. reſtinguere pro reſtringuere. to. 1. folio. 133. linea 6. ſecuritatem pro ſaturitatem tom. 1. folio. 320. col. 2. linea. 46. in margine legendum, Nummus non ſignatus &c. tom. 2. folio. 438 fac. 2. linea. 21. in margine noſſe pro noſce & fol. 444. fa. 2. linea 15. in margine munimenta pro munimen. fol. 520. fa. 2. lin, 28. in margine excludere ſecuritatem pro excludit ſecuritatem fol. 527. fa. 2 lin. 54. in margine, per capita, adde viginti duo. fol. 551. nota artic. 3. 4. 5. & 7. in cap. 6. tom. 2. in margine tantum numeris arithmeticis eſſe notatos, cum alij diuerſis characteribus ad faciliorem diſtinctionem ſunt expreſſi fol. 644. fa. 2. linea 30. (id) & ibidem linea 34. legendum capite 5. verum cum &c. & linea 38. lege, quia pro quibus. folio. 649. fac. 2. linea. 30. finalem pro finem legendum folio. 671. fac. 1: tom. 3. linea. 15. l. & ex fol. 672. to. 3. col. 1. lin. 31 lege paruulos ibidem linea 50. pro & paruulus, l. vt paruulus. folio, 678. linea 41. fa. 2. lege armaturam pro armatura &c. fol. 686. obiectio cum reſponſione referatur ad finem artic. quarti, fol. 692. fac. 2, obiectiones poſitæ cum reſponſionibus referendæ ſunt ad articulum decimum, fol. 692. col. 2. linea 53. dele, ſe. fol. 784. to. 3. col. 1. linea 2. pro fortibus l. ſortibus fol. 789. fa. 2. linea 66. in margine pro notatur notantur. fol. 803. fa. 1. linea 1. pro errans l. erroris. tom. 1. fol. 174. fa. 2. lin. 43. pro malorum lege maiorum. fol. 181. fa. 1. lin. 40, lege pro, cap cap. 7. fol 184. fa. 1. lin. 23: pro reeſuriens lege eſuriens. fol. 187. fac. 1. linea 20. addenda initio lineæ propoſitio, ad. fol. 188. li. 53. l. alluſionibus pro alloſionibus. fol. 189. li. 14. pro libro libros. fol. 264. li. 48. fa. 1. in margine lege mutantur in prandia. fol. 285. fa. 1. li. 62. lege inſtitutas. ibidem lin. 61. quales dele. fol. 297. fa. 2 li. 62. adde. to. 2. in Dial. contra Luciferianos ca. 7. ibidem li. vltima le. congregari, fol. 299, li, 38. fa. 2. le. habuerit & viderit. fol 300. li. 55. fa. 2. l. veritati, ibidem fa. 1. li. 57. lege, filios Mariæ. folio 303. fa. 1. li. 33. lege, anima credentium paſcitur fol. 303 fa. 2. li. 6. l. corda. fol. 304. fa. 1. li. 5. lege, mercedem ibidem li. 50. lege, verberaui. & li. 54. l. percutit fol. 306 li. 36. l. ſiue, pro ſiue fol. 308. fa. 2. linea 59. lege, egreſſum. fol. 309. fa. 1. li. 56. l. aut obſcura interpretati ſunt aut manifeſta, ſi obſcura, &c. ibid fa. 2. l. 1. l. Vercellenſis. ibidem li. 19. l. ad interpretem. fol. 310. fa. 2: li. 53. l. in cap. 4. Eccleſiaſtis ibid. li. 57. l. Metaphraſi fol. 313. fa. 2. li. 15. l. id pro, in ibid. li. 27. l. aliorum fol. 321. fa. 1. li. 8. legendum antiquos. ibi. fa. 2. li. vlt. viuus pro, vnus fol. 333. fa. 1. l. 9. legendũ progeniem. fol. 346. fa. 1. li. 48. in marg. pro ſcl. ſed. fo. 247 fa. 1. li. 26. cruciatuũ, pro, cruciatũ fo. 348. fa. 1. li. 64. in marg. l. roboratur pro reprobatur. ibi. fa. 2. li. 8. l. altera pro aliter, fol. 350. fa. 2. li. 41. in margine l. Babylonica. fol. 358. fa. 1. li. 23. l. de pro ne, fol. 364. fa. 2. li. 21. l. comparata pro comparatur. fol. 366. fa. 1. li. 10. pro in, l. ne fol. 367. fa. 1. li. 44. l. terciam ibid. fa. 2. li. 59. l. falſi, fol. 368. fa. 1. li. 24. l. vinxerat, & li. 43. feriũt, fol. 369. fa. 1. li. 52. l. propter alteram naturam. fol. 369 fa. 2. lin. 56. l. ſeniores. fol. 370. li. 36. fa. 1. l. eiſdẽ, pro eiuſdem ibid. fa. 2. li. 2. l. temperantiæ, fortitudini, iuſtitiæ cæteriſq; virtutibus. fol. 370. li. 53. fa. 2. l. propter amorem, fol. 371. fa. 1. li. 1. cultu ibi. li. 29. l. delectabamur: fol. 371. fa. 2. li. 17. l. percurrens, pro percutiens & li. 19. quod, pro, quo li. 52. l. ciſternam. fol. 372. fa. 2 li. vndecima l. Chaumenijs. fol. 373. fa. 1 li. 25. l. interſit, pro ſit. fol. 240. fa. 2. li. 37 in margine, poſt vocabulum philoſophorum, adde, dogmatibus fol. 198. fa. 1. lin. 59. l. perſiſtat. fol. 377. fa. 1. li. 7. l. longinquum, ibid. fa. 2. li. 1. deſerendæ to. 2 fo. 399. li. 6. (primò) expungatur. fol. 295. fa. 2. li. 16. l. nihil, pro niſi ibid. li. 19. l. pertrahat, fol. 321. fa. 1. li. 37. l. calumniabuntur. folio, 416. fa. 2. li. 2. non, expungatur. fol. 561. fa. 1. li. 58. l. iuſtificatum. fol. 576. fa. 1 l. 49. l, ſacerdotium, fol. 609 fa. 2. li. 58. l. auferſetur. fol. 654. fa. 1. li. 15. l. chriſmatis. fol. 656. fa. 1. li. 64. l. turbidum. fol. 666. fa. 2. li 30. l. facundorum, fol. 664. fa. 2. li. 15. l. Nouatianorum fol. 670. fa. 2. li. 6. l. ſublatæ, pro ſubiectæ. fol. 717. fa 2. li. 65: l. aduerſus. fol. 718. fa. 1. li. 48. Homouſion fol. 807. fa. 1. li. 11. à fine cum Pelagio vel Pelagianis ibidem li. 10. appelles & li. 6. à fine ibidem deſignantur. li. 4. à fine ibi. poſſimus ibidem fa. 2. li. 6. obtinent ibidem li 21. eximentur & li. 27. tenebat, fol, 808. li. 19 fa. 2. ſim & l. 36. ibid. adhiberi & ibidem lin. 12. à fine ſanabor, fol. 810. li. 27. columnam fa. 1. ibid. li. 32. pati diſcant & cum iuſto ſaluentur, mox li. 41 in Sion mox li. 47, abſq; fol. 811. fa, 2. li. 2. à fine pſalmorum legibus diuerſis examina concrepabant fol. 813. fa. 1. lin. 8. de cognatione fol. 813 fa. 2, li. 24. anum ibidem, li. 29. noſtras ibidem, li. 37. dormitionis, fol. 810. li. 26. à fine fa. 1. animaduertens hoc in benedictionẽ Chriſti effuſus l. 19 à fine ibidem, deſpectus fol. 826. fa. 2. l. 34, habebitis. fol 832 fa. 1 li. 40. in infirmitate fol. 887. fa, 2 li. 2. cupis ibid. li 40 virtutes. & li. ſeq, 41 deputari, fol 840 fa. 1 li. 9 à, fine non ieiunandum, fol. 856 fa. 1. li 9, æquat, fol. 858. fa. 1. li. 17. æquum. fol. 864. fa. 2 li. 10. vouendæ, fol, 867 fa. 2 li. 34: ne aut ſuperflue, fol. 807. li. 8, peragitur, fol. 971 fa, 2. li. 6, Ieſubone, fol. 872. li. 23, fa. 1. cœliba, fol. 871. fa. 2. li 31. Interdum hoc hic (eſt) delendum, fol. 877. fa. 1. li, vndecima B. Antoninum fol. 882. li. 26 fa. 1 ambient, ibid. li. 10. à fine eum fol. 883 fa. 1. li. 18. à fine, dilexerat, fol 884 fa. 1. li. 28: illi, fol 890. fa. 2. li. 1. delectantur, ibidem li. 13. à fine mancipauit, fol. 891. li, 18 fa. 1. funibus ſuorũ peccatorum fol. 193. fa. 1, li. 10, ſin fol. 893. fa. 2. li, 8. conſonat ibidem, fac 2 li, 43 cum eius (ſponſus) adde, fol. 894. li. 31. fa. 2. verba in pugnis ſunt, fol. 897. fa. 1. li. 13. à fine perſeq[illegible], fol. 899, fa. 1. li. 17. Tuguriolo, ibid. fa. 1. li. 44. & diſertos ibid. fa. 2. li. 7. ſucceſſiuis ibidem, li vndecima propter Chriſtũ ib[illegible]n, li. 27. ſuſpiciat ibidem, li. 52. myrrhæ ibid, li. 64. ſuperaret inuidiam, fol. 900. fa 2. li. 6. à fine initum fol. 903. fa. 1. li. [illegible] fine pro, ſubuectione fo. 904. fa. 2. li. 23. oriri, fol. 905. fa. 2. li. vlt. alius, fol. 906. fa. 1. li. 9. Prepoſitũ timeas, fol. 907. fa. 1. li. 4 [illegible]mentum ibidem, fa. 2: li. 5, Euangelicam ibidem li: 23 deſerenda, fol. 908. fa. 1. li. 9 carpit, folio 909 fa. 1, li. 22 differ[illegible] li. 3. facimus, ibidem li. 22. lucernarum fol. 910. li 8. fa. 1. quod ſi inimicitias, ibidem li 28. à fine quod cum in[illegible] noſtris, fol. 911. fa. 2. li. 27 diſſecuerit fol. 912. fa, 2. li. 31. non tam fæde, ibidem li. 34. quaſi mucrone, fol. 913. fa. 1. li. 39. in[illegible] 4. Ionæ, fol, 913 li. 33. fa. 1, pacatis omnibus, fol. 914. fa. 1. li 4. nomina, fol. 914 li. 31. fa. 2. Cantator, fol. 917. fa. 1. li. 26. ad[illegible]omo 7. Com. in pſal. 91. fol. 921. li. 37 fa 1. ſtante ante altare fol. 923. fa. 1. li. 9. monroſa fol 926 fa. 1. li 27. reſurrectionis 927. fa. 1. li. 35, idolo fol. 928. li. 34. fa. 1. decorq; fol. 929. fa. 2. lin. 38 reſeruatur, fol. 934. fa. 1. li. 3. à fine & ſanctis fol. 937. li. 5. fi[illegible] Antichriſtus fol. 939 fac. 1. li. 3. tantum qui tenet, ibid. li 10. à fine peccati fol. 944. fa. 1 li. 9 de terra terrenus ibidem, li. 2[illegible] quæ prius ibid. fa. 2. li. 10. viderint fol 945 li. 16 fa. 1. qui poſt reſurrectionem. fol. 256 fa 1 li. 16. l literarum, fol 389. fa. 1. li. 31. omiſſus decimus tertius articulus inſerendus atq; in ſequentem modum ſupplendus eſt Articulus 13. Hæreſes in orbẽ redire, naſci & renaſci Baſilides magiſter luxuriæ & turpiſſimorum complexuum poſt tot annos ita in Iouinianum quaſi in Euphorbum transformatus eſt, vt latina quoque lingua haberet hæreſin ſuam. to. 2. li 2. contra Iouinianum cap 19 Scribit aduerſum hæreſin tuam, quæ olim erupit contra Eccleſiã (ne & in hoc quaſi repertor noui ſceleris glorieris) Tertullianus vir eruditiſſimus, inſigne volumen quod Scorpiacũ vocat, rectiſſimo nomine; quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffundit; quæ olim appellabatur Caina hæreſis, & multo tempore dormiens, vel ſepulta nunc, à Dormitantio ſuſcitata eſt. to. 2. aduerſus Vigilantium cap: 3.

Cœſa

Cæſa ſunt Aegypti primogenita, ne iumentum quidem Iſraeliticum in Aegypto derelictum eſt: Et conſurgit mihi Caina hæreſis, atque olim emortua vipera contritum caput leuat, quæ non ex parte, vt ante conſueuerat, ſed totũ Chriſti ſubuertit ſacramentum, to. 2. Epiſtola 83. ad Oceanum, Fruſtra noua ex veteri hæreſis ſuſpicatur hic perfectam eſſe victoriam, vbi pugna eſt atque certamen, & incertus exitus futurorum tom. 4. lib. 1 Com. in cap. 2. Hieremiæ. Qui putant animas fuiſſe in cœleſtibus & de meliori in peiorem ſtatum præcipitatas, hoc & huiuſcemodi vtuntur teſtimonijs: quod ſcilicet melius fuerit in cœleſtibus, quam in terrenis commorari, & corpus humilitatis aſſumere: noua quædam, imo iã vetera hæreſeos ſuæ argumenta quærunt. Tomo 4. libro 4. Com, in ca. 10. Hieremiæ.

In tom. 4. fol. 831. fa. 1 linea 9. à fine ad finem articuli 14. Titulo 2. prætermiſſa obiectio breuiter inſerenda ex tom. 6. Hieronymi lib. 4. Com. in cap. 23. Matthæi Canone 49. fa. 2, in qua reprehendere videtur in ſpeciem eorum conſuetudinem, qui ex pio animi affectu diuina verba, & res ſacras collo ſuſpenſas gerunt. Verba petantur ex ipſo opere. Diſſoluit & enucleat hunc locum B. Thomas in 22. quæſtione 96. artic. 4. & confirmat his verbis non condemnari eos, qui pietatis & religionis gratia diuinas ſcripturas, ſanctorũ reliquias, aliaſque ſacras res gerunt; ſed eos, qui magis ad ſcripturæ characteres inſpiciunt, quam ad ſcripturæ intelligentiam, & eos potiſſimum qui vel ſuperſtitiones vana adducti, vel ambitione inflati hæc geſtant. Quicunque autem huiuſmodi res, ſigna vel verba deferunt ex Dei fiducia, & ſanctorum reuerentia, nullo modo accuſandi ſunt. Etenim & B. Cæciliam & S. Hilarionem reperimus Codicem Euangelicum ſemper in ſinu geſtaſſe, & Conſtantinum Auguſtum Chriſti clauum diademate circumtuliſſe, & freno alium inſeruiſſe, vt ipſe B. Hieronymus aſſerit. to. 5. libr. 3. Com. in cap, 14. Zachariæ, & Apoſtolum Barnabam ægros curaſſe Euangelici ſcripti attactu. Eodem pacto ſimilis locus auctoris operis imperfecti homilia 44. in cap. 23. Matthæi in expoſitione eiuſdẽ ſententiæ ſoluendus eſt. In præfatione ad Pontificem fa. 1. linea 18. aut anathemate notare auderent, protinus &c. in margine notanda ibidem hiſtoria de progrediendi modo in Controuerſijs Theodoſij quæ exſtat apud Socratem hiſto. eccleſiaſticæ lib. 5. c. 10. & tripartitæ hiſtoriæ lib. 6. c. 19 in præfatione ad Pontificem fol. 1. fa. 2. lin. 32. diſciplinæ Eccleſiaſticæ neglectione ibidem li. 15. à fine contrariarumq́; In præfatione ad Lectorem fa. 1 lin. 26. annotaſſem ibidem fol. 2. fa 2. li 13. quem. fol. 1, fa. 1. ibidem li 10. à fine neque iniucundũ In Cenſura folio 1. fa, 2. li. 17. farraginem ibidem fol. 1. fa. 3. li. 3 hos eſſe in Antidotis contra Kemnitium fol. fa. 1. li. 30. à fine indefeſſa, in præfatione ad Senatum fol. 1. fa. 2 li. 19. nullius vi ſiue impetu. ibid. li. 16 à fine facula fol 2 li. 2. fa 1 ibidem à quibus In Epiſtola ad Senatum fol vlt. fa 1, li 1 effert li. 2. & 3. ibidem per Anaſtrophen male ſcripta ſic ſunt reſtituenda Hæc humanitas veſtra, libertatis propugnandæ & Catholicæ religionis defendendæ indefeſſum aſſiduumque ſtudium, veſtrumque erga nos Germanos declaratum ſuſceptumque patrocinium, inprimis me permouit &c. ibidem li 14. Obnixè quoque & li. 15 Muſas meas. In Cenſura operum Hieronymi Folio vlt. fa. 4. linea 7. pro (Eutychianum) lege effrontem Monothelitam.

*Errata in Præfatione ad Pontificem.*

Fol. 1. fa. li 18. aut coniunctio delenda col. 2. li. 32. pro diſciplina eccleſiaſtica, lege diſciplinæ eccleſiaſticæ & li. 15. à fine ibidem pro contrariumq́; lege contrariarumque.

*Ex Præfatione ad Lectorem columna 1. li. 26.*

Pro annotaſſe lege annotaſſem, columna 2. li. 17. à fine pro neceſſarie lege neceſſariò. col. 3. li. 13. pro quum lege quẽ, col. 4. li 10. à fine pro iucundum lege iniucundum.

*Errata ex cenſura operum B. Hieronymi.*

Fol. 1. col. 2. li. 17. pro farruginem lege farraginem fol. 1. col 3. li. 3 pro hoc, lege hos, fol. vlt. col. 4 lib. 7. pro Eutychianũ lege Monothelitam ibid li. 10. pro duobus lege duabus ibid. li. 15 pro fontibuus lege fontibus.

*Errata in Elogijs.*

Fol. 1. col 2 lin. 25. à fin. pro vir Hieronymus, lege vir Dei Hieronymus: col. 3. lin. 31. pro Bituri lege Biturigum, vel Bituricẽſis: col 4. lin. 11. pro at, lege ac, & li. 9 à fine ibid. pro præmiſcuit lege permiſcuit: fol 2. col. 1. lin 16. lege quod in vnoquoque ibid. col. 2. li. 14. pro in ea lege in eo. & li. 33. pro huic lege hinc, in primo carmine Cælij Calcaguini pro imagine lege margine: fol 3. col. 2. li. 14. pro tunc lege nunc, ibid. in primo carmine Dardanij pro rigidus lege rigidis.

*Errata in Comite ſiue Lectionario.*

Fol. 2 col. 2. lin. 18. à fin. pro decima octaua, lege octodecim: fol. 3. col. 1. li. 33. pro Adeo lege Ado, & li penult. à fine ibidẽ pro celebratione lege celebrationem.

*Errata in Antidotis contra Kemnitium.*

Fol. 2, col. 1 lin. 41. pro indefeſſus lege indefeſſa: fol. 2. col. 3. lin 42. in Confeſſione Polonica adde cap. fol. 3. col. 3. lin. vlt. pro reprehenſione lege reprehenſionem: fol, 4. col. 1. lin. 31. pro epiſtola lege epiſtolam: fol. 4. col. 2. lin. 1. pro Kemnitij lege Kemniti. ibid. li. 46. pro honore lege honorem, li. 52 ſeq. pro idolatriæ lege idololatriæ: fol 5. col. 1. lin. 6. præpoſitio (in) deeſt. In Diſputatione de Cardinalatu Hieronymi, fol. 1. col 2. lin. 20. pro confectio lege conficto: fol. 2. col. 1. lin. 5. pro primates lege primatis, col. 2 lin. 14. pro Pontificis lege Pontifices.

*Ex Præfatione ad Erneſtum Reuerendiſſ. Colonienſem errata.*

Fol 1. lin. 24 pro non ideo lege non adeo, & fol 1. col. 1. lin. antepenult. pro Ariſtolis lege Ariſtotelis, ibid, lin penul. manifeſte lege pro mafeſte: fol. 1. fac 2 lin 12. pro tractationem l. tractatione, ibid. li. 17 pro quia. l. qua: fol. 1. à fine col 2. li. 12. pro falſe lege falſe, & li 17. pro lectione lectionem: fol. 3. li 39. fac 1. pro coæquanda coæquandam, & li. 48. ibid. pro omnes omnem lege, fol. 3. li. 31 adde ſuperius cum de Ciceroniana, &c. & li. 46. ſuprema Eccleſiæ, &c pro ſuperna, & li. 60 pro prætexerat lege prætexebat, & lin. 61. nouæ ſcilicet religionis adde, lin. 62. pro omnem lege omnium: fol. 4. fac. 1. li. 34. pro omni lege omnis: fol. 4. fa. 2. lin. 12. ad dele: fol. 5. fac. 2. li. 33. pro vi lege vis.

*Errata ex Præfatione ad Archiepiſcopum Treuirenſem.*

Fol. 1 col 2, lin. 12. à fine pro præmineat lege præemineat: fol. 2. fac. 2. lin. 37 pro Patres lege partes: fol. 3. fac. 2. li. 1. pro patronam lege patronum, & lin. 21. pro fouerint lege fouerunt: fol. 4. fac. 1. lin 37 pro cupio exopto lege cupio & exopto.

*Errata ex Præfatione ad Senatum Colonienſem.*

Fol 1. col. 1. lin. 42. repreſſit abſq; æ. ſimiliter lin. 50. & lin. 54. pro oppugerat lege oppugnat, & lin. 55. lege Deoq́; plenus non plenius, ibidem fol. 1. col. 2. lin 19. adde nullius impetu concuſſa, & lin. 16. à fine pro focula lege facula,

F I N I S.

UNIVERSITARIA

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA